BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Ant. Aug. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

POETÆ LATINI
MINORES
EX RECENSIONE WERNSDORFIANA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

POETÆ LATINI
MINORES

DE RE HORTENSI ET VILLATICA

CARMINA

COLUMELLÆ, PALLADII, VOMANI,

ET ALIORUM;

ITEM

AMATORIA ET LUDICRA

MAXIMIANI ETRUSCI, OFILII, JUVENTINI,
SPERATI, SYMPOSII, HOSIDII GETÆ,
ET AUSONII,

QUÆ NOTIS VETERIBUS AC NOVIS ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SEPTIMUM ET ULTIMUM

PARISIIS
COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVI

PRÆFATIO
NOVI EDITORIS.

Ut septimum hoc et ultimum volumen conficeretur, præcipue nobis materiam suppeditavit sextus collectionis Wernsdorfianæ tomus, a Wernsdorfio, nostri filio, typis excusus; cui tamen, ut totius operis propositum expleremus, carmina nonnulla, materia admodum adfini et auctorum fama et vetustate commendabilia, ultro adjecimus; Medeam scilicet ab Hosidio Geta ex centonibus Virgilianis compositam, Ausoniique Centonem Nuptialem et Technopægnion. Hæc deesse nostro operi, et, si omitteremus valde desiderata iri, nos monebat ipsum poematiorum illorum genus, ludicrum certe, si artificium compositionis quæras, et ideo vix alii loco aptius. Cætera autem didascalica poemata, quæ Wernsdorfius ipse nominat, in Præfat. ad tomum sui operis quintum (hujus autem op. tom. IV, pag. 14, ubi vide notam nostram), et inprimis Marcelli et Sereni Samonici carmina de medicina, huic collectioni inserere noluimus, tum quia non commodam sedem in hoc volumine cum operibus longe diversi argumenti reperiebant, quod male digestum ordinem prodidisset: tum et præcipue, quod, in rebus omnium commentatorum labori hactenus intactis, et in materia literis parum cognata, nostri diffidentia nos hortabatur, ut doctiorum curis, saltem magis opportuno tempori, prodenda hæc opera seponeremus. Denique Pseudo-Plauti Querolum, spurium et adulterinum opus, ut consulto omitteremus, quamvis Wernsdorfio nominatum, nos suasit tempo-

ris, quo in lucem prodiit, proximitas: immo, quæ in hac comœdia ad usus recentiores plurimum adludunt, non satis antiquam originem arguebant, ut tale opus commentario dignaremur. His animadversis, quæ a nobis in melius mutata sint notare supersedemus, præcipue quam multa poematia collectioni Wernsdorfianæ addiderimus, agnoscent facile boni literarum veterum existimatores. His syntagma poematum astronomicorum, a Wernsdorfio tantum enuntiatum, accuratis disquisitionibus complevimus: nec tantum Avieni, Ciceronis et Germanici Aratea Phænomena et Prognostica, et ipsum integrum Manilii Astronomicon, multo emendatiora, quam unquam prodierant, edidimus: sed in his alia quidem loca priorum commentatorum controversiis obscura facta illustravimus, alia autem omnino intacta, singulari cura adornavimus. Quæ si bene fecerimus, æquo animo lector judicet.

NOMINA AUCTORUM

QUI IN SEPTIMO HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Albus Ovidius Juventinus.
Ausonius.
Cælius Symposius.
Florus.
Hosidius Geta.
Julius Speratus.
L. Junius Moderatus Columella.
Maximianus Etruscus.
Ofilius Sergianus.
Palladius Rutilius Taurus Æmilianus.
Petronius.
Vomanus.
Et incerti multi.

CARMINUM
DE RE HORTENSI ET VILLATICA
SERIES.

PROOEMIUM.

Carminum de Re hortensi et villatica Syllogen, qualem jam edimus, plures superiore ævo viri eruditi adornarunt, quorum inprimis tres nominandos hoc in dissertationis nostræ introitu putamus. Primus est Jodocus Willichius, qui *P. Virgilii Maronis Opuscula quædam de Re hortensi*, videlicet Hortulum, Moretum, et Rosam, *cum commentariis* suis edidit Basileæ, per Io. Oporinum, anno, quem dedicatio præfert, 1545, in-8. Alter Andreas Rivinus collectionem ejusmodi satis amplam instruxit, et Lipsiæ ann. 1655, in-8, edidit sub titulo: *As veterum nonnullorum, ut et mediæ vergentisque ætatis, scriptorum fere metricorum et medicorum, de Re herbaria.* In qua XII scriptores, ut Columella de Cultu hort. Palladius de Insit. cum aliorum villaticis carmin. et epigramm. Walafridi Strabi Hortulus cum A. Sept. Sereni Moreto, Macer de Viribus herbarum, cum adpendice, et plures alii recentioris ævi, continentur, quos ordine recenset Gesnerus in Indice editionum ad Script. Rei rust. pag. 47. Hoc opus rarissimum inventu est, et vix a quoquam repertum est integrum, videturque ab auctore tumultuaria plane opera collectum, et per partes multasque intercapedines editum, ita quidem, ut, quum quæ edita subinde essent, distraherentur ante, quam extremæ partes accessissent, pauca admodum exemplaria integra et suis partibus absoluta confierent, plura reperirentur mutila et imperfecta. Docuit me hoc J. N. Niclasius V. C. atque e proprio exemplari ejus libri probavit, quod per omnia cum libro a Gesnero descripto convenit, sed in fine mutilum est, ac tantum usque ad initium libri Scholæ Salern. De conser-

vanda bona valetudine procedit. Brevius adhuc et magis curtum exemplum est, quod ipse possideo, tresque tantum partes a Gesnero enumeratas continet, et in Moreto duobusque fragmentis Petronii, quæ Strabi Hortulo subjiciuntur, desinit. Utrumque exemplar nec titulum, nec præfationem habet, adeoque ultimam editoris curam abfuisse prodit. Neque dubito, quin eadem sors plurium exemplarium, quæ apud alios reperiantur, fuerit. Quamquam de cætero Rivini hoc opus negligentissime excusum adparet, reperi tamen nonnulla in Columella et aliis carminibus loca, quæ ab aliis editionibus discrepant, et a Rivino correcta sunt. Tertium auctorem nominare possum Jo. Frider. Christium, qui *Villaticum*, poema, *libris* III edidit Lipsiæ an. 1746, in-8, et inter copiosos Excursus ei adjectos, etiam *Corollarium*, pag. 241, exhibet, quod excerpta e veteribus poetis, ut e Pap. Statio, Martiale, Ausonio, carmina, pariterque e Pithœi collectione repetita epigrammata de villarum et rusticationis amœnitate complectitur, paucis notulis et conjecturis adjectis. Ab his collectionibus mea, quæ quum maxime prodit, haud parum differt, atque iis fere contractior est. Nonnulla enim carmina, quæ isti auctores inter Hortensia retulerunt, quia nos anticipata jam aliis nostri Operis locis produxeramus, his abesse jussimus; qualia sunt *Moretum*, quod Willichius et Rivinus, *Avieni de malis Punicis*, *de cantu Sirenum*, *ad Amicos de agro* carmina, *Sereni nonnulla fragmenta*, *Symmachi de litore lacus Lucrini*, quæ Rivinus dedit, *Laureæ Tullii in Ciceronis Academiam*, quod Rivinus et Christius, *Ausonii Mosella*, et *epigramma de navigatione*, sive de villa maritima, a nobis ad auctorem Epitomes Iliad. Hom. relatum, quæ Christius recensuit. Alia epigrammata brevia et fragmenta veterum poetarum, a Rivino et Christio in hunc cinnum relata sunt, quæ rem rusticam et hortensem parum adtingunt, aut vitam privatam, frugalitatis bonum, et tenuioris fortunæ securitatem laudant; itaque non satis digna nec apta argumento videbantur, ut

in nostrum syntagma reciperentur. Sed progrediamur ad singula hujus collectionis carmina consideranda.

L. Jun. Moderatus Columella, poematis *de Cultu hortorum* auctor, Gaditanus patria, sub Claudio Principe fuit, L. Senecæ, et Corn. Celsi, quos sæpius laudat, æqualis et amicus. De eo nunc maxime quærimus, quæ singulare ejus poema, quod proponimus, spectant. Nam quæ de ætate, vita et libris ejus memorari amplius possunt, non adeo obscura vel dubitationi obnoxia sunt, ut nova disquisitione indigere videantur, quæ dudum a viris doctis, Nic. Antonio in Biblioth. Hisp. Fabricio, Funccio, Harlesio, et Gesnero inprimis in Præfat. ad Scriptores Rei rusticæ luculente sunt exposita. Hoc tantum monere et repetere hoc loco liceat, quod dudum (huj. op. tom. I, pag. 16. Ed.), quum de Gratio, Cynegetici auctore, agerem, professus sum, videri Columellam libertini generis fuisse. Suspicari hoc ipsum nomen Columellæ jubet, quo vocabulo, ut Donatus ad Terentii Phorm. II, 1, 57, ostendit, apud veteres Romanos servi majores domus adpellati sunt. Provocat autem Donatus ad versum antiqui poetæ Lucilii:

> Servu' neque infidus domino, neque inutili' cuiquam,
> Lucili columella hic situ' Metrophanes.

Quem eumdem versum repetiit Martialis, XI, 91. Salmasius quidem, Exercit. Plin. pag. 859, *columellam* in versu Lucilii accipit pro στήλη columna sive cippo, qui imponitur sepulcro, eoque sensum ejus esse ait, sub hac columella sive στήλη situm esse Metrophanem, servum Lucilii. At sane Donati hac in re auctoritas gravior esse debet, et probat ejus sententiam defenditque Gatakerus Cinni, sive Advers. Miscell. lib. II, cap. 20, pag. 384. Quippe pluribus locis Veterum *columen domus*, *familiæ*, dictos esse servos fideles adprobat, e quibus ipse Terentii *columen familiæ* Getam servum dicit, et præterea Cicero in Verr. III, cap. 76: « Timarchides, columen familiæ vestræ, premit fauces de-

fensionis tuæ ». Salmasius quidem *columen domus* servum subinde dictum esse concedit, an ipsius domini dici potuerit, ut *Lucilii columella*, dubitat: quod tamen fit apud Terentium, ubi ipse dominus Demipho hoc elogio condecorat servum suum (1). *Columella*, diminutivum, solemnius hac in re vocabulum fuisse videtur, quam *columen*, vel *columna*, propterea quod domini inter Romanos, licet blandius adpellare caros servos vellent, tamen vilis eorum conditionis memores, nomina eorum ἐξουθενητικῶς efferre solebant, quod ipsum vulgaria nomina *servuli*, *vernulæ*, et alia demonstrant. Unus e majoribus Columellæ, pater vel avus, haud dubie ut columella familiæ servierat apud aliquem gentis Juniæ, qui deinceps manumissus a domino, gentilitio ejus nomini, quod adsumere liberti solebant, columellæ cognomen addidit, posterisque suis ad servandam libertinæ conditionis memoriam reliquit. Atque hic fortasse Columella magis, quam Columna, cognominari e pristina conditione voluit, quod universe cives Romani diminutivis in cognominibus efferendis gauderent; quam consuetudinem Th. Crenius Animadv. Phil. Part. X, pag. 38, e similium cognominum exemplis, *Aviolæ*, *Barbulæ*, *Caligulæ*, *Capellæ*, *Catulli*, *Corniculæ*, *Dolabellæ* probat. Libros suos de Re rustica, sigillatim decimum de Cultu hortorum, hortatu Publii Silvini scripsit, eidemque dedicavit Moderatus. Qui Silvinus qua conditione et fortuna vixerit, ex ipsa Columellæ oratione ita non adparet, ut certo adfirmare possimus. Decimum quidem librum prosa oratione, ut cæteros, perscribere instituerat, sed frequenti postulatione Silvini expugnatum se dicit (in Præf. ad lib. X), ut poeticis numeris explere adgrederetur Georgici carminis omissas partes, quas ipse Virgilius significaverat, posteris post se memorandas relinquere. Ejusdem tamen propositi hortatorem sibi fuisse Gallionem,

(1) Sed memoria lapsus videtur Wernsdorfius. Hi enim sunt Terentii versus: « Bone custos salve, columen familiæ, Cui commodavi filium hinc abiens meum ». Ed.

fratrem Senecæ, cujus familiaritate utebatur, testatur in fine libri IX: «Quæ reliqua, inquit, nobis rusticarum rerum pars superest, de cultu hortorum, Publi Silvine, deinceps ita, ut et tibi, et Gallioni nostro complacuerat, in carmen conferemus». Postea, confecto hoc carmine, Claudius Augustalis, adolescens, complurium sermonibus instigatus, extudit ei, ut cultum hortorum prosa oratione componeret. Quod ut exsequeretur, libro XI, Villici officiis recensendis destinato, subtexuit curam olitoris. Unde factum est, ut plura de olerum fructuumque hortensium cura in carmine dicta, isto libro repeterentur, et subinde uberiore sermone explicarentur.

Quod Columella librum suum *Cultum hortorum* in titulo pariter, atque ipso principio carminis inscripsit, id fortasse, si quorumdam eruditorum conjecturam sequimur, exemplo et imitatione Mæcenatis fecit, quem Seneca Epistola CXIV testatur librum scripsisse, cui titulus *Cultus*, vel *de Cultu suo* fuit. Seneca ex eo quasdam particulas et commata selecta producit, ut iis exemplis novitatem vel adfectationem in oratione Mæcenatis ostendat; quæ Lipsius, quum non cohærerent, distinxit, et versiculos esse ex longiore uno carmine decerptos putavit. Andreas Rivinus in Disput. altera *de Mæcenate, ut bono cive*, § 15, adsentit Lipsio, carmen fuisse Mæcenatis *Cultum*, et præterea persuadet sibi, titulum eum non alium cultum notavisse, quam Hortorum, quos Mæcenas in Exquiliis instituerit, repurgata a multis sordibus ea regione, quæ antea sepulcris servorum et miserorum destinata fuerat, ut prædicat Horatius, Serm. I, 8, 7 seqq. Hortos eos non modo arboribus floribusque, sed et ædificiis, præsertim turri altissima, effosso in profundum alveo et ducto amne a se excultos, et ad omnem visus et prospectus, aliorumque sensuum voluptatem exornatos, Rivinus existimat, Mæcenatem in *Cultu suo* descripsisse, ejusque descriptionis vestigia in ipsis versiculis a Seneca productis, sed paullum a se mutatis, reperit. Certum eidem

est, ob hortum ita instructum Maronem Mæcenati Georgica sua dedicasse; neque enim temere ita ad eum incepisse:

> Quid faciat lætas segetes, ...
> . . . . quis *cultus* habeudo
> Sit pecori,

ubi profecto ad *Cultum* Mæcenatis ipsi videtur respexisse. Meo vero judicio hæc ratio admodum levis est, quum *cultum* in principio Georgicorum non hortorum esse, sed curam rei pecuariæ, manifestum sit. Alia tamen loca Virgilii non negem reperiri, in quibus *cultus* vocabulum de cultu hortensi, et sigillatim de cura inserendi mutandique arbores, adhibuit, ut Georg. II, 35 et 51. Et horum alterum locum, quem posterius citavimus, Georg. II, 51, Rivinus ita intelligit, et firmandæ opinioni suæ accommodat, ut credat, Maronem eo Mæcenatem adloqui, et ad artes, quas ille ipse ad majorem arborum cultum adhibeat, et in *Cultu* suo descripserit, provocare. Loquitur de silvestribus arboribus inserendis:

> . . . . tamen hæc quoque si quis
> Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
> Exsuerint silvestrem animum: *cultuque* frequenti
> In quascumque voces (Mæcenas) artes, haud tarda sequentur.

Sed frustra hic Mæcenatis adpellationem quæri, facile quis intelligat, qui *voces* impersonaliter accipiendum videat. Majore cum specie fidem opinioni suæ conciliat Rivinus, adducto versu Maronis, Georg. II, 39, quo Mæcenatem invocat, ut favorem operi suo præstet, quo nunc arborum vitiumque propagines docere adgrediatur:

> Tuque ades, inceptumque una decurre laborem.

Hunc enim versum ita accipere videtur, quasi hortetur Mæcenatem, ut, quemadmodum ipse in libro Georgicon, ita ille in libro instituto *de Cultu* artem et curam serendarum arborum exponere pergat, atque una secum, vel sociata opera, hunc laborem absolvat. His expositis si rationes Ri-

vini valerent satis, colligendum inde esset, Mæcenatem ante Columellam librum *de Cultu hortorum* versibus condidisse. Sed quamquam studiosissimum rei hortensis Mæcenatem fuisse constat, quem multum in hortis ab se instructis sedisse refert auctor Elegiæ de obit. Mæc. v. 33 seq. et cui Virgilius Georgicorum libros, et Sabinus Tiro, ut Plinius, lib. XIX, cap. 10, testatur, Κηπουρικὰ, seu libros *de Re hortensi* dicavit; librum tamen ejus *de Cultu* solam hortorum culturam spectasse, argumentis, quibus Rivinus utitur, nondum evinci arbitror, neque Meibomius, qui in Mæcen. cap. 23, 14, de libro *Cultus* haud perfunctorie agit, tale ejus argumentum suspicatus est. Ego fere existimaverim, Mæcenatem eo libro universum vitæ suæ cultum, mores, acta, luxum, quæ sciebat passim reprehendi, excusare voluisse, idque præcipue defendisse, quod campum Exquilinum, publicis antea usibus destinatum, hortis suis et ædificiis magnificis occupasset, ibique vitam desidem et luxuria diffluentem ageret.

Carmen hortense Columellæ multas et exquisitas eruditorum laudes tulit, largusque in iis maxime Casp. Barthius est, qui passim liberali elogio ornavit. Sic Adversar. libro XXXVII, cap. 7 : « Ejus (Columellæ) Hortulus purum et vere Latinum carmen est, non tumidum, inflatum, absonum, sed naturali venustate elegans, nec adfectans declamatorios flores, perpetuæ orationis dedecus et corruptionem ». Idem in Comment. ad Stat. Theb. lib. II, v. 213, pag. 390, *elegantissimum Columellæ carmen* vocat, *quod nativam ingenuamque poesin illo adhuc ævo cum paucis servavit;* iterumque ad lib. VI Theb. v. 104, pag. 384, *poetarum primatibus Columellam jure accensendum* dicit, *etiam in tantillo scripto genuinæ poeseos principum non postremum:* denique ad vers. 360 ejusdem libri, pag. 489, *elegantissimum, et vere Romani ingenii scriptorem et poetam.* Et sane Columella, ut in cæteris libris copiosæ elegantisque orationis, ita in metrico ingenii et venustæ poeseos admirabilis

auctor est. Qui hoc inprimis operam dedisse toto carmine videtur, ut, quam ipse in præfat. pronuntiat, tenuem admodum, et pæne viduatam corpore materiam, omni copia et ornatu instrueret, exiguaque et tamquam sparsa cultus hortensis membra, varias opes et tempora modosque colendi, ingeniosa et suavi rerum connexione in unum quasi corpus conformaret. Ad copiam et ornatum operis inprimis pertinent adlusiones excursionesque in fabulas crebro insertæ, pictæ rerum imagines et tempestatum vices descriptæ, quibus exilis florum, plantarum, olerum enumeratio distinguitur, et lector, qui forte tædium ex longa præceptione ceperit, amœnioribus quasi in locis recreatur. His excursibus et descriptionibus tantopere indulget auctor, ut in his subsidium quæsivisse videatur carminis, quod satis longum fore ob exilitatem materiæ desperabat, dilatandi et ad justam libri amplitudinem perducendi. Nam in iis ita copiæ et ubertati studet, ita vela pandit orationis, ut fere nimium evagari, verba, ideas, sententias cumulare, genera rerum per omnes partes et species diducere, et quasi longa ambage circumductam trahere orationem, non sine ταυτολογίας vitio, videatur. Legat modo, qui rem cognoscere velit, descriptionem veris et renascentis anni plane abundantem, v. 196-214; Nympharum flores colligentium recensum, v. 263-275; horti florigeri comparationem, v. 286-293. In quibus sane Virgilii, quem ubique admiratur, modestam et decoram brevitatem deseruisse videtur. Contra, ubi in fine carminis versatur, idque jam satis productum esse videt, subito viam corripit, et justo brevior angustiorque adparet. Nam in fetibus arborum et vergentis anni proventibus recensendis, quæ extrema carminis pars est, pauca tantum pomorum genera, ut mora, pruna, mala Medica, Persica et ficus, tum nonnulla raporum nominat, quum multo plura ad commendandos horti bene culti fructus potuisset. Sed, quasi pertæsus esset laboris huc perducti, adesse tempus vindemiæ sentit, et hortum suum claudit.

Interpretes *Hortulus* Columellæ, præter eos, qui in omnes ejus libros commentati sunt, singulares aliquot privatim nactus est, ut Jul. Pomponium Fortunatum, cujus adnotationes amplæ satis, nec tamen valde præclaræ, jam in vetustis Columellæ editionibus, Bononiensi, Regiensi, Juntina et Ascensiana comparuerunt: Jo. Baptistam Pium, qui Adnotationum poster. (in Facis Gruter. tomo I), c. 33, tum continuis capp. 157 ad 174, multa loca Hortuli Colum. emendavit et exposuit, quas adnotationes Pii primus Ascensius texto suæ editionis 1529 adjunxit. Casp. Barthius nonnulla ejus libelli illustravit Adversar. lib. I, cap. 2, et XXXVII, 7, tum passim in commentar. ad Papin. Stat. Multa Cl. Salmasius in Exercitt. Plin. ad Sol. et in Homon. Hyles Iatr. multa denique Th. Crenius in cum adnotavit, Animadvers. Philol. Part. X, a pag. 9 ad 39. Excerptas digestasque horum virorum adnotationes simul omnes in nova præstantissimaque Columellæ editione inter Scriptores Rusticos dedit J. M. Gesnerus, e quibus ego selegi et in meas retuli, quas viderem rem ita exponere, ut mea novaque explicatione non opus esset. Plurima meo ipsius studio peregi. Fundum editionis meæ feci editionem Gesnerianam Lips. 1735, cujus ego et textum servavi paucis mutatis, et variationes lectionis e priscis exemplaribus ab eo enotatas sub texto posui. Atque ex editionibus a Gesnero usurpatis ipse tractare potui Aldinam 1514 e biblioth. Ducali Guelferb. acceptam, Gryphii Lugdunensem 1541, Rob. Stephani Paris. 1543, et Hieron. Commelini, 1595, quas bibliotheca Academiæ nostræ suppeditavit. His tamen accesserunt subsidia recensionis alia non spernenda. Nam quæ secundæ editioni Rusticorum Gesnerianorum Lips. 1773 ab Ernestio additæ sunt, pauculæ adnotationes, tum lectiones codicis Sangermanensis, et observationes Viri docti, margini editionis Aldinæ additæ, quum ipse liber mihi præsto non esset, ab humanitate et officio doctissimi Viri J. N. Niclasii impetravi, ut descriptæ meis usibus aptaren-

tur. Addidi præterea Codicis Demidoviani variantes lectiones, quas Christ. Frid. Matthæi, Vir. Celeb. Lectionum Mosquensium vol. I, p.91, publici juris fecit. Contuli denique nondum usurpatas editiones, tum pervetustam Argentoratensem solius Hortuli, quam tamen in plurimis convenire cum Aldina vidi, tum Lipsiensem Rivini, in Collectione Carminum de Re herbaria. Subjungam nunc indicem aliquot editionum, quibus Hortus Columellæ seorsum vulgatus est.

1. *Columella de Cultu hortorum;* it. *Macrus* (Macer) *de Virtutibus herbarum.* Venet. 1506, in-4, per Bernardin. Venetum de Vitalibus. Olim mihi adnotavi hunc librum e catalogo librorum rariorum, cujus mihi nunc non succurrit memoria.

2. *Cœna Baptistæ Fieræ* de herbarum Virtutibus, et ea Medicæ artis parte, quæ in victus ratione consistit. *Columella de Cultu hortorum.* De generibus morborum, ex imprecatoria Satyra Petri Montani. Argentorati, apud Christianum Ægenolphum, in-8. Mentio anni nulla additur, sed ante annum 1536 excusus liber sit, necesse est, quia hujus notam impressam habet involucrum codicis, quo exemplum libelli, quo utor, juxta cum aliis continetur. Habui e bibliotheca Ducali Guelferb.

3. *Columellæ, liber X, s. Hortus*, cum adnotationibus Pomponii Fortunati, Baptistæ Pii, Phil. Beroaldi et aliorum. Paris. 1543, in-4.

4. Cum Nicolai Bartholomæi carmine de Cultu hortorum, et Georgii Vercellani, Annibalis Crucei Mopso, et Carpo Hieron. Fracastorii, 1543, in-4. Ita Gesnerus ex literis Fabricii.

5. *As veterum nonnullorum*, ut et mediæ vergentisque ætatis scriptorum, fere metricorum et medicorum, *de Re herbaria:* videlicet 1° *L. Jun. Moderati Columellæ Cultus hort.*

2° Palladii Rutilii Tauri Æmiliani de Insitione, cum aliorum villaticis carm. 3° Walafridi Strabi Germani Hortulus, cum Auli Septimii Sereni Moreto. (Reliqua vid. apud Gesnerum, in Indice edit.) Lipsiæ, 1655, in-8.

6. Seorsum editum Columellæ Hortum etiam habent Collectiones variæ, ut *Chorus Poetarum lustratus et illustratus*, sive Corpus Poetarum Latin. cum notis. Lugduni, 1616, in-4. Mich. Maittarii *Opera et fragmenta vet. poet. Latin.* vol. I, p. 800; *Collectio Pisaurensis omnium poem. carm. fragm. Lat.* tom. IV, pag. 83.

II. Palladium, carminis *de Insitionibus* auctorem, jam consideremus. De cujus ætate, conditione et honoribus, quia nihil dum inter eruditos certo constat, videtur nobis ejus rei inquirendæ diligentior cura relicta esse, quam tamen perdifficilem reddit multitudo virorum, qui sequiore ætate Romani imperii Palladii sunt adpellati, quæ tanta est, ut J. A. Fabricius, Bibl. Græcæ lib. V, cap. 32, volum. IX, pag. 10 seq. Palladios alios ultra quinquaginta recensuerit. Nos olim (huj. op. t. II, p. 387 seqq. Ed.) ubi de Palladio Rhetore agebamus, diximus diversos ejus nominis doctos et illustres viros hoc loco enarraturos esse; sed nunc alia mens est, et inutilem hanc operam fore intelligo. Diversum a scholastico illo rhetore vel poeta, quem diximus, nostrum rei rusticæ scriptorem esse, dubio caret; utrum vero alius quis Palladiorum, qui antiquitus nominantur, pro Nostro habendus, an nulla plane alia ejus mentio prisca ætate, de hoc adhuc dubites. Qui eum Hadriani aut Antoninorum tempore vixisse crediderunt, haud dubie falsi sunt. Dictio, et stylus et totus librorum ejus habitus seriorem multo ætatem, et infelicius Latinitatis sæculum manifeste produnt. Neque sententia C. Barthii (1), quæ probabilior visa etiam

(1) Ad Rutil. Itin. I, 206, ut computat, sed nostr. ed. 208. Vid. huj. op. tom. IV, p. 108. Ed.

Burmanno et Gesnero est, Palladium esse propinquum Rutilii, qui Itiner. lib. I, v. 208, laudctur, eam speciem veritatis habet, ut sine hæsitatione admitti queat. Nam ille, juvenis tum, quum Rutilius Roma reverteretur in Galliam, an. Chr. 416, dicitur e Gallia Romam missus ab Exsuperantio patre, ad discenda fori Romani jura: Noster vero patria Romanus, et in Italia habitasse videtur eruditis, qui et ipse fundos habuisse in Sardinia et in Neapolitano territorio memorat Mart. X, 16. Neque Palladius Rutilii inter Præfectos et magistratus proximorum temporum reperitur, quos tamen honores Noster gessit, quia Vir illustris in fronte librorum suorum vocatur. Qui an. C. 416 Palladius Consul in fastis, et circa idem tempus Præfectus Pr. invenitur in legibus, *Junius Quartus Palladius* nominatur, non Rutilius Palladius. Nomen Rutilii, quod Noster gerit, suadere forsan potest, ut pro gentili et propinquo Rutilii Numatiani habeatur, non item, ut idem sit Palladius, quem Rutilius laudat. Quis enim adseverare audeat, Palladium Rutilii, quia huic cognatus fuit, etiam nomen habuisse, quum adeo a patris Exsuperantii nomine discrepet? Et lubricam esse omnem e nominibus conjecturam, nemo nescit. Facilior fortasse ratio inveniendæ ætatis hujus Palladii erit, si Pasiphilum, cui Palladius suum librum dedicavit, propius noscamus. Meminit alicujus Pasiphili Amm. Marcellinus, ubi quæstionem de conspiratis adversus Valentem Imp. habitam enarrat lib. XXIX, cap. 1, p. 603: « Eutropius Asiam Proconsulari tunc obtinens potestate, ut factionis conscius arcessitus in crimen, abscessit innocuus, Pasiphilo eximente philosopho, qui ut eum mendacio injusto perverteret crudeliter tortus, de statu robustæ mentis non potuit deturbari ». Sunt in his verbis nonnulla indicia, quæ Pasiphilo Palladii adprime conveniant. Nam quum Pasiphilum in dedicatione *Virum doctissimum* salutat, cuinam hoc elogium magis aptum sit, quam ei, qui philosophus a Marcellino adpellatur? Majorem adhuc fidem facit adtributa ei

laus versu 1, *ornatus fidei.* Hoc enim dicto Palladius primarium ejus characterem animi; et præcipuam virtutem, illustri saue fidei et constantiæ documento, in quæstione de Eutropio habita, spectatam, multumque fama celebratam, exprimere videtur, quum, Marcellino teste, ne tormentis quidem adigi potuit, ut Eutropium mendacio injusto perverteret. Acta est hæc quæstio an. C. 371, atque igitur paullo post hunc annum ad Pasiphilum scripserit Palladius, si modo is procellam istam evasit vivus, neque, ut alii philosophi, atroci Valentis sententia ad mortem damnatus est. Quod ne accidisse ei putem, fere persuadet Zosimus, lib. IV, cap. 15, qui inter plures philosophos, qui tum supplicio adfecti sunt, Pasiphilum non nominat. Sed Henr. Valesius ad Marcell. loc. cit. eum potius Pasiphilum Palladii amicum esse censet, ad quem data est lex 8, Cod. Theod. lib. II, tit. 1, *de jurisdictione*, Olybrio et Probino Coss. an. 395. Rectorem aliquem provinciæ, quamvis non nominatæ, ea lege moneri, e verbis ibi occurrentibus *Sinceritas tua* colligendum est, quo titulo nempe compellari Rectores provinciarum ab Imperatore solebant (1), ut pariter ex lege 33 *de cursu pub.* tit. 5, lib. VIII, adparet. Præfectum Urbis Pasifilum indicat vetus marmor apud Grut. pag. 1080, 1:

FABIVS. FELIX. PASIFILVS. PAVLINVS. V. C.
ET. INL. PRAEF. VRBI. DEDICAVIT.

Verumtamen Rectoris provinciæ aut Præfecti dignitati titulus *Viri doctissimi*, quo Pasiphilum suum ornat Palladius, minus respondet, et nisi philosophus ille, cujus supra mentionem feci, intelligendus est, crediderim, Rectorem

(1) Sed ex hoc titulo vix quidquam certum colligi posse videtur, quum ipsi Imperatores de se ipsis loquentes dicant, *Serenitas nostra* et Præfectum Præt. titulo *Sublimitatis tuæ* salutent. Vid. Cod. lib. XII, tit. 51, legg. 6 et 18. Ed.

illum provinciæ Pasiphilum, antequam huic potestati admoveretur, fama aliqua studiorum et eruditionis floruisse, quemadmodum Symmachus, Epist. III, 50, Palladium rhetorem memorat abductum a juventute Romana in spem honoris vel officii aulici accitum ab Imperatore esse. Quod si contigerit huic Pasiphilo, certe multo ante annum 395 ei Palladius suum librum dicaverit necesse est, quo anno nempe Rector provinciæ adparet in lege. Palladius autem noster, qui *Vir illustris* in fronte librorum suorum vocatur, atque adeo summos honores Præfecti Urbis, Prætorii, aut Magistri Officiorum gessit, non videtur hos libros inter strepitus et occupationes istorum magistratuum scripsisse, sed quum se, depositis iis, otio et ruri et agricolationi dedisset. Si igitur auctor librorum de Re rustica unus e Præfectis vel Magistris Officiorum fuit, quærendus is certe inter magistratus est, qui temporibus Valentiniani, Valentis, Gratiani, aut Theodosii M. fuerunt. Et Palladius quidam, ut Gothofredus in Prosopographia Codicis Theod. ostendit, Magister Officiorum sub Theodosio circa ann. 381, lib. X, lege 3 tituli 24 Cod. Theod. memoratur. Sed hic in aula Constantinopolitana vixit, nec Italiam adtigisse videtur, in qua Palladius, auctor Rei rusticæ, vixit. Et quis scit, utrum hic auctor omnino inter Palladios antiquitus memoratos, an potius inter Tauros, vel Æmilianos, quæ ejusdem sunt nomina, quærendus sit? Æmilianum verum propriumque auctoris nostri nomen esse, quia ultimum, atque sic eum a Cassiodoro et Isidoro Hispal. vocari, docet Sirmondus in notis ad Sidonium, pag. 4. Et Æmilianum Præf. Præt. sub Constantino M. alium Magistrum Officiorum et Præf. Urbi Constantinop. in legibus memorari video, quorum tamen sive ætas sive locus non satis convenire scriptori nostro videtur. Alius forte Nostrum sub Tauri nomine in antiquitate adparere putet. Sed neque Taurus, qui sub Constantio et Juliano Præfectus Præt. per Italiam fuit, neque ille qui sub Theodosio jun. anno 434 Præfectus

Præt. Orientis, apti esse ætati et personæ nostri Palladii videntur. Circumspectis igitur rebus omnibus, quæ ad illustrandam Palladii nostri memoriam adhiberi possunt, fatendum omnino est, nullum satis certum in antiquitate indicium reperiri, quo ætas ejus et vitæ conditio declaretur, quamquam probabile est, eum temporibus Valentiniani aut Theodosii sen. scripsisse. Carmen ejus de Insitionibus hac ætate dignissimum est, quod sane Palladius non tam faventibus et hortantibus Musis, quam Columellæ imitandi studio suscepisse videtur, ut quemadmodum ille operis sui rustici partem *de Cultu hortorum*, ita ipse de opera aliqua hortensi, *de Insitione*, versibus perscriberet. Post brevem præfationem, qua tum Pasiphili erga se studium prædicat, tum artis inserendi utilitatem commendat, diversa insitionum genera perstringit, et reliquum carmen in perpetua enumeratione arborum, quæ inseri, et quibus aliarum surculis, possint, consumit. In qua quidem mirari licet copiam et varietatem imaginum, qua auctor pingere insitionis opus, et rem eamdem toties recurrentem aliter atque aliter enuntiare valuit; subinde tamen adfectasse et constipasse metaphoras videtur, eoque orationem reddidisse obscuram, quæ et alias verbis impedita, et nonnullis sæculi vitiis inquinata est. Cæterum genera insitionum, quæ Palladius atque alii Veterum tradunt, an etiamnum hodie cognita atque usu probata sint, de eo nunc non disputo, nec quærere in adnotatione mea ad Palladium animus fuit. Monuit Heynius V. C. ad Virg. Georg. II, 69, nostros homines, qui hac in re aliquid se videre putent, negare omnia fieri posse, Columellam tamen contra antiquos, qui idem negarint, disputare, rationemque ostendere, qua possit omne genus surculi omni generi arboris inseri. Qui carmen Palladii seorsum, et a reliquis ejus libris separatum ediderint, præter Andream Rivinum, cujus Collectionem supra memoravi, nominare possum Mich. Maittarium, *Operum et fragm. veterum Poet. Latin.* vol. II, p. 1267, et auctorem *Collectionis Pisaurensis omnium poem. et fragm.*

Lat. tom. IV, p. 126. Maximam ejus carminis partem repetiit Antonius Mizaldus in *Historia Hortensium quatuor Opusculis methodicis contexta*, edita Coloniæ Agripp. 1577, in-8. Ubi Opusculi secundi, quod *Insitionum artem proponit*, cap. 7, pag. 223, Palladii de Insitione præcepta recenset, ita tamen, ut ordinem capitum, qui in vulgatis editionibus est, mutet, et arbores nonnullas, de quibus agere Opusculo primo non placuerat, plane omittat. Nam insitio *vitis*, *siliquæ*, *pistacii*, et *castaneæ*, cum præfatione et epilogo, hic desiderantur. Singularem etiam commentatorem liber Palladii de Insitione olim nactus est, Codrum, Grammaticum Bononiensem, cujus commentaria in antiqua Rusticorum editione Regiensi, 1496, et in Juntina 1521, exhibentur, a Gesnero autem cum selectu repetita sunt. Ego in recensendo interpretandoque hoc opusculo eamdem, quam in Columella, rationem tenui. Selectas doctorum virorum adnotationes, ubi satis commodæ viderentur, adhibui, reliqua meo judicio usus persequutus sum.

De Vomani *laudibus Hortuli* statim adscribam verba Burmanni, qui carmen illud produxit Anthol. Lat. lib. III, ep. 51. « Egregium, inquit, hoc carmen exhibet Pithœus, lib. II, p. 72, et Scaliger in Catal. p. 176 : sed in ejus editione Gallicana Lugdunensi, p. 181, sub titulo, DE LAUDIBUS HORTULI, INCERTI AUCTORIS, sub nomine VOMANI etiam edidit Rivinus in Poemat. vet. post Palladium in fine, et *Pelletier* in Comite Rustico, pag. 208, v. Christii Excurs. ad Villaticum, p. 272. *Vomano* quidem tribuit codex Petavianus, sed titulum DE LAUDIBUS HORTULI omittit. DE LAUDE HORTI ASMENUS in cod. Thuaneo : HORTULUS sine auctoris nomine in utraque Aldina Catalectorum editione, p. 68 : P. VIRG. MAR. HORTULUS in edit. Catalect. Virg. Vicetina, Brixiensi, et Veneta, et ab hoc carmine Epigrammata Virgilii incipiunt in edit. Pulmanni p. 373. » Hæc Burm. Sigillatim inter P. Virg. Maronis Opuscula de Re hortensi, sub titulo HORTULUS a Jodoco Willichio editum esse, supra indicavimus in princi-

pio hujus Proœmii. In quibusdam codd. MS Lyomannum vel Liomarum pro Vomano vitiose scriptum esse, observavit Burmann. ad Anthol. II, 160. Rectius aliquando *Vovianus* dici videtur, in libris manu exaratis. Sed Vomanus usu tritius nomen, quia etiam fluvius Piceni Vomanus, cujus meminit Silius Ital. VIII, 439 : « statque humectata Vomano Hadria». De ipso Vomano, qui homo, et qua ætate fuerit, nihil fere constat, nisi quod nomen ejus inter XII poetas Scholasticos reperitur, quorum carmina de rebus vel thematibus nonnullis certatim scripta in Pithœi collectione et Burmanni Anthologia leguntur. Sic ejus versus occurrunt inter epigrammata *de ratione tabulæ*, *in tumulum Ciceronis et Virgilii*, *de Iride*, *de imagine in unda*, *de amne glacie concreto*, *de ortu Solis*, *de Signis cœlestibus*, *de quatuor tempestatibus*. Præstantissimum eorum, quæ sub nomine ejus feruntur, carminum haud dubie est, quod nunc edimus, de laudibus Hortuli. Quamquam enim in his prædicandis vix alia ratione, quam in describendis nonnullis Naturæ phænomenis usus est, neque in iis excitatius aliquod poetæ ingenium, sed merum Grammatici artificium, vel rhetoris exercitamentum adparet, quo commoda e cultu usuque horti percipienda sigillatim atque per partes exponere conatus est; hoc ipsum tamen multo luculentius, quam in cæteris ejusmodi descriptionibus, fit, singulæque partes exquisita poetarum dictione enuntiantur, ut quamvis mera enarratio non injucunda nec inornata videatur.

Quod quarto loco posuimus *carmen de Rosis*, Petrus Burmannus, qui illud Anthol. Lat. lib. III, carm. 292, proposuit, inscripsit Incerti *Idyllium de Rosa.* Cujus rei rationes ille ampla in adnotatione subjecta reddit, qua variantes diversis in exemplaribus ejus Idyllii inscriptiones, tum varias ejus editiones, et eruditorum de auctore sententias enarrat. Quas ne ipsi necesse habeamus seorsum ac denuo recensere et repetere, integram Burmanni adnotationem hic transcriptam exhibeamus : « Maroni, inquit, tribuitur

optima hæc Elegia in antiquis Catalectorum Virgilii editionibus, præfixa hac epigraphe, PUBLII VIRGILII MARONIS ROSÆ, ut in Vicetina, Brixiensi, Veneta, Juntina, Aldina, aliisque, (ROSA in Jod. Willichii edit. Opusculorum P. Virg. Maronis de Re hortensi). In cod. Petaviano titulus est P. V. MARONIS ECLOGA DEEST ET NON FINIT: EJUSDEM DE ROSIS NASCENTIBUS ECLOGA INCIPIT: et sic in MS Vossiano, unde aliquando descripsi, PUBLII VIRGILII MARONIS DE ROSIS NASCENTIBUS ECLOGA INCIPIT. In alio Bibliothecæ Leidensis codice inveni PUBLIUS MARO DE VERE NOVO AD AMASIAM INCIPIT. A viris doctis relata est inter Ausonii Idyllia, num. XIV, p. 520 ed. Toll. et in hunc pronior, quam in Virgilium videtur Erythræus in Ind. Virgil. in *die*. Sed in antiquis ante Mariang. Accursium editionibus Ausonii, ut in Veneta 1493 per Joh. *de Cereto* excusa, aut Parmensi 1499 per Thadæum Ugoletum curata, aliisque vetustioribus non conspicitur. In Ascensiana autem an. 1513, cui Hieronymus Aleander præfuit, edita est cum hoc titulo: *Ausonii Rosæ, quæ perperam Maroni adscriptæ, ex fide vetusti codicis Auctori adsignantur.* Sed quia cæteris ejus operibus et Epigrammatibus adjunctam codices MSS nonnulli exhibent, ut notat etiam Vinetus, non magis probat, eam Ausonii esse, quam Ovidii. Pari enim ratione hunc quoque auctorem habere posset, quia in codice Juniano, qui olim V. C. Patricii Junii fuit, et quem contulit Heinsius, post Ovidii Nucem legebatur, ut testatur ad Met. lib. III, 235, vel etiam Claudiani, quia in illius codice Bononiensi hanc quoque Elegiam sub finem adjectam idem offendit Heinsius. Et ab eadem origine, quia inter poematia Virgilii in vetustis codicibus reperta fuit, poetæ principi liberaliter nimis adtributa fuit. Barthius ad Stat. Theb. lib. II, v. 231, p. 391, vulgarem sequutus opinionem, Ausonio quidem adscribit; sed sententiam suam propositurum se promittit in Dubiorum Commentariis numquam editis, eumdemque ac Copæ auctorem facit Virgilium; cui etiam adjudicat Bembus in Dialogo de Culice Vir-

gilii, p. m. 790, et Politianus in Miscellan. cap. 11. Eidem Barthio in notis ad Paulin. Petroc. lib. IV, 563, Idyllium hoc ejusdem venæ et ingenii videtur, ac Elegia de Phœnice Lactantio tributa, et utriusque fetus parentem esse Ausonium adfirmat. Sed incertum auctorem statuamus, præstat, ut jam olim Pierii Valeriani sententia fuit in notis ad Virg. Georg. lib. I, 208: « Auctor Rosæ, inquit, quæ Maroni adscribitur, quæ, cujuscumque fuerit, et docte et luculenter scripta est ». Recte igitur neque Virgilii nec Ausonii, sed Incerti titulum inscripsisse me opinor huic Elegiæ, in qua edenda, paucis exceptis, sequutus sum P. Scriverium, qui aliquot locis castigatam et interpolatam exhibuit in Animadv. ad Pervig. Vener. post Amores Baudii, pag. 446 et seqq. Encomia Rosæ apud poetas plurimos obvia. Vide præter Politian. et Barth. dd. ll. Gevart. Lect. Papin. lib. II, c. 8; Weitz. ad Pervig. Ven. p. 287, et quos laudat Barnes. ad Anacreont. Od. V ». Hæc Burmann. Ego in recensendo hoc poemate præter Burmanni, Scriverium sequuti, textum, Tollii editionem comparavi, neque minus variantium lectionum, e codicibus Msptis a Burmanno adductarum, rationem habui.

Ausonii majori carmini de Rosis quinque Epigrammata, quæ pariter de rosis nascentibus, aut de earum purpura et pulchritudine agunt, subjeci, omnia e Burmanni Anthologia repetita. Eorum pleraque nullum auctorem adscriptum habent in libris, unde sumpta sunt, unum tantum, idque quartum, Flori nomen præfert, qui mihi idem videtur esse, cujus Epigrammata, versibus trochaicis inclusa, Pervigilio Veneris subjuncta in libris veteribus reperiuntur, et a nobis recensita sunt (hujus operis tom. II, pag. 537 et seqq. Ed.) Neque me ratio fallet, credo, si statuam, eumdem Florum Pervigilii Veneris et istorum carminum de Rosis auctorem esse, quippe qui, quum in Pervigilio de rosarum incremento et pulchritudine tam multa verba fecisset, easdem singularibus carminibus celebrare satagebat, invitatus

forte ad lusum cum omine et notatione sui nominis, cui floris primarii frequentata laudatio belle respondebat. Et si propius quæramus nomen integrum, et statum, et ætatem istius Flori, non alius profecto est, quam L. Vibius Florus, C. Vibii Treboniani Galli, Augusti Lib. qui cum conjuge sua *Vibia Chelidone* in antiquo lapide Gruteri, p. 1114, n. 3, memoratur, atque ad nomen uxoris suæ in Pervigilio, v. 90, manifeste adludens, ipsam Chelidonem auctorem ejus carminis esse haud obscure significavit, sed latere eamdem sub nomine suo voluit. Latius hanc sententiam explicavi (huj. op. tom. II, pag. 503, in nota ex Addendis Wernsdorfii adducta. Ed.), cujus momenta quo sæpius expendo et considero, hoc graviora mihi propensioraque ad adsensum et fidem esse videntur. Sit igitur L. Vibius Florus etiam carminum minorum de Rosis auctor.

Quæ sub num. V uno quasi fasce complexus sum, carmina minora *de Hortorum et Ruris amœnitate*, eorum auctores quia ignoti sunt, satis habui editiones, quoties et a quibus factæ sint, plerumque in prima ad singula Epigrammata adnotatione, e Burmanni relatione, indicare. Unum ex his, sub num. quinto exhibitum, *De donis a Lesbia missis*, Alcimi auctoris nomen præfert. Ejusdem aliud amatorium subsequitur apud Burmannum numero CCXII. Si forte Alcimi nomini conjunctum fuerit Aviti, sicut in Alcimo Ecdicio Avito, Episcopo Viennensi sæculi V, fuit, adscribenda æque huic Alcimo Adlocutio sponsalis esset, quæ sub Aviti nomine exstat, et a nobis (huj. op. tom. III, p. 406. Ed.) proposita est, haberemusque adeo in eo Alcimo poetam, qui Musam suam amaverit in lusibus amatoriis exercere. Sed vero et serium, nec minus elegans, sub Alcimi nomine Epigramma *de Virgilio et Homero* legitur Anthol. Burmann. lib. II, ep. 177, quod quia ejusdem auctoris censeo, ut comparari possit, integrum adpono:

Mæonio vati qui par aut proximus esset,
Consultus Pæan risit, et hæc cecinit :

Si potuit nasci, quem tu sequereris, Homere,
Nascetur qui te possit, Homere, sequi.

Neque minus aliud, *de Operibus Virgilii* inscriptum, Alcimo e vetustæ membranæ fide tribuit Barthius, Advers. XIX, 24, quod Anthol. Burm. lib. II, ep. 173, sic legitur:

Mæonium quisquis Romanus nescit Homerum,
Me legat, et lectum credat utrumque sibi.
Illius immensos miratur Græcia campos,
Ast minor est nobis, sed bene cultus ager.
Non pastor, miles, nec curvus deerit arator.
Hæc Graiis constant singula, trina mihi.

Si quis horum Epigrammatum genium et elegantiam consideret, comparetque cum eo Alcimi, quod inter Hortensia posuimus, in istis pariter atque in hoc simplicem aliquam venustatem et melioris ævi notam animadvertet. Neque igitur, unius hæc omnia auctoris esse, facile quis ambigat, et talis quidem auctoris, qui vel ipse meliore ætate vixerit, vel ingenium suum arte, studio, imitatione ad meliorum antiquiorumque exempla conformarit. Et quidem in antiquo monumento apud Gruterum, pag. 312, n. 5, Serv. Sulpicius Aug. Lib. Alcimus occurrit, quem Galbæ Imperatoris Libertum fuisse ex nomine conjicio, atque adeo Vespasianorum ætati adsignandum puto. Sed quominus eum auctorem carminum propositorum fuisse suspicer, vita et officium ejus in lapide memoratum intercedit. Nam æedituus Isidis Pelagiæ fuisse, et annos X æedituasse dicitur, cujus sane muneris ea ratio est, ut ingenii per artes excolendi, Musisque litandi facultatem et locum vix concedat. Malo igitur alium, sequioris ætatis quidem, sed rhetoricæ professionis, Alcimum huc vocare, quem Sidonius Apollinaris ut virum eloquentem laudat, et lib. VIII, Epist. XI, significat instructionem rhetoricam apud Nitiobriges in Aquitania (1) magna

(1) Qui Nitiobriges apud Cæsarem, Strabonem, Ptolemæum sunt, hodie vulgo Aginnenses a sua metropoli Aginno, Ptolemæo cognita, vocitantur, ut adnotat Vinetus ad Auson. Prof.

cum existimatione dedisse, alioque loco (lib. V, Epist 10) in catalogo plurium oratorum fortitudinem Alcimi, h. e. vim dicendi, ad ejus nomen adludens, prædicat. Neque alius est *Latinus Alcimus Alethius*, Rhetor, quem Ausonius inter Professores Burdigalenses, carm. II, insigni elogio condecorat. Ætatem ejus designat Hieronymus, qui in Chronicis ad A. C. 360 scribit: *Alcimus et Delphidius Rhetores in Aquitania florentissime docent*, neque Sidonius de eo aliter, quam de pridem defuncto et se antiquiore loquitur. Solebant autem Rhetores, eloquentiam profitentes, una poesi studere, et lectione imitationeque poetarum exerceri. In utraque excelluisse Alcimum, luculente testatur Ausonius:

Palmæ forensis, et Camenarum decus,
Exemplar unum in literis,
Quas aut Atheuis docta coluit Græcia,
Aut Roma per Latium colit.

Atque hæc ipsa laus, ei tributa ab Ausonio, Græcæ Romanæque eruditionis, haud levi documento adprobat, esse omnino hujus Alcimi carmina, quæ proposuimus. Quæ enim Homerum cum Virgilio, Græcos poetas cum Latinis, tam acute scienterque contendunt, quid aliud, quam auctorem produnt, in Græcis Romanisque literis versatissimum. Neque alia duo Alcimi carmina, quæ lascivius argumentum tractant, indigna eo Rhetore putanda sunt. Minime enim Professoribus eorum temporum pudori fuisse, Musam suam subinde lusibus ejusmodi adcommodare, vel solum exemplum Ausonii, Professorum non ultimi, doceat. Et si puellam, cujus dona laudat in carmine, Lesbiam nominat, suspicor hoc eum more Gallorum Rhetorum fecisse, quibus solenne hoc nomen in puellis elegantibus designandis fuisse videtur. Sic enim Marius Victor, Massiliensis Rhetor, in carmine ad Salmonem, v. 60:

Si gravis ignotis processit Lesbia gemmis.

Hæc sufficere arbitror indicia, ad carmina, quæ Alcimi

præfixum nomen in Anthologia Lat. habent, Alcimo Alethio, qui ab Ausonio et Sidonio Apollin. laudatur, vindicanda. Quæ deducere paullo diligentius volui, ut morem meum sequutus, data hac occasione, veteris ævi poetam, minus adhuc cognitum, notiorem nostris hominibus facerem, et quæ ei debentur carmina, pauca licet et parva, indicarem et producerem. De reliquis, quæ cum Alcimi carmine hac classe proponuntur, nullo auctoris nomine insignita, nihil habeo præfari. Produxi omnia ex Anthologia Lat. Burmanni, cujus etiam adnotationibus criticis, et varietate lectionis adducta, ubi opus est, utor, interpretatione verborum, cujus ille raro habere curam solet, plerumque solus fungor.

NOTÆ

CODICUM MSS ET EDITIONUM COLUMELLÆ ET PALLADII, QUIBUS USUS EST GESNERUS.

A. Editio Aldi, 1514.
B. Bononiensis, 1494.
Gy. Jo. Gymnici, Coloniæ, 1536.
Gr. Gryphii, Lugdun. 1541.
J. Jensonii Venetiis, 1472, edit. pr.
J. J. Juntarum, Florentiæ, 1515 et 1521.
H. Basileensis apud Hervagium, 1535.
L. Codex Lipsiensis Columellæ.
P. vel Pol. collatio Ang. Politiani.
R. Editio Regiensis, 1496.
St. Rob. Stephani. Paris. 1543.
Sa. Codex Sangermanensis Columellæ.

Accedunt:

Arg. Argentoratensis Columellæ de Cultu hort. cum Cœna Baptistæ Fieræ.
D. vel Dem. Codex Demidovianus Columellæ, cujus variantes dedit Chr. Fr. Matthæi in Lectt. Mosq.
R. Rivinus, in Collectione carminum de Re herbaria.

L. JUNII MODERATI COLUMELLÆ

DE

CULTU HORTORUM

CARMEN*

AD

PUBLIUM SILVINUM.

(LIBRORUM DE RE RUSTICA DECIMUS.)

Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo,
Atque ea, quæ quondam spatiis exclusus iniquis,
Quum caneret lætas segetes, et munera Bacchi,

* *De Cultu hortorum ad Publium Silvinum* inscripsit Rivinus, qui seorsum edidit. Addidi *Carmen* e codice Demid. qui sic inscripsit : « L. Juni Moderati Columellæ de Cura hortorum carmen incipit feliciter ». In fine tamen ejus libri sic : « L. Juni Moderati Columellæ Rei rusticæ Cepuricus de Cultu hortorum liber XI explicit feliciter ». Sic etiam cod. Sangermanensis.

2. In edit. Argent. hic versus plane desideratur. — *Spatiis exclusus iniquis*. Notissima sunt verba Maronis, Georg. IV, 147. In cujus nonnullis codicibus perperam *diselusus* legitur, ut vel ex hoc loco Columellæ constat. Recte autem *iniqua* angusta ex Æneide interpretatur Servius. Barth. Advers. I, 2.

3. *Quom* J. B. R.—*Quum caneret lætas segetes*. Describit libros IV Georg. Virgilii, et argumenta singulorum ex ordine recenset, exprimitque verbis ab ipso Virgilio in principio cujusque libri adhibitis.

Et te, magna Pales, nec non cælestia mella,
Virgilius nobis post se memoranda reliquit.
Principio sedem numeroso præbeat horto
Pinguis ager, putres glebas resolutaque terga
Qui gerit, et fossus graciles imitatur arenas.
Atque habilis natura soli, quæ gramine læto
Parturit, et rutilas ebuli creat uvida baccas.
Nam neque sicca placet, nec quæ stagnata palude

4. *Celestia* J. B. R. J. J. *cælestia* H. A. Gr. G. Dem. Riv.—*Cælestia mella.* Simpliciter *cælestia* dicit mella, quæ Virgilius explicatius, Georg. IV, 1: « aerii mellis cælestia dona ». Itaque *cælestia dona* ille interpretatus videtur, quæ cæli vel aeris munus sunt, quemadmodum pluviæ dicuntur *cælestes aquæ.* Caussam ejus adpellationis profert Seneca, Epist. LXXXIV: « Apud Indos mel inveniri, ... quod ros illius cæli gignit ». Latius hoc deducit Plin. Hist. Nat. lib. XI, c. 12, s. 12.

6. *Nummoso* vir doct. in ed. Ald. —*Numeroso horto*, qui amplus sit, multiplex areis et plantariis, plurium generum herbis et arboribus consitus. Explicavi olim ad Sal. Bassi carm. in Pis. v. 125.

7. *Glebæ* Sa. *resolutaque terra* P. Sa. Dem.—*Resolutaque terga*, mollia, laxa, tenera, Virgiliano verbo, Georg. I, 44: « Zephyro putris se gleba resolvit ». Et Noster infra, v. 90: « Putria matuti solvantur ut ubera campi ». — Ut *putres glebæ* sic et *putris arena* dicitur in Epitaph. Alexandri, Anth. II, 16: « Abscondit tantum putris arena virum », ubi male quidam legunt *turpis;* et vid. Anth. III, ep. 65, v. 2. Ed. — *Terga* de omni superficie et summo cespite agri Maro usurpat. Vid. Georg. I, 97; II, 237. Alii poetæ Græcorum more etiam de mari, fluviis, montibus et tumulis, præcipue Avienus in Descr. Orb. et Or. mar. cujus loca indicavi in Indice.

9. *Soli est, quæ gramine* conj. vir doct. Pro *quæ* Dem. habet $\bar{q}$, post *q* deleta una litera, unde *qua* significari puto: *gramina læta* conj. Ursinus: *lecto* mavult Barth. Adv. I, 2, quia non de quovis loquitur, sed electili, ut patet, quum mox ebulum nominat.

10. *Ebulus creat humida* L. *ebulus* quoque cod. Dem. habet in margine, a manu prima, quamvis *ebuli* in contextu exstet: *bacchas* B. R. *baccas* L. Gy. Sa. D. — *Et rutilas ebuli creat uvida baccas.* Virgilii est Ecl. X, 27: « Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem ». Ebulus Linn. Sambucus ebulus, *Attich*, *Krauthollunder.* Ebulus autem ex multis aliis fruticibus hic nominatur, quia ille uvidi fecundique soli indicium est.

11. *Sed nec stagnata* Sa.—*Stagnata palude. Stagnare* dicitur, quod perpetuum laticem subjicit, irremisso fonte prosultans. Virg. Georg. IV, 287: « Qua Pellæi gens fortunata Canopi Adcolit effuso stagnantem flumine Nilum ». Barth. Advers. XXXVII, 7. Aptius huc referatur iisdem fere verbis usus Ovid. Met. XV, 269: « Quæque sitim tole-

Perpetitur querulæ semper convicia ranæ.
Tum quæ sponte sua frondosas educat ulmos,
Palmitibusque feris lætatur, et aspera silvis
Achrados, aut pruni lapidosis obruta pomis
Gaudet, et injussi consternitur ubere mali:
Sed negat helleboros, et noxia galbana succo,
Nec patitur taxos, nec strenua toxica sudat;

rant, stagnata paludibus hument».

12. *Convicia* J. B. R. Riv. *convitia* Dem. Arg. et al.—*Querulæ convicia ranæ*. Schoettgenius adludi putat ad fabulosam originem ranarum ex rusticis Latonam conviciantibus, de quibus Ovidius, Met. VI, 378. Idem olim senserunt Probus et Servius Grammatici ad illud Virgilii Georg. I, 378: «Et veterem in limo ranæ cecinere querelam». Ego vero malim accedere sententiæ Duumvirum Goettingensium celeb. Gesneri quidem, qui ad etymon potius, q. d. *convocium*, in Columella respici existimat, absque notione injuriæ; et Heynii, qui in verbis Virgilii contendit simpliciter inesse notionem clamoris continui semperque ejusdem. Paria ipse notavi ad Sal. Bassi vs. 258 de cicadis: «Stridula quum rapido faciunt convicia soli».

15. *Aclaradis* P. Dem. *Achrodos* G. *Achradis* L. Sa. *Arcadis* Dem. in marg.—*Silvis Achrados. Achras* pirus silvestris. Plenius Noster, lib. VII, 9, 6, *achrades piros* nominat. — *Pruni lapidosis pomis*, quæ intus habent nucleos, qui alias Latinis lapides dicuntur. Sic *lapidosa corna* dixit Virgilius, Georg. II, 34, cujus baccæ etiam habuere duos nucleos. SCHOETTG.

16. *Injussa* P. et Sa. *in jussu* Dem. — *Injussi* naturalis, ut contra jussum, quod manu inducitur. Infra hoc libello: «Tum jussi veniant declivi tramite rivi». BARTH. XXXVII, 7. Virgil. Georg. I, 55: «injussa virescunt Gramina». — *Consternitur ubere mali*, i. e. oppletur, integitur. Sic Virg. Æn. IV, 444: «alte Consternunt terram concusso stipite frondes». Exprimit auctor hoc verbo eximiam fecunditatem soli, quod tanta copia fructus pariat, ut iis decidentibus terra oppleatur. Hinc *ubere* positum pro copia.

17. *Sed necat* P. D. *cleboros* Jens. *elleboros* D. *heleboros* R. *carbasia succo* P. *carbasa suco* Sa. *suco* D.— *Negat* ferre amara et noxia, ut helleboros, galbana, taxos, quoniam hæc malignitatem soli indicant, quamvis et alia minus utilia, ex nimia soli luxuria, ferre possit. De helleboro omnia nota.— *Noxia galbana succo*, quod ad succum adtinet. Nam fumus galbani non noxius, sed admodum proficuus est, præcipue etiam apibus, quod e superiore libro constare potest. SCH.— De fumo galbani accensi abigendis serpentibus idoneo egi ad Calpurn. V, 89.

18. *Strenua toxica* adludunt ad vim perimendi, unde et dicta sunt Dioscoridi τοξεύματα. Scholiastes Nicandri Alexipharmacis: τοξικὸν δὲ καλεῖται τὸ τοιοῦτον φάρμακον· διὰ τὸ ὁμοίως τοῖς τοξεύμασιν ἀναιρεῖν. Eo respexit Columella. BARTH. I, 2.

Quamvis semihominis, vesano gramine feta,
Mandragoræ pariat flores, mœstamque cicutam,
Nec manibus mites ferulas, nec cruribus æqua
Terga rubi, spinisque ferat paliuron acutis.

19. *Semihominis.* Ita vocatur mandragora, quia radix ejus inferiorem partem hominis repræsentat, crura scilicet et pedes. Bodæus a Stapel ad Theophrasti Hist. Plant. VI, 2, p. 584. SCHOETTG.—*Vesano gramine feta Mandragoræ.* Ad vim ejus herbæ pertinet, cujus succum vel præsentibus venenis adnumerant medici veteres, Aetius, Paullus Ægineta, Cœlius Aurelianus. BARTH. XXXVII, 7.—Mandragoræ vis inprimis soporifera perhibetur, sive, ut Frontinus, Strateg. II, 5, 12, exprimit, *inter venenum ac soporem media.* Cæterum verba *vesano gramine* minime referenda puto, ut Barthius fecit, ad *Mandragoræ*, quasi mandragoras sit gramen vesanum; sed *vesanum gramen* mea sententia est improbe crescens et luxurians, et terra dicitur *vesano gramine feta*, quæ multis variisque graminibus exuberat. *Vesanus*, *insanus* de rebus immodicis et magnis dicitur, sicut *salubris* de mediocritate. Exemplis docet Barth. ad Stat. Theb. I, 366. — *Fœto* Dem. sed ultimæ syllabæ inscripta est litera *u*, quasi sit *fœtu*.

21. *Æqua* P. H. Gesn. idque volebat Ursin. *æque* Riv. et al. *æquæ... rubi* volebat Barth. Buchn. et Heins. ad Ovid. Met. I, 109: *mites* et *æqui* placuit Statio, Theb. IV, 2, ut hic observat Buchn.—*Nec manibus mites ferulas.* Ferula manibus infesta sub imperio pædagogorum. BARTH. I, 2.—Hinc a Nostro infra v. 118 *ferulæ minaces* dici videntur. Alii clarius. Martial. X, 62: « Ferulæque tristes, sceptra pædagogorum ». Juvenal. I, 15: « Et nos ergo manum ferulæ subduximus », hoc est, Et nos in disciplina ludimagistri fuimus, et manum ferulæ præbere coacti, illam metuentes sæpe subduximus. Quomodo et alibi Juvenal. VII, 210: « metuens virgæ jam grandis Achilles Cantabat patriis in montibus ».

22. *Tela rubi* tentat Barth. Adv. I, 2; iterum *regna*, quod tamen ipse audacius putat. Aliter ille ad Claudian. p. 1018, ubi pro *terga* legi vult *serta*.—*Nec cruribus æqua Terga rubi. Terga rubi* dicuntur, credo, de connexis inter se et implicitis fruticibus, quæ vellere quasi quodam et tergore telluris partem obducunt, ut vs. 7 de cespite. GESN.—Sed sic *terga* non *rubi* erunt, sed telluris, quæ rubis obducta est. Ego *terga* a poetis dici arbitror de quavis exteriore et prominente parte rei. Quem usum bene adprobat locus, quamvis spretus a Barthio, Virg. Georg. II, 271, quo terga arbori tribuit: « quo quæque modo steterit, qua parte calores Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi ». Pariter *adversum dorsum* arboris vocat Valer. Flacc. VIII, 111. Rubi non spinis intra frutices latentibus, sed quæ exteriore in parte exstant et prominent, crura prætereuntium pungunt. Ergo *terga rubi* dicenda erant. *Non æqua* terga sunt iniqua et molesta cruribus, quod sæpe de rubis

Vicini quoque sint amnes, quos incola durus
Adtrahat auxilio semper sitientibus hortis:
Aut fons illacrymet putei non sede profunda,
Ne gravis hausturis tendentibus ilia vellat.

poetæ. Tibull. IV, 3, 10: « furtim latebras intrare ferarum, Candidaque hamatis crura notare rubis ». Calpurn. III, v. 5: « Jamdudum et nullis dubitavi crura rubetis Scindere ». — *Paliuron*, fruticis spinosi genus. Eodem modo, ac Noster, loquitur Sedulius, I, 262: « purpurei neu per violaria campi Carduus et spinis surgat paliurus acutis ». Uterque sumpsit e Virgilio, Ecl. V, 38: « Pro molli viola, pro purpureo narcisso Carduus et spinis surgat paliurus acutis ». Schoett.

23. *Vicini quoque sint amnes.* Quæ sequuntur de horti situ et aqua vicina, hæc a Columella sumpta repetiit Plinius, XIX, 4, s. 20: « Hortos villæ jungendos non est dubium, riguosque maxime habendos, si contingat, præfluo amne: si minus, e puteo rota, organisve pneumaticis, vel tollenonum haustu rigandos ».

24. *Adtrahat auxilio.* Virgilius, Georg. I, 106, dicit « fluvium inducere, rivosque sequentes ». Auctor Moreti, vs. 71: « Vicinosque apte cura summittere rivos ».

25. *Aut fons illacrymet.* De rigatione loquitur, ab aqua fontana, manu facta. Lucretium videtur imitatus, de Rer. Nat. I348: « In saxis et speluncis permanat aquarum Liquidus humor, et uberibus flent omnia guttis ». — *Puteus* fossam ipsam fontis notat, quam non profundam esse vult, ne haurientes laborent extrahenda aqua. — *Sedes* locum depressum notat. Virgilius Culice: « Ima susurrantis repetebant ad vada lymphæ, Quæ subter viridem residebat cærula muscum ». Barth. I, 2. — Sic etiam Gratius, Cyneg. 434: « subter eunti Stagna sedent ». Et fonti *illacrymanti* similis est locutio *molli stilla lacus* in Petronii fragm., quod vid. t. III. Ed.

26. *Ne labor* vir doct. in ed. Ald. *hausuris* P. L. D. *Ne latus hausturis* legit Savaro ad Sidonium, p. 321. Sed J. Fr. Gronovius ad Livium, XXIV, 34: « Ne gravis hausturo tolleno tibi ilia vellat », quo loco *tollenonem* pluribus vindicat. Gesn. — *Tendentibus ilia vellat.* Ptolem. Flavius (Conjectan. cap. 92) et alii emendant *hausturis tellonibus*, quum in priscis editionibus sit *tollentibus*. Ego vero vetustissimam earum, quas vidi, *tendentibus* præ se ferentem, sequendam arbitror. *Tendunt* enim hausturi ilia, eo magis, quo altior puteus est. Ut et alii, qui magno conatu quid faciunt. Silius, lib. V, 256: « Subsidens ilia nisu Conantis suspensa fodit ». Haurientis autem eisdem verbis descriptionem apud elegantissimum scriptorem Terentianum habes, his versibus: « Nil magnum gerere hunc putes, Et tantum in digitis opus: Cunctis visceribus tamen Occultus trepidat labor; Cæcis flatibus intimi Tenduntur laterum sinus, Et poples tremit et genu ». Ubi vides maximum laborem esse, quem merito cultu hortorum arcet Columella. De machinis haustoriis vide decimum Vitruvii. Barth. I, 2.

Talis humus vel parietibus, vel sepibus hirtis
Claudatur, neu sit pecori, neu pervia furi.
Neu tibi Dædaleæ quærantur munera dextræ,
Nec Polycletea, nec Phradmonis, aut Ageladæ
Arte laboretur: sed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.
Ergo age nunc cultus, et tempora quæque serendis
Seminibus, quæ cura satis, quo sidere primum
Nascantur flores, Pæstique rosaria gemment,

27. *Sepibus hircis* Arg. — *Sepibus hirtis*, nt infra v. 374 dicitur *hirsuta sepes horrida rusco.*

28. *Ne fit* Sa. quod rectum videtnr: *ne ut* Dem. *pervia pluri* L.

29. *Dedaleæ* Steph. *Dedaliæ* Dem. *Dædaliæ* Sa.

30. *Polyelytea* P. *Paloclitea* L. *Polyelitea* Dem. *vel Phradmonis* J. R. *Fragmonis* R. *Phragmonis* ante Vict. Arg. Dem. Riv.—*Phradmonis aut Ageladæ.* Opera Phradmonis et Ageladæ et Polycleti et Dædali non quærant rustici, sed locent in medio horto imaginem Priapi in trunco expressam, ut etiam monet Tibullus, quum ait: « Pomosisque ruber cnstos ponatur in hortis, Terreat et sæva falce Priapus aves ». Columella non Priapum, sed honestiore vocabulo *Ithyphallum* nominat. Pompon. — Agelades et Phradmon nobiles statuarii et plastæ memorantur a Plinio Hist. Nat. XXXIV, 8, s. 19. Nonnulla eorum opera laudat Pausanias. Dædali et Polycleti nemini non nota nomina.

31. *Trunco falce dolato* vir doct. in Ald.—*Truncum forte dolatum*, temere et nullo artificio politum. Sic Horatius *fortuitum cespitem* vocat. Et illa *Priapi mentula sine arte*, quæ in Catullo est, huc pertinet. Fruterius Verisimil. 2, 19. (Auctor Culicis, vs. 85: «Deus non arte politus». Cæterum male *falce* pro *forte* legatur, quia recurrit vs. 34. Ed.) Schoettg.—Optime hunc truncum forte in Priapum formatum describit Horat. Serm. I, 8, 1: « Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum », et quæ porro. Ex ipso stipite et ramo arboris vetustæ exsculptum Priapum sistit gemma antiqua apud Gorlæum Dactyl. num. 8.

32. *Ithiphalli* R. *Priapi* ant. Pol. Sa. Dem. *Triphalli* novus Pol. *Trifalli* L.

37. *Pestisque* D. *festaque* Sa. —*Pæstique rosaria.* Pæstum urbs est Lucaniæ ad mare, circa quam bis in anno rosæ nascebantur, unde *biferique rosaria Pæsti* apud Virg. Georg. IV, 119. Inde *Pæstanæ rosæ* pro optimis seu κατ' ἐξοχὴν pro rosis: *rosaria* et *roseta Pæstana.* Ovid. Met. XV, 708, » tepidique rosaria Pæsti ». Ennodius, Carm. IX, 146: « Pæstanis pariter depingit terga ro-

Quo Bacchi genus, aut aliena stirpe gravata
Mitis adoptatis curvetur frugibus arbos,
Pierides tenui deducite carmine Musæ.
Oceani sitiens quum jam Canis hauserit undas,
Et paribus Titan orbem libraverit horis,
Quum satur Autumnus quassans sua tempora pomis,

setis ». Et *ars Pæstana* pro hortorum et florum eultura apnd Strabnm Gallum in Hortulo, præfat. vs. 2: « si quis Pæstanæ deditus arti ». Schr.—*Gemment*, floreant, in gemmæ modum splendeant. Virgil. Culice, vs. 69: « Florida quum tellus gemmantes pieta per herbas, Vere notat dulei distincta coloribus arva ». Schr. Infra vs. 258: « Jam Phrygiæ loti gemmantia lumina promunt ». *Gemmeos flores* dieere videtur auetor Pervig. Ven. 13: « Ipsa gemmeis purpurantem pingit annum floribus ».

38. *Alieno* L. et MS apnd Heins. ad Virg. Æn. XII, 781.

39. *Adoptatis curvetur frugibus.* *Fruges* pro fruetibus, ut Calpurn. VIII, 67: « omnique ex arbore fruges ». *Adoptatis* pro insitis. Ovid. Remed. v. 195: « Venerit insitio; fac ramum ramus adoptet, Stetque peregrinis arbor operta comis ». Palladius de Insit. v. 20: « Quæ quibus hospitium præstent virgulta docebo, Quæ sit adoptivis arbor onusta comis ». *Curvetur* abundantiam pomorum exprimit. Ovid. Remed. v. 175: « Adspiee curvatos pomorum pondere ramos; Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus ».

40. *Tenui deducite carmine.* Translationem esse a texentibus, aut lanam in fila dueentibus, observat et pluribus locis probat Barthius, Adv. I, 2. Expressisse videtur Virgilii dictionem, Ecl. VI, 5: « deductum dicere carmen », i. e. tenue et pastoritium. Sed id plenius explicamus ad Maximiani, *deductam vocem* nsurpantis, Eleg. V, 105.

41. *Quum jam Canis hauserit undas,* hoc est, post oecasum Caniculæ. Quum sidera a poetis in Oceanum cadere dicuntur, pro majore ornatu Canis fingitur, quia sidus flagrantissimum, quasi sitiens ex æstu, undas Oceani haurire, potus gratia.

42. *Paribus orbem libraverit horis,* æquales dierum et noctium horas fecerit. Adludit ad Libram, signum cæleste, quod ingreditur Sol sub æquinoctio autumni. Quod disertius expressit Virgil. Georg. I, 208: « Libra die somnique pares ubi fecerit horas, Et medium luci atque umbris jam dividit orbem ». Accuratiorem hujus dietionis explanationem desiderantes adeant Heynium ad t. I, p. 281 nost. ed. Virgil. En.

43. *Quom satur* J. B. R.—*Satur autumnus*, quia fructuum terræ opulentiam adfert, ad saturitatem hominum quæsitam, ut *saturæ messes* Lucilio in Ætn. vs. 12, et *saturum rus* Persio, I, 71, dieitur. — *Quassans sua tempora pomis.* Respicit figuram Autumni eoronati pomis. Horat. Epod. 2, 17: « decorum mitibus caput pomis ». Gesn. — Sie in Epigr. de quatuor temporum pictura Autumni caput palmite cinctum est: « Indicat autumnum redimitus pal-

Sordidus et musto spumantes exprimet uvas;
Tum mihi ferrato versetur robore palæ
Dulcis humus, si jam pluviis defossa madebit.
At si cruda manet cælo durata sereno,
Tum jussi veniant declivi tramite rivi,
Terra bibat fontes, et hiantia compleat ora.
Quod si nec cæli, nec campi competit humor,
Ingeniumque loci, vel Jupiter abnegat imbrem,
Exspectetur hiems, dum Bacchi Gnosius ardor

mite vertex ». Potuit et Autumnus pomis coronatus dici, quia ineunte autumno primitiæ, pomis in coronas nexis, offerri ad signum Vertumni solebant. Propert. IV, 2: « Insitor hic solvit pomosa vota corona ».

44. *Sordibus* L. Riv. *Spumantis* D. — *Sordidus.* Ita dicitur autumnus, quia, qui uvas calcant, sordes exinde contrahunt. Ovid. Fast. IV, 897: « Venerat autumnus calcatis sordidus uvis ». In plerisque editionibus exstat *sordibus*, quod tamen emendandum. Idem Metam. II, 29: « Stabat et autumnus calcatis sordidus uvis ». Sedulius, I, 75: « Sordidus impressas calcabit vinitor uvas ». SCHOETTG.

45. *Male ferrato* L. *versentur* D.

46. *Defessa* Sa. P. *madevit* P. *defessa madescit* conj. Gesn.

47. *Manet* Dem. in textu; sed in marg. *madet.*

48. *Declivo* Jens. — *Jussi veniant rivi*, industria nostra eo deducti; vid. ad v. 16. SCH. — *Jussi rivi* dicuntur Nostro, X, 3, 10: « aqua manu illata », cui ibidem opponuntur *suæ spontis* aquæ. BUCHN.

49. *Hianti...ore* L. J. B. R. — *Hiantia compleat ora.* Sic vocat fissuras et rimas arentis terræ, quæ quasi totidem sitientis ora hiant, ad humorem, quasi potum, capiendum. *Hiantibus faucibus haurire* dixit Avienus, Or. mar. v. 17.

51. *Abneget* Dem. ultimo autem e inscriptum est *a.*

52. *Naxius ardor* J. B. R. Riv. et vir doct. in Ald. vide B. Pium. *Noxius* Lips. et D. in marg. — *Bacchi Gnosius ardor.* Est ardens corona Ariadnæ, Minois, qui rex Cretæ, ubi Gnosus urbs, filiæ, quam Bacchus inter sidera collocavit. Hujus occasum significat auctor verbis: *Æquore cæruleo celetur,* sequens Virg. qui Georg. I, 222: « Gnosiaque ardentis decedat stella Coronæ ». Quia occasum Coronæ ei tempori adsignat, quo *exspectatur hiems,* videtur in eo ponendo rationes Græcorum, et in his Democriti, secutus, quam servavit Geoponicorum auctor ex Didymo, lib. II, 14, qui Coronam ante d. XXV Novembr. occidere statuit. Quoniam vero a Virgilio æque ac Columella occasus Coronæ cum matutino occasu Vergiliarum conjungitur, atque hic non ad mensem Novembrem, sed Octobrem, pertinet, siquidem a Columella, II, 8, 1, IX Cal. Novembr. fieri dicitur, mensi Octobri vero Coronæ non occasum, sed ortum,

Æquore cæruleo celetur, vertice mundi,
Solis et adversos metuant Atlantides ortus.
Atque ubi jam tuto necdum confisus Olympo,
Sed trepidus profugit Chelas, et spicula Phœbus

adsignant Veteres, in alterutro errasse Virgilium adparet, aut laxius dierum spatium, qno Pleiades penitus occidant, quodque in Novembrem mensem conveniat, accipiendum est. Tale vero indicat Columella, XI, 2, 84: «Sexto Idus Novembris Vergiliæ maue occidunt, significat tempestatem; hiemat. Quinto Idus Novembris biemis initium». Paullo serins Plinius, lib. II, sect. 47: «Post æquinoctium diebus fere quatuor et quadraginta, Vergiliarum occasus hiemem inchoat: qnod tempns in III Idus Novembris incidere consuevit». Confer. Heynii et Vossii VV. CC. eruditæ adnotatt. super Virgilii l. c. quas ipse comparare studui.

53. *Celeretur* J. B. R. *celeriter*, et in marg. *cerulетur* Dem. *cæletur* J. J. A. G. *curvetur* Lips. *celetur* veram esse lectionem, ex Virgilii imitatione profectam, censet Heynius ad Virg. Georg. I, 222.

54. *Adverso* B. R. *athalantides* J. B. R. *Athlantides* L. D.— *Metuant Atlantides ortus.* Pleiades s. Vergiliæ, Atlantis filiæ, *metuere* dicuntur *adversos Solis ortus*, quia XI Cal. Nov. matutino tempore fugiunt cælo, h. e. occiduut, dum Sol interea ex adverso oritur. Denuo expressit Virgilium, qui pariter exercendæ terræ et serendi tempus in Pleiadum et Coronæ occasu ponit, Georg. lib. I, 221: «Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur, Gnosiaque ardentis decedat stella Coronæ».

55. *Toto* Dem. et in marg. *tuto.*— *Tuto necdum confisus Olympo.* Progressum Solis e signo Scorpii ad Sagittarium describit Poeta, ita quidem, ut dicat *fugere* eum *trepidum, necdum tuto confisum Olympo.* Hoc ille meri caussa ornatus poetici, et respectu Scorpii, de quo sermo est, noxii animalis, et chelis s. spiculis suis metuendi. Hunc transiens fugit Sol, nec tutum sibi satis cælum credit, nisi reliquerit. Fere semper hoc observant poetæ in cursu Solis et siderum situ describendo, ut simul ornatum ex natura animantis, vel figuræ, quæ signum facit, petant. Vid. Heynius, Exc. I ad Georg. IV, p. 582, t. I nost. ed. Ed.

56. *Tepidus* Jens. *chælas* L. D.— *Profugit chelas*, i. e. brachia Scorpii, quomodo et ipse Scorpius adpellatur, ut a Virg. Georg. I, 33. Et, quæ sequuntur, *dira spicula Nepæ* aculeum Scorpii significant, quo eum minitari dicit Ovid. Met. II, 199: «Vulnera curvata minitantem cuspide vidit». Et *spicula* Scorpio tribuit Ovid. Fast. V, 542. — Scorpium inter astra relatum fabulati sunt, quod Dianæ et Latonæ impulsu, Orionem ictu necaverit; unde Manil. II, 32: «pietate ad sidera ductam Erigonen, ictuque Nepam»; ubi vid. not. nostr. *Chelas* interpretatus est Ov. Met. II, 195, sqq. «Est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus Scorpius, et cauda flexisque utrimque lacertis, Porrigit in spatium signorum membra duorum». Vid. Buch. Sph. III, Man. I, 268. Ed.

Dira Nepæ, tergoque Croti festinat equino,
Nescia plebs generis, matri ne parcite falsæ.
Ista Prometheæ genitrix fuit altera cretæ:
Altera nos enixa parens, quo tempore sævus
Tellurem ponto mersit Neptunus, et imum
Concutiens barathrum lethæas terruit undas.
Tumque semel Stygium regem videre trementem
Tartara, quum pelagi streperent sub pondere Manes.

57. *Dira negat* J. B. R. Sa. D. *neget* L. *Nepe* n. P. et Gr. *tergoque eroti* D. — *Tergoque Croti festinat equino*. Solem ingredi Sagittarium dicit, quod fit XIII Cal. Decembr. Plerique hunc esse arbitrantur Chironem Centaurum, sed Columella Crotum nominat. Quem Hyginus, Astron. II, 27, et fab. 224, refert filium Panos et Euphemes, Musarum nutricis, fuisse, domicilium in monte Helicone habuisse, et cum Musis solitum delectari, nonnumquam etiam studio venationis exerceri: unde et usum sagittis, et equo insedisse: denique precibus Musarum a Jove inter astra relatum. *Crotonem* adpellat Hyginus, fab. 224, et scholiastes Germanici in Sagittario. In verbo *festinat* continuat Columella imaginem fugientis et trepidi Phœbi, qui aptum festinationis suæ vehiculum habet in tergo Sagittarii equino.

58. *Fessæ* pro *falsæ* vir doct. in A. — *Nescia plebs generis*. Postquam tempus terræ versandæ et fodiendæ poetico more eleganter circumscripsit, progreditur adloquendo agricolas hoc modo: O plebs rustica, quamvis vulgo dicatur terra mater omnium nostrum, non est, quod hanc ob caussam ei parcere velis eo tempore, quod jam descripsi, sc. ne ejus viscera ligone velis rimari, vel scrutari. Nam terra non vera, sed falsa est mater nostrum omnium. Rationem audi. Licet enim fingatur Prometheus homines e luto finxisse, tamen ex eo hominum genere nos non descendimus, quippe quod diluvio Deucalionis plane interiit. Nos autem facti sumus non ex terra, sed ex lapidibus, quos Deucalion et Pyrrha post terga projecerunt. Non est ergo, quod metuat agricola, ne terram matrem suam nimis crudeliter tractet. Sch.

59. *Promethei* a P. Sa. *Prometeæ* J. J. A. G. *Prometææ* Arg. *Crætæ* D. Arg.—*Prometheæ cretæ*, luti cretacei, e quo Prometheus hominem formasse dicitur.

60. *Altera nox* Sa. *Altera nixa parens* Dem. *sævos* D.

61. *Mersit* deest in Sa.

62 *Læthæas* Jens. *lætheas* L. B. R. D. *letheas* H.—*Imum Concutiens barathrum*. *Barathri* nomine nonnulli poetæ Græcorum more Tartara et Inferos designant, ut Val. Flaec. II, 192: « inferni sub nocte barathri ». Claudian. de R. Pr. I, 37: « Jam quæcumque latent ferali monstra barathro ».

63. *Tuncque* J. B. R. *Quumque* Buchn. *simul* J. B. R. *tum quæ semel Stygium* Dem.

Nos fecunda manus viduo mortalibus orbe
Progenerat, nos abruptæ tum montibus altis
Deucalioneæ cautes peperere : sed ecce
Durior, æternusque vocat labor : eia age, segnes
Pellite nunc somnos, et curvi vomere dentis
Jam virides lacerate comas, jam scindite amictus.
Tu gravibus rastris cunctantia perfode terga,
Tu penitus marris eradere viscera matris

65. *Fecunda manus.* Deucalionis et Pyrrhæ, quæ jactatione lapidum novos homines producens, fecunda fuit ad genus humanum reparandum.

66. *Abruptis* Dem.

67. *Deucaleoneæ* Gy.

68. *Durusque æternusque* vir doct. *heia age segnis* D.—*Durior æternusque vocat labor.* Fabulam de hominibus e saxis natis convertit ad hortandum agricolas, ut durum subigendæ terræ laborem non refugiant. In quo ducem sequitur Virgilium, Georg. I, 60 : « Continuo has leges æternaque fœdera certis Imposuit natura locis, quo tempore primum Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem, Unde homines nati, durum genus. Ergo age terræ Pingue solum, etc. » Idem pronuntiat Ovid. Met. I, 414 : « Inde genus durum sumus experiensque laborum : Et documenta damus, qua simus origine nati ».

69. *Pellito* et versu seq. *lacerato* et *scindito* Riv. isque solus, qui forte putabat, τὸ *age* verbum singularis numeri poscere. — *Pellite nunc somnos.* Ponite inertiam, et strenue agite. Sic infra vs. 159 : « Invigilate viri ».

70. Per *comas* et *amictus* gramina, herbas, frutices intelligit, quæ superficiem terræ inaratæ obtegunt et vestiunt. Sic Claud. Bell. Get. 168 : « solutis Ver nivibus viridem monti reparavit amictum »; et « amictæ vitibus ulmi », Ovid. Met. X, 100. Utitur autem his metaphoris auctor, quia Terram quasi matrem et mulierem fingit, cujus sunt comæ et amictus, et cujus deinde *terga* et *viscera* nominat. Eamdem imaginem repetit infra v. 165.

71. *Tum gravibus*, et vs. seq. *Tum penitus* Arg. et Riv. — *Cunctantia*, h. e. morantia, quæ non nisi difficulter et lente perfodiuntur.

72. *Marris eradere* Jens. et Steph. in marg. *maria* Gryph. in marg. *elatris eradere viscera matris* Gr. St. Com. *latis eradere viscera marris* P. J. J. A. Arg. G. Riv. Gesn. et, pro *marris*, *rastris* vir doct. *marris eradere viscera matris* Sa. Dem. et al. — *Marris eradere viscera matris.* Quam hic lectionem posui, non ea solum optimorum codicum auctoritate firmatur, sed et contextu et scopo auctoris. Librarii, qui in antiqua scriptura duas voces sibi persimiles viderent, *marris* et *matris*, et alterutram suspectam putarent ; alii quidem, *marris* altero loco legentes, ei epitheton priore loco dandum censuerunt, et scripserunt

Ne dubita, summoque frequentia cespite mista
Ponere, quæ canis jaceant urenda pruinis,
Verberibus gelidis, iræque obnoxia Cauri,

igitur *latis eradere viscera marris*: alii, qui alterum *matris* retinendum putarent, tamen pro priore *marris* aliud vocabulum simile, nempe *elathris*, induxerunt. *Viscera matris* Terræ volebat dicere, qui ante jam comas, amictus et terga ejus nominaverat. Et, quod sequitur, *Ne dubita* satis clare significat, velle auctorem eo verecundiam et timorem agricolarum tollere, ne putent, viscera terræ effodiendo, injuriam Matri fieri. Et recurrit quasi his verbis ad ea, quæ superius v. 58 dixerat, *matri ne parcite falsæ*.

73. *Ne dubita*, *et summo* omnes; *summo* J. B. R. Sa. Dem. *summoque* Herv. Pius in n. et vir doct. in Ald. *summi* A. Arg et al. *frequenti* J. B. R. *frequenti et cespite* Dem. *ferventi* priscus cod. Pii: *frondenti* Lips. *frondentia* conj. Schœttgen. *frementia* Sa. *fœtentia* pro fimo Buchn. Gesnero venerat in mentem legere *et summo ferventia cespite mista*, et illud *ferventia* exponere vi verbi fermentare: *mixta* J. B. R.—*Summoque frequentia cespite mista*. Posui lectionem levissime et necessario ab Hervagio immutatam, eamdemque facillimam. *Frequentia* dicit *viscera*, ut moneat, altius regesta humo opus esse: de *summo cespite* res aperta. Gesn.—Sequutus equidem sum Gesnerum, sed nonnihil renitens. Etenim *et summo frequentia* in omnibus libris scriptis et excusis legitur, et tantum recentiores eruditi *summoque* invexerunt, ut metro satisfacerent; vid. var. lect. Sed quia *frequentia* post *summo* sequi non potest, in mendo illud esse adparet. Ergo in hoc maxime mutando viri eruditi laborarunt. Ego, si quid amplius tentandum est, velim scribere *et summo fruticantia cespite mista*, loco quodam simili Columellæ inductus, lib. III, 11, 3, ubi ait: «fruteta, et quæ suapte natura gignuntur, non penitus, nec in profundum radices agere, sed per summum terræ dispergi, atque deduci». Hæc sunt *fruticantia summo cespite mista*.

74. *Canis jaceant urenda pruinis*. Hæc περιφράζει Columella, XI, 3, 13: «Igitur solum, quod vere conserere destinaverimus, post autumnum patiemur effossum jacere brumæ frigoribus et pruinis inurendum: quippe e contrario sicut calor æstatis, ita vis frigoris excoquit terram, fermentatamque solvit. Quare, etc.»

75. *Chauri* Dem. *hauri* Pol. *tauri* L. — *Verberibus gelidis*. Ita poetis vocantur flatus ventorum vehementiores. Lucretius, I, 272: «Principio venti vis verberat incita pontum». Idem, VI, 113: «chartasque volantes Verberibus venti versant, etc.» Sch. — Ego vero hæc malim de grandine intelligere, Hor. Carm. III, 1, 29: «verberatæ grandine vineæ». Et in Priapeis malus arbor inquit: «Nec sum grandine verberata dura». — Et sic de imbre vel vento vehementiore. Vid. Brouck. ad illud Tibulli, I, 2, 7: «Janua difficilis dominæ te verberet imber», quod pulchre illustrat. Conf. et nost. Tibulli edit. pag. 17. Ed.

Adliget ut sævus Boreas, Eurusque resolvat.
Post ubi Riphææ torpentia frigora brumæ
Candidus aprica Zephyrus regelaverit aura,
Sidereoque polo cedet Lyra mersa profundo,
Veris et adventum nidis cantarit hirundo;
Rudere tum pingui, solido vel stercore aselli,
Armentive fimo saturet jejunia terræ,
Pabula nec pigeat fesso præbere novali,
Ipse ferens olitor diductos pondere qualos:

76. *Ut sævus* Sa. *et sævus* Gesn. cum aliis editoribus: *scævus* Jens. — *Eurusque resolvat*, nempe pluviis tepentibus, quas Eurus advehit. Lucan. I, 219: « Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes ». Vid. not. ad Pentadii El. de adventu veris (huj. op. t. II, p. 320. Ed.) — Pro *Adliget* Heins. conjecerat *Adgelet*, quod verbum sæpius cum altero confusum, aliis quoque poetarum veterum locis restituit in notis ad Ovid. Met. I, 548. Sed hic vulgata melior, et ipse repudiavit: uam *Adliget* et *resolvat* opponuntur, et præterea mox sequitur *regelaverit*. Ed.

77. *Rhypheæ* B. R. *Rypheæ* J. Herv. *ripheæ* Dem. *Ryphææ* J. J. A. Arg. Gr. G. St. *frigore* D. J. B. R.

78. *Zephirus* D. B. R. *relegaverit* sphalm. Junt. *auras* Sa. — *Regelaverit aura*, resolverit, tepefecerit. Seneca, Epist. LXVII: « Jam ætas mea contenta est suo frigore, vix media regelatur æstate ». Martial. XI, 8, 6: « Succina virginea quod regelata manu ». Ipse Columella sæpius utitur.

79. *Sydereoqne* A. Arg. Riv. *cædet* J. B. R. *sedet* G. — *Cedet Lyra mersa profundo*. Occidit illa III Non. Febr. Columella, XI, 2, 14. Ovid. Fast. II, 75 sq. Sch. et vid. Manil. Ed.

80. *Cantavit* Sa. D. *cantabit* vir doct. — *Nidis cantarit hirundo*. Ab adventu hirundinis sæpenumero ver describere solent poetæ. Virgilius, quem Noster perpetuo imitatur, Georg. IV, 305: « Hoc geritur, Zephyris primum impellentibus undas, Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo ». Sch. — Plura poetarum loca, quæ hirundinem, veris prænuntiam, laudant, produxi ad Avieni Descr. Orb. v. 707.

81. *Stercore aselli*. Noster, l. XI, 3, 12: « Optimum stercus est ad hunc usum asini, quia minimum herbarum creat: proximum vel armenti, vel ovium, si sit anno maceratum ».

82. *Saturet* D. J. B. et alii. Arg. G. Riv. *satures* edid. Gesn. Ego *saturet* edendum duxi, quia tertiis personis continuatur oratio, v. 86 *repetat*, 89 *contundat*, 91 *sumat*, 93 *distinguat*, etc. — *Saturet jejunia terræ*. Virg. Georg. I, 80: « arida tantum Ne saturare fimo pingui pudeat sola ».

83. Quid si *olido?* Gesn. *deductos* L. D. J. B. R. et sic volebat vir doct. *diductos* A. Arg. Riv. Gesn. et al.

Immundis quæcumque vomit latrina cloacis.
Densaque jam pluviis, durataque summa pruinis
Æquora dulcis humi, repetat mucrone bidentis.
Mox bene cum glebis vivacem cespitis herbam
Contundat marræ, vel fracti dente ligonis,
Putria maturi solvantur ut ubera campi.
Tunc quoque trita solo splendentia sarcula sumat,

diruptos a P. Sa. *qualcs* Sa. *quata* a P.—*Diductos pondere qualos*. Quali erant ex viminibus contexti; si ergo in eis aliquid imponebatur, eedebant vimina oneri et flectebantur, quod *diducere* vocat Noster. Sch. — *Spisso vimine qualos* habet Virg. Georg. II, 241. Noster infra v. 306 *distendere* dicit: « Jam rosa distendat contorti stamina junci ». Fere autem malim hoc loco cum quibusdam libris antiquis *deductos* scribere, i. e. aggravatos, depressos pondere. Grat. Cyneg. v. 299: « levis (catulus) deducet pondere fratres ».

84. *Nec pudeat* P. Sa. et Dem. in marg. quod *pudeat* e Virgilio huc tractum videtur Georg. I, 80. *Fesso* edid. Gesn. pro eo *fessum* B. R. *fisso* P. Dem. qui in marg. *fesso : secto* volebat vir doct. *præbete* B. R. — *Pabula nec pigeat fesso præbere novali*. Quia *fesso*, quod in vulgatis est, vix conveuit novali, sive horto primum instituendo, de quo sermo est, Gesnerus voluit *fisso* præferre. Ego vero cum quibusdam editionibus *fessum* malim, cum *pigeat* conjungendum, hoc sensu: Etiamsi fessus sit olitor pondere, plures qualos fimo oneratos ferendo, ne tamen eum pigeat adferre et præbere novali, quidquid immundis cloacis vomit latrina.

86. *Jam pulvis* Dem. nullo sensu.

87. *Æquora dulcis humi*. *Æquor* de planitie et superficie terræ Virg. Georg. I, 97, et Avien. Descr. Orb. 1239. *Dulcis humi*, dulci humore fecundæ, ut supra v. 46: « Dulcis humus si jam pluviis defossa madebit ».

88. *Vivacem cespitis herbam*, quæ in cespite radices egit, semperque repullulat et luxuriat.

89. *Narræ* Dem. *matre* alius : *tracti* vel *forti dente* conj. Gesn. — *Fracti dente ligonis*. *Fracti* aliter interpretari nequeo, nisi sit *valide illisi, incussi, repercussi*, quemadmodum *fracti fluctus* ad litus vel scopulum dicuntur : de qua ratione vid. Drakenb. ad Sil. III, 55. Possis etiam legere *vel frangat dente ligonis*, ut Virg. Georg. II, 400, « glebam frangere bidentibus » dicit.

90. *Et ubera* anonymus in Reg. — *Ubera campi*, glebæ pingues et ubertate fecundæ. Virg. Georg. II, 185 : « fertilis ubere campus ». Inepte Pomponius *ubera* exposuit *mammæ s. cumuli stercoris*.

91. *Trito solo* D. *tritura solum* J. B. R. et vir doct. *sumant* P. L. D. — *Trita solo splendentia sarcula*. Hausit e Virgilio, Georg. I, 45 : « Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere, et sulco adtritus splendescere vomer ».

Augustosque foros adverso limite ducens,
Rursus in obliquum distinguat tramite parvo.
Verum ubi jam puro discrimine pectita tellus,
Deposito squalore nitens sua semina poscit,
Pangite tunc varios, terrestria sidera, flores,
Candida leucoia et flaventia lumina calthæ,
Narcissique comas, et hiantis sæva Leonis

92. *Augustosque foros. Fori* proprie sunt scamna, aut subsellia navium et theatrorum. Ergo per metaphoram hoc loco illud, quod est inter duos sulcos eminens et elatum, *fori* dicuntur, non ipsi sulci, ut quidam volunt. Sen.—Ego vero malim eum Gesnero *foros* de cavis sulcorum accipere, quibus in longum et transversum ductis areæ definiuntur. De his enim nunc agi puto. Hinc *angusti* et *tramite parvo* esse dicuntur, quia tantum areis distinguendis inserviunt. *Adverso limite fori* dicuntur *duci*, quando ducuntur et porro aguntur in longum, ita ut progrediendo glebæ sternantur sarculo, quæ adversæ et obviæ sunt.

93. *Rursus in obliquum. Wiederum in die Breite*, ut interpretatur Vossius ad Virg. Georg. I, 98, cujus e versibus etiam hic locus Columellæ expressus, ejusque sensus capiendus est: « Et qui, proscisso quæ suscitat æquore terga, Rursus in obliquum verso prorumpit aratro ». — *Destinguat* Arg.

94. *Petita tellus* L. vid. ad v. 149. — *Puro discrimine pectita tellus*. Est illa, quæ rastri dentibus, quasi pectine, polita est ac discriminata. *Puro discrimine*, ita ut terra inter discrimina illa etiam ab herbis succrescentibus purgata sit: quod significat infra v. 149: « ferroque bicorni Pectat, et augentem sulcis exterminet herbam ». Pectine proprie discrimen agi dicitur in coma, ante implexa et confusa. Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. v. 103: « hæc morsu numerosi dentis eburnu Multifidum discrimen arat ». Ab eadem metaphora pexi capilli ductum puto, quando terra exculta *composita* et *compta* dicitur. Notavi hoc ad Avien. Descr. Orb. vs. 663 et 1239.

95. *Squallore* edid. Gesn. cum aliis: *poscet* Dem.

96. *Pangite tum* vir doct. in Ald. *Pingite tunc* P. Sa. *Pingit et in varios* Dem. A. Arg. et alii. *Pangite tunc* edidit Gesn. ex emendatione Heinsii ad Ovid. Art. Am. II, 115.

97. *Candida leucoia*, albæ violæ genus, coronis olim adhibitum. Theocritus, Idyll. VII, 64, λευκοΐων στέφανον dicit, ubi Schreberus adnotat, Leucoia hic sunt Cheiranthi et Hesperidis Linn. species. — *Caltæ* D. J. J. H. A. Arg. G. — *Calthæ* vulgo nostra *Ringelblum* habentur, quamquam de eo adhuc dubitat Martin. ad Virg. Ecl. II, 50, ubi caltha dicitur *luteola*.

98. *Et hiantes apta leones Hora feri* emendandum censet Heins. l. c. quod tamen rejicit Gesnerus. — *Hiantis ora Leonis Ora feri. Hiantis ora Leonis* non puto *leontopetalon*

Ora feri, calathisque virentia lilia canis,
Nec non vel niveos, vel cæruleos hyacinthos.
Tum quæ pallet humi, quæ frondens purpurat auro,
Ponatur viola, et nimium rosa plena pudoris.
Nunc medica panacem lacryma, succoque salubri

esse, ut existimabat Heinsius ad Ovid. Art. Am. II, vs. 115, quod etiam *leontopodium* vocatur, quam inter coronarias, de quibus hic sermo est, vix referas: verum *antirrhinum*, ad quam etiam Dodon. p. 182, Columellæ versus adcommodat, quam nostri etiam *Loewenmaul* (os leonis) vocant, coronamentorum haud postremum. De hoc intelligo etiam v. 260: « Oscitat et Leo». Gesn.—Alias *hiare* omnes flores dicuntur, quibus patulus calyx est. Propert. IV, 2, 45: « Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter Impositus fronti langueat ante meæ». Ovid. Art. Am. II, 115: « Nec violæ semper, nec hiantia lilia florent».

99. *Fere* R. *feræ* in Reg. anonym. *calatisque* D. — *Calathisque virentia lilia canis*. *Calathi* florum dicuntur, qui alias calyces. Ausonius in Rosis, vs. 31: « Nec mora ridentis calathi patefecit honorem». *Canos* vocat liliorum calathos, quia cana sunt ipsa lilia. *Virentia* nihil aliud notant, quam recentia, vel florentia, quamquam et alba, vel pallentia subinde dicuntur viridia. Vid. Virg. Cul. vs. 142. Gesnerus hic volebat *nitentia lilia*, quod firmat Propert. III, 11, 30: « Lilia vimineos lucida per calathos».

100. *Ceruleos* D. R. J. J. A. Arg. *cæruleos* Herv. Riv.

101. *Tunc* J. B. R. J. J. *Tu* A. Gr. G. *Sic quæ* Sa. *frondens* J. B. R. J. J. A. Arg. G. Dem. Riv. *frondes* al. *purpurat abo* Sa. *purpura tabo* L. D. *quæ frondent purpura et auro* legi vult Ursin. — *Tum quæ pallet humi, quæ frondens*. Duplex genus violarum commemorare videtur, unum quod *humi pallet*, alterum quod *frondens auro purpurat*. Purpureus color h. l. pro flavo sive igneo accipitur, quemadmodum et hunc locum explicat Barth. Adv. XXXVII, 20. Nam hic intelliguntur violæ flavæ. Codex S. Germani, teste Heinsio, legit *purputat abo*, unde ille facit *purpurat albo*, scil. colore. Sch. — *Frondens* adjectum puto a poeta, ut opponeretur hoc genus violæ flaventis humili alteri purpureo; aliquanto enim excelsius est, et fruticat. Gesn.—*Purpurat* intransitive de floribus. Pervig. Ven. v. 13: « Ipsa gemmeis purpurantem pingit annum floribus».

102. *Nimium rosa plena pudoris*. Mavult Heinsius « nimii rosa plena pudoris», vel « nimio pudore». Sch. — *Pudor* rosis tributus pro rubore centies occurrit apud poetas. Pervig. Ven. v. 19: « Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ».

103. *Panaces* J. B. R. *Lachryma* J. B. R. J. J. H. A. Arg. G. *lacrima*, *sucoque* Dem. — *Nunc medica panacem lacryma*. *Panax* frutex, vel *panaces* neutr. gen. ut ait Plinius, XXV, 4, s. 11: « ipso

Glaucea, et profugos vinctura papavera somnos
Spargite: quæque viros acuunt, armantque puellas,
Jam Megaris veniant genitalia semina bulbi;
Et quæ Sicca legit Getulis obruta glebis:

vocabulo remedia promittit ». Nam est a πᾶν ἄκος, hoc est, ab omni remedio, sive ἀπὸ τοῦ πάντα ἀκεῖν. Linnæo est species pastinacæ, nostris *Heilwurzel* (radix sancta). *Lacryma* ei adscribitur, quia succus ejus excipitur inciso caule. Plin. XII, 26, s. 57: « Panacem et unguentis eadem (Syria) gignit... ferula sui generis quinque cubitorum... Excipitur succus inciso caule messibus, radice in autumno: laudatur candor ejus coacti ».

104. *Glaucea.* Quæ veteribus Græcis γλαύκεια· post *Glaucia* scriptum est. Plin. XX, 19, s. 78: « Silvestrium (papaverum) unum genus, ceratitia vocant, nigrum cubitali altitudine, radice crassa et corticosa, calyculo inflexo, ut cornicula... Quidam hoc genus glaucion vocant, alii paralion. Nascitur enim in adflatu maris, aut nitroso loco ». — *Profusos* P. D. *victura* J. B. R. *junctura* D. — *Profugos vinctura papavera somnos*, h. e. quæ somnos morantur, et longiores faciunt. Virgilius describit Georg. I, vs. 78: « Lethæo perfusa papavera somno », i. e. vi soporifera prædita. Quæ natura maxima nigri papaveris esse dicitur.

105. *Armantque puellas*, scil. in prælia Veneris. *Armare* dicitur poetis, quidquid vim agendi nocendique auget. Contra *inermis* in re Venerea Ovidio, Am. III, 7, 71, qui invalidus. — *Puellis* Dem. — *Bulbi*, de quibus hic agitur, maxime celebrantur Veteribus ob vim stimulandi Venerem. Unde *salaces* Martiali, III, 75, 3. Idem, lib. XIII, ep. 34: « Quum sit anus conjux, et sint tibi mortua membra, Nil aliud, bulbis quam satur esse potes ».

106. *Jam Megaris veniant.* Plinius, Hist. Nat. XIX, 5, s. 30: « Bulbos Cato inprimis serendos præcepit, celebrans Megaricos ». Id. XX, 9, s. 40: « Venerem maxime Megarici stimulant ». Et disertius Ovidius, Remed. v. 797: « Daunius, an Libycis bulbus tibi missus ab oris, An veniat Megaris: noxius omnis erit ». Idem Megaricum bulbum describit, quando Art. Am. II, 121, ait: « Candidus, Alcathoi qui mittitur urbe Pelasga, Bulbus ». Nam Megaram urbem, bello Minois et Nisi magna ex parte vastatam, Alcathous, Pelopis filius, ex Elide veniens, instauravit. — *Genitalia semina bulbi.* Plin. l. c. « Bulbos non nasci, nisi e semine, priores tradiderunt. Sed et in Prænestinis campis sponte nascuntur, ac sine modo etiam in Remorum arvis ». Qui seruntur, *hortensii* vocautur a Plinio, Hist. Nat. XX, s. 40; iidemque sativi, et esculenti adpellati. Observat autem Listerus ad Apicii VIII, 12, p. 207: Plurium generum bulbos fuisse; at privatim esculentos et cibarios modernis prorsus ignotos esse.

107. *Sicca* habent cod. et edit. a me coll. Dem. Sa. A. Arg. Riv. *scila* Pol. J. B. R. J. J. *scia* Herv. *scilla* in marg. Gr. St. et vir doct. ad Ald. Pro *legit*, *venit* Junt. *getulis* Jens. — *Et*

Et quæ frugifero seritur vicina Priapo,
Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.
Jam breve chærophylum, et torpenti grata palato
Intyba, jam teneris frondens lactucula fibris,
Alliaque infractis spicis, et olentia late

quæ Sicca legit Getulis obruta glebis. Hæc constans codd. MSS et præstantiorum editionum lectio, nec erat, cur Gesnerus propter quorumdam antiquiorum librorum, qui *scilla* pro *sicca* habent, variationem, de istius veritate dubitaret. Qui *scillam* intulerunt, decepti sunt eo, quod scillam viderent a Plinio, Hist. Nat. XIX, s. 30, nobilissimam bulborum adpellari, ejusque nomen facile ex voce *sicca* elici. Sed *Siccam* urbem Africæ intelligendam esse, manifeste demonstrat Ovid. l. c. qui bulbum *Libycis ab oris missum*, pariter ac Columella, cum Megarico conjungit.

108. *Frugifero seritur vicina Priapo.* Herbam erucæ Priapo dicatam fuisse, et propter cum seri solitam, ex hoc loco intelligitur, quod tamen ab aliis memorari non memini, nisi quod eruca in Priapeis, carm. 52, v. 20, inter plantas septo ejus conclusas nominatur. *Frugiferum* adpellatum Priapum hanc ob rationem Scaliger ad Priap. 84, putat, quod Priapo quoque, ut Cereri, corona e spicis imponeretur, quia ibi Priapus: « Vere rosa, autumno pomis, æstate frequentor Spicis ». Mihi propior ratio *frugiferi* esse videtur, quia Priapus hortorum custos, ideoque frugibus vel pomis ferendis et servandis adpositus. Heinsius tamen, notante Burm. ad Priap. 76, pro *frugifero* conjecit *falcifero* vel *furifugo.*

109. *Tardos eruca maritos.* Erucam *salacem* dicit Ovid. Rem. 799, et Martial. III, 75, 3. — *Et erucas salaces* in epigr. apud Anth. Lat. V, 52, v. 20; ib. ep. 48: « libidinosis incitatus erucis ». Ed.—Auctor Moreti, v. 85: « Venerem revocans eruca morantem ». Nostri *Weissen Senf* (Gall. *sénevé blanc*) adpellant.

110. *Chærepolum* L. Dem. Jens. *cheropolum* Sa. *cherepolum* B. R. *chærephylum* J. J. H. A. Arg. Riv. *cherephylum* Gy. *Cerepolum* probat Salmas. Hyl. iatr. c. 17 pr. — *Jam breve chærophylum.* Quod apud Nostrum, lib. XI, 3, 14, *chærephyllum* scribitur, et ante Calendas Martias Februario seri dicitur, nostris *Körbel* (Gall. *cerfeuil*). *Breve* dicitur, quia frondibus luxuriat, non virgulto, et a foliis luxuriantibus nomen accepit. — Notandum tamen *chærephyllum* non idem esse cum gingidio, de quo vid. not. 114. Ed.

111. *Intiba* P. D. *Cichorea* Jens. *Cicorea* B. R. *tenebris* J. B. R. *frondes et lactula* a. P. — *Teneris lactucula fibris.* Pulchra ejus descriptio in Moret. v. 76: « Grataque nobilium requies lactuca ciborum ». Ubi vid. not. et infra v. 179.

112. *Abiaque* J. B. R. pro *infractis* Gesn. mallet *infarctis.*—*Alliaque infractis spicis.* Salm. Ex. Plin. p. 748, contendit *sticis* esse legendum, et per *sticas* intelligit tunicas, sive involucra allii, quibus allium velatur, et quibus separatim nuclei velantur. Salmasio adsentit Grævius ad Isi-

Ulpica, quæque fabis habilis fabrilia miscet.
Jam siser, Assyrioque venit quæ semine radix,
Sectaque præbetur madido sociata lupino,

dori Glossar. v. *stica tunica*. Contra disputat Pontedera ad Caton. cap. 70, et defendit *spicas*, et sic ipsos nucleos vel capita allii vocari demonstrat. *Infractas spicas* dicere Columellam arbitror, quia, ut ille alibi, XI, 3, 20, divisæ et separatim velatæ sunt. Sic enim ille ibi de ulpico: « Habet, velut allium, plures cohærentes spicas, eæque quum sint divisæ, liratim seri debent ». Plinius, Hist. Nat. XIX, 6, s. 34: « Allium tenuissimis, et quæ separantur, in universum velatur membranis: mox pluribus coagmentatur nucleis, et his separatim vestitis ».

113. *Olentia late Ulpica.* Ulpicum genus allii, quod cæteris mole capitis antecellit. Græci adpellavere allium Cyprium, auctore Plinio, Hist. Nat. XIX, s. 34, et quosdam allium Punicum vocare scribit Noster, XI, 3, 20, idque longe majoris esse incrementi, quam allium.—*Fabis beta est fabrilibus esus* vir doct. ex Mart. (X, 48; XIII, 13), betæ et faba fabrorum.—*Quæque fabis habilis fabrilia miscet.* Obscurum et corruptum hunc versum pronuntiarunt interpretes, quem rectissime a Gulielmo Pelisserio emendatum ait Turneb. XVII, 22 extr. hoc modo: « quæque habilis beta est fabrilibus escis ». Respexit nempe Martialem, qui XIII, 13, *betas* vocat *fabrorum prandia*. Gesnerus tamen parum tribuit ei emendationi, idque recte, quum longissime ab scriptura vulgata abeat. Ego nulla emendatione opus esse, nec obscurum adeo versum esse puto. *Fabrilia*, h. e. prandia vel pulmenta fabrorum dicit ipsas *fabas*, quia *faba fabrorum* adpellatur Martiali, X, 48, 16. Jam describit auctor herbam aliquam, quæ *fabis habilis*, i. e. apta et adhiberi solita fabis condiendis, *miscet fabrilia*, h. e. admixta fabis fabrile pulmentarium efficit: (quemadmodum infra v. 262, de rosa dicitur, *in templis Sabæum miscet odorem*, id est, Sabæis odoribus adhibetur, miscetur). Eam vero herbam, ab usu notissimo descriptam, non nominat auctor, quod nomen igitur sola conjectura adsequendum. Ego, missis aliis, *cunilam* vel *satureiam* præcipue significari existimo. Hæc enim rusticis inprimis et operariis usitata (vid. Colum. IX, 4, 2), nomen ipsum a saturando acceperat, quod ex ea pulmenta solebant confici. Et diserte eum usum prædicat Colum. XI, 3, 57: « Satureiæ semen intermiscendum erit, ut eam quoque habeamus. Nam et viridis esui est jucunda, nec arida inutilis ad pulmentaria condienda ».

114. *Assyrio quæ venit, qua semina* Dem. Nonnulli legunt *E Syrioque venit.*—*Assyrioque venit quæ semine radix.* De *gingidio* intelligendum Columellam ostendit Salmas. ad Solin. c. 53, p. 820, quæ radix Syriæ familiaris, et staphylino, sive pastinacæ simillimam esse ait Plin. Hist. Nat. XX, 5, s. 16. *Syriacam radicem* vocat Noster, XI, 3, 16.—Sed hoc de nostro gingidio (Gall. *cerfeuil*) vix dici potest. Ed.

115. *Saciata* Jens. *satiata* B. R.

Ut Pelusiaci proritet pocula zythi.
Tempore non alio vili quoque salgama merce
Capparis, et tristes inulæ, ferulæque minaces
Plantantur: nec non serpentia gramina mentæ,
Et bene odorati flores sparguntur anethi,
Rutaque Palladiæ baccæ jutura saporem,

116. *Et Pelusiaci* Pius vel Lips. — *Ut Pelusiaci*, etc. sensus est : Radix Syria vel Assyria enim madido lupino sociata appetitum facit ad bibendum : ut adeo *Pelusiacus zythus* pro quavis cerevisia usurpetur. De Zytho autem evolve Schoockium de Cerevisia, c. 1, p. 8. SCHOETTG.

117. *Tempore non alio*, nempe sub adventum veris; vid. v. 77 seq. *Salgama* sunt herbæ, flores, olera, quæ sale, muria, aceto condita in usum anni servantur in vasis vitreis vel fictilibus, quorum parandorum rationem ostendit Noster, XII, 4, 4. — *Vili merce*, quia parvo constant et venduntur. Hinc *salgamarii*, qui salgama conficiunt et vendunt. Magis declarat hæc Columella, XII, 7, 1: « Circa vernum æquinoctium herbas in usum colligi et reponi oportebit, cymam, caulem, capparim, apii coliculos, rutam, olusatrum cum suo cole, antequam de folliculo exeat, etc. »

118. *Tristis* D. *inulæque* Sa. — *Tristes inulæ*. *Inula* herba radicis nomine seritur, Græcis *Helenium*, nostris *Alant*, de qua Plin. Hist. Nat. XX, 5, s. 16. *Tristes inulæ*, non quia suo adspectu ac natura tristitiam adferunt, ut Pomponius sentit, sed quia sapore acido et acerbo sunt, ut *tristes lupini* a Marone dicuntur, Georg. I, 71. *Acidas inulas* vocat Hor. Sat. II, 2, 44. — *Ferulæ* cur *minaces*, diximus ad v. 21. Frutex habetur foliis feniculo similis, specie et usu arundinibus, Germaniæ, ut quibusdam videtur, ignotus. Meminit et Virgil. Ecl. X, 25.

119. *Menthæ* Riv. — *Gramina mentæ*. *Menta*, cujus variæ species memorantur, a nostris exponitur *Muntze*. Græcis vocabatur ἡδύοσμος, *suaveolens*, quod nomen respicit Plinius, Hist. Nat. XIX, 8, s. 47 : « Mentæ nomen suavitas odoris apud Græcos mutavit, quum alioqui mintha vocaretur, unde veteres nostri nomen declinaverunt. Grato menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus ».

120. *Aneti* J. B. R. J. J. H. A. Arg. Gr. G. St. — *Bene odorati flores sparguntur anethi*. *Sparguntur* h. e. disponuntur. Ita Colum. XI, 3, 25, *dispergere* dixit. GESN. — Similiter Maro, Ecl. II, 48, *florem bene olentis anethi* dicit. Ad quem locum Heynius : *Anethum* nostrum *Tille* s. *Dille, dill, anet*, esse putatur, quod et in nostris hortis visitur, flore flavo. Apud auctorem Moreti, v. 59, est « vetus adstricti fascis pendebat anethi » ; ubi *vetus fascis* indicat, moris fuisse, aridum servare anethum ad condiendos cibos.

121. *Bacchæ* J. B. R. *baccæ* D. J. J. H. A. Arg. G. — *Palladiæ baccæ*, olivæ, baccæ Palladiæ arboris. Singulariter *bacca* de fructu oleæ usurpatur. Virgil. Georg. II, 519 : « teritur Sicyonia bacca trapetis », et

Seque lacessenti fletum factura sinapis,
Atque oleris pulli radix, lacrymosaque cepa
Ponitur, et lactis gustum quæ condiat herba,
Deletura quidem fronti data signa fugarum,

Pallad. de Insit. v. 52. — *Fictura* vulgatæ. *Vitura* D. L. *jutura* ex cod. antiquo legit N. Heins. ad Sil. VII, 354, apud Drakenb. itemque ad Vell. II, 120, 4. Recte, si quid judico. Gesn. quem sequor.

122. *Se quæ* B. R. *synapis* J. B. J. J. H. A. Arg. G. — *Fletum factura sinapis*. Prosilit nempe cum tanta acrimonia, ut lacrymas ciat comedenti. Pomp.—*Sinapi* neutro genere dicunt alii, et Plinius de eo agit, XIX, 8, s. 54 : « Acerrimum sapore, ignei effectus, ac saluberrimum corpori, sinapi, nulla cultura, melius tamen planta tralata ». Ob acrimoniam illud *mordax* et *lacrimosum* vocat Serenus Samon. de Medic. v. 67 et 588.

123. *Holeris* D. *olleris* B. R. — *Atque oleris pulli radix. Olus pullum*, quod alias *atrum olus* dicit, XI, 3, 18, nomen habet a semine et radice atra. Sæpe conjunctim scribitur *olusatrum* ; ut apud Nostrum, XII, 7, 1. Et Plinius, Hist. Nat. XIX, 8, 48 : « Olusatrum miræ naturæ est. Hipposelinum Græci vocant, alii Smyrnium. Et lacryma caulis sui nascitur. Seritur et radice. Succum ejus colligunt, myrrhæ saporem habere dicunt ». (Luederus *von Küchengart* interpretatur *Liebstöckel*, Gall. *ache.*) — *Lacrimosaque* D.

124. *Gustus* D. Sa. L. J. B. R. — *Lactis gustum quæ condiat herba*. Lepidium, ut oxygala fiat. Vid. Noster, XII, 8, 3. Qui sequuntur versus, et ipsi indicant de lepidio sermonem esse, et convenit Plinius, XIX, 8, s. 51, *usum esse ejus* negans *sine lacte* : loquitur autem de culinaribus herbis. Gesn.

125. *Deletura* P. Sa. et sic Gesn. *Dejectura* D. A. Arg. Riv. *fucarum* D. L. et editt. pler. ut St. et Com. *furcarum* Gr. *fucorum* refellit Morg. I, 55; add. II, 9. *fugarum* Pol. Sa. *Velatura quoque est fronti data signa focorum* scribit Lipsius Elect. II, 15, et *focorum* quoque conjiciunt Pius, Pelisserius apud Turneb. XVII, c. 22, et Barth. V, 10. *Deletura quidem furcæ fronti data signa* Rhodius ad Scrib. Larg. p. 261. — *Fronti data signa fugarum*. Hæc lectio omnium, quæ hoc loco repertæ sunt, maxime probabilis, et receptæ plurimarum editionum scripturæ *fucarum* simillima. *Signa fugarum* sunt fugitivorum, sive stigmata servis e fuga retractis canterio inusta. Quamquam enim plures ejus injuriæ in servos caussæ fuerunt, quas cumulatis veterum scriptorum testimoniis copiose exposuerunt J. Lipsius, Elect. II, c. 15, p. 57, et Jo. Rhodius ad Scrib. Larg. compos. 231, p. 309; primaria tamen et celeberrima earum est fuga. Inde Quint. Inst. Orat. lib. VII, c. 4 : « Si quis fugitivo stigmata scripserit ». Et Petronius, c. 103 et 105 : « notum fugitivorum epigramma et unicum argumentum » dixit. Hæc signa inusta lepidio, vel oxygala, lacte acetoso, quod fit e lepidio, deleri potuisse, quodammodo confirmat Plin. qui lib. XX, 17, s. 70 : « Lepidium inter urentia intelligitur.

Vimque suam idcirco profitetur nomine Graio.
Tum quoque conseritur, toto quæ plurima terræ
Orbe virens pariter plebi, regique superbo,
Frigoribus caules, et veri cymata mittit:
Quæ pariunt veteres ceposo litore Cumæ,
Quæ Marrucini, quæ Signia monte Lepino,

Sic et in facie cutem emendat exulcerando, ut tamen cera et rosaceo facile sanetur. Sic et lepras, et psoras tollit semper facile, et cicatricum ulcera ». Nostri lepidium interpretantur *Pfefferkraut*, *wilde Kresse* (herba piperata, Gall. *cresson sauvage*. Ed.)

126. *Profitetur nomine Graio. Græcum nomen lepidium a* λεπὶς, quia de facie maculas, τὰς λεπίδας, delet.

127. *Confertur* Sa.

128. *Pariter plebi regique superbo.* Tum quoque, inquit, serenda est brassica, quæ et nobilibus servit et plebi, et hieme caules emittit, verno tempore cymata. Inde describit brassicarum genera. Pompon. — Brassicam M. Cato dicit « omnibus oleribus antistare », quam et miris laudibus effert, ejusque genera, usus et medicinas enumerat cap. 157 et 158. Pariter Plinius consulendus, XIX, 8, s. 41. In lautiorum cœnis brassica variis condimentis adparari solebat, et Apicius cymas et coliculos condiendi modum edocet, lib. III, cap. 9.

129. *Veris* J. B. R. et vir doct. ad Ald. *cimata* D. — *Veri cymata mittit. Cymata*, quasi κυήματα, partus, aliis locis Columella et alii *cymas* adpellant. Proprie sunt primi et teneriores brassicæ coliculi, sed generatim plantarum summitates et tenera cacumina eo vocabulo significari, et a caule, ut partem a toto, distingui, ostendit Reinesius, Var. lect. II, 8, p. 195. *Cymæ* et *caulis* discrimen etiam indicat alius locus Colum. XI, 3, 24: « nonnulli brassicam locis apricioribus a Calend. Martiis deponunt: sed major pars ejus in cymam prosilit, nec postea hibernum caulem amplum facit, quum est semel defecta ».

130. *Qua* vir doct. *cesposo* A. Arg. Gr. St. Com. *ceposo* D. Pol. Jens. *teposo* Lips. *piscoso* vir doct. *Thesproto* Riv. Sic correxit Scaliger ad Cul. Virg. v. 14, quia Cumanum litus ab Abantibus, qui ex Eubœa in Thesprotiam, et inde in magnam Græciam venerunt, occupatum fuit. — *Quæ pariunt.* Enumerat jam varias brassicæ species, quæ in variis Italiæ regionibus coluntur, quarumque proprietates Pomponius in not. nescio quo auctore, describit. *Cesposo litore*, quod in plurima editt. est, vix stare potest, quia ex analogia linguæ *cespitosus* scribendum est. *Thesproto* Scaligeri, quamvis etiam Rivino placitum, longius arcessitum videtur. *Ceposo*, in quo fere consentiunt MSS, maxime placet Gesnero, ut ceposas Cumas laudarit, quomodo deinde *Ariciam porri matrem*; quamvis aliunde non constet, ceparum ferax illud litus fuisse.

131. *Quæ signa* B. R. *Qua Marrucini — qua signa* vir doct. *Lepyno* Sa. Dem. — *Marrucini* populus Italiæ inter Marsos. *Signia* oppidum La-

Pinguis item Capua, et Caudinis faucibus horti,
Fontibus et Stabiæ celebres, et Vesvia rura,
Doctaque Parthenope Sebetide roscida lympha,
Quæ dulcis Pompeia palus vicina salinis

tii, a vino austero, quod in ejus agro nascebatur, notum. Sil. VIII, 379 : « Spumans inimico Signia musto ». Martial. XIII, 116 : « Potabis liquidum Signina morantia ventrem ». *Lepido* monti Signia videtur imposita fuisse.

132. *Cadinis* Gy. *hortis* Sa. D. *ortis* L. — *Caudinis faucibus horti.* *Caudinæ fauces,* quæ et *Furcæ Caudinæ*, sunt angustiæ montium apud Caudium, urbem Samnitum, prope Beneventum, Romanorum ignominia et clade nobilitatæ. *Furcas* vocat Lucanus, lib. II, 138 : « Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas ». Ita adpellatæ, quia ibi Romani sub furca de hastis facta ire compulsi.

133. *Scabie* Jens. *scabiæ* B. R. *Stabie* J. J. H. A. Arg. G. *Vespia* a. P. *Vesuvia* J. B. R *Veseva* L. — *Stabiæ*, vetus oppidum Campaniæ, ad ostia Sarni, a L. Sulla bello sociali excisum, pro quo novæ Stabiæ non procul a Surrento conditæ teste Plinio. Hujus ex agro decurrunt parvi fluvii, sed amœnissimi, versus Furcas Caudinas. — *Et Vesvia rura*. Nempe Vesuvii montis, qui et Vesevus et Vesvius a poetis adpellari solet, Columellæ tempore, et antequam ardere cœpisset, mira fertilitate hortorum et vinearum celebratus, quanquam et deinceps regionis ejus fecunditas laudata. Vid. Heynius ad hunc Virgilii Georg. II, 224 : « Talem dives arat Capua, et vicina Vesevo Ora jugo ». Martial. IV, 43 : « Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris ». — MSS autem habent quoque *Vesbius*, quod male Gifanium Iudice Lucretiano negasse dudum monuerunt docti viri. Sed nomen hoc non raro apud Veteres corruptum, aut in aliud tritius verbum mutatum est. Sic ap. Tertull. Apolog. cap. 40 : « Volsinios de cælo, Pompeios Vesuvino monte perfudit ignis » olim scriptum erat *Pompeios de suo*. Alia vide ap. Oudend. ad Front. I, 5, 21, et ad Suet. Tit. c. 8. Ed. — Conferri possunt, quæ dicta sunt ad Auson. Mos. 208, Excursu I (huj. op. t. I, p. 277. Ed.) et ad epist. Did. v. 73 (huj. op. t. III, p. 366. Ed.)

134. *Partenope* J. B. R. *Sebethride* Sa. Dem. Jens. *Sebetride* B. R. *Sebethide* J. J. H. A. Arg. G. *rosida* J. B. R. J. J. — *Parthenope Sebethide roscida lympha.* Parthenope est Neapolis, juxta quam currit fluvius Sebethos, unde Statio *Sebethi alumna* dicitur, Silv. I, 2, 263 : « nitidum consurgat ad æthera tellus Eubois, et pulchra tumeat Sebethos alumna ». Vide ibi Barthium. Schoettg.

135. *Qua* vir doct. *ducis* Gr. *Rompheia* Sa. a. P. — *Dulcis Pompeia palus.* Videtur intelligi Sarnus fluvius Campaniæ, oppidum Pompeios adluens, et apud Stabias in mare illabens : qui quia admodum placidus et irrigandis agris aptus fluit, videtur in planitie Pompeiorum sæpe in stagna et paludes abiisse. Hoc videtur significare Maro, Æn. VII, 738 : « Et quæ rigat æquora Sarnus ». Et Statius, Silv. I, 2, 265, *Sarnum Pompeianum* adpellat,

Herculeis, vitreoque Siler qui defluit amni,
Quæ duri præbent cymosa stirpe Sabelli,
Et Turni lacus, et pomosi Tiburis arva,
Brutia quæ tellus, et mater Aricia porri.
Hæc ubi credidimus resolutæ semina terræ,
Assiduo gravidam cultu curaque fovemus,

eique *otia*, h. e. quietem et lenem stagnantemque aquam tribuit, quamquam hoc Barthium aliter explicare video : « Et Pompeiani placeant magis otia Sarni ».

136. *Vicina salinis Herculeis.* Ut Pompeios oppidum a Sarni paludibus, ita Herculaneum opp. a salinis vicinis describere videtur. Nam hoc oppidum Neapoli, Stabiis, Pompeiis, hactenus nominatis, vicinum, cum eisque conjungi solet. Plin. III, c. 5 : « Neapolis Parthenope a tumulo Sirenis adpellata : Herculanium : Pompeii ». Similiter Ovidius, Met. lib. XV, 711 : « Herculeamque urbem, Stabiasque, et in otia natam Parthenopen ». *Salinæ* intelliguntur marinæ, quæ frequentes in ora maritima Italiæ erant, qualemque describit Rutilius, I, 475 seqq. Herculaneum prope mare situm tales salinas habuisse videtur, licet hæ ab aliis non laudentur. — *Siler qui defluit amni. Siler* fluvius Picentinorum, vel Lucaniæ, quam a Picentinis dividit. *Silarus* dicitur Virgilio, Georg. III, 146, et Prisciano, Perieg. 355. *Siler* Lucano, II, 426. — Hodie dicitur *la Sela*. Ed.

137. *Duri cymosa stirpe Sabelli.* Sabelli dicuntur a Sabinis oriundi inter Sabinos et Marsos incolentes, *duri*, quia laboriose agricolantes. Unde Horat. Carm. III, 6, 38 : « Sed rusticorum mascula militum Proles Sabellis docta ligonibus Versare glebas ». Brassicam *cymosa stirpe* Sabellis tribuit auctor, quam interpretor stirpe plures vel crassiores cymas emittere. Pomponius *Sabellicam* esse dicit crispis foliis, crassissimo caule.

128. *Et Turris* Sa. Jens. *Turnis* P. — *Et Turni lacus.* Similis ratio hujus adpellationis esse videtur, ac supra Pompeiæ paludis, et fluvius indicari crebris paludibus stagnans, vel in lacum exiens. Nam *Turnum* fluvium Umbriæ laudat Vibius Sequester. Pomponius tamen inde nomen brassicæ facit *Lacuturnina*, nunc « Lacuturris, quia ibi Turni lacus fuit, postea turris remanet in valle Aricina ». Gesneri conjectura est, *Turni lacum* forte eumdem esse, qui *Juturnæ* sororis, de quo Valer. Max. I, 8, 2, et Flor. II, 12. — *Pomosi Tiburis arva. Pomifera arva* Tiburtina vocat Silius, IV, 224 : « Quosque sub Herculeis taciturno flumine muris Pomifera arva creant ». Horat. Carm. I, 7, 13 : « Tiburni lucus et uda Mobilibus pomaria rivis ». Nempe Tibur oppidum Sabinorum fontibus irriguum, aeris temperie et pomorum abundantia celebratur.

139. *Brutiaque et* J. B. R. *Bruttiaque tellus* D. *Aritia* D. J. B. R. J. J. H. A. Arg. Gr. G. St. *Tericia* Sa. — *Mater Aricia porri.* Martialis, XIII, 19 : « Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros, In niveo virides sti-

Ut redeant nobis cumulato fenore messes.
Et primum moneo largos inducere fontes,
Ne sitis exurat concepto semine partum.
At quum feta suos nexus adoperta resolvit,
Florida quum soboles materno pullulat alvo,
Primitiis plantæ modicos tum præbeat imbres

pite cerne comas ». Laudat etiam Plin. Hist. Nat. XIV, 6, s. 33. Gesn.

143. *Inducere fontes*. Expressum ex Virg. Georg. I, 106 : « Deinde satis fluvium inducit, rivosque sequentes ». Sch.

144. *Sitis*, siccitas. Virg. Ecl. VII, 57 : « Aret ager, vitio moriens sitit aeris herba ». Sch.

145. *Nixus* vir doct. *adaperta* i. e. ad aerem vir doct. — *Suos nexus adoperta resolvit*. Aliquaotum blanditur coojectura docti viri ad oram Aldinæ *suos nixus*, qnod de pariendo et fetu edendo usitatum. Sed hic non de partu terræ, quo herbæ e terra prodeunt, agitur, verum de seminis intra sinum terræ concepti resolutione. Hinc *nexus* terræ sunt vis ejus fecunda, quæ semen complexa et fovens germinationi præparat, quos *resolvit*, ubi fotu satis producto germinationi viam aperit. Adjicitur *adoperta*, quia hoc fit occulte et intra sinum terræ. Unde huic loco minus conveoit, quod Gesnerus malebat, *adaperta*. Contra ubi plantæ jam erumpunt terra, *sinum pandere tellus* dicitur infra v. 157.

146. *Florida* A. et al. quomodo Gesn. *Horrida* Arg. Riv. *Torrida* vir doct. *arvo* Dem. Lips. J. B. R. et Gr. St. in marg. — *Materna pullulat alvo*. Alii *arvo*, quæ lectio mihi melior videtur. Notum est enim alvum maternam *arvum* etiam vocari a Lucretio et Virgilio. Sioistros quidem grammaticos et ineptire dicit Fruterius, Verisim. 2, 19, qui ita legant. Sed quia aliorum adest auctoritas, et metaphora bene continuatur, non ineptiunt, qui ita legunt. Ergo h. l. hæc vox duplicem significationem habere potest, propriam et metaphoricam, hanc nempe, qua flores pullulare dicuntur ex arvo s. alvo matris suæ, h. e. terræ. Sch.—Ego vero malim *alvo*, quia hoc interiora terræ viscera, quæ hoc loco spectantur, magis exprimit, quam arvum. *Arvo* usurpavit Noster infra, v. 195. — Neque rejiciendum *alvo* quia *alvum* masculino genere non dici possit: contrarium enim probant codices optimi in plurimis veterum auctorum locis; vide Nonium Marcell. p. 193, ubi Accii versum profert : « Mala manu retinens gravido concepit in alvo ». Apud Ovid. Met. XV, 217 : « Spesque hominum primo matris habitamus io alvo », ut se legere dicit Burm. in suo codice, quum vulgatæ habeant *prima* et *materna*. Eadem varietas in Virg. Æn. IX, 152, et ad lib. XII, 274. Claudian. Rapt. Pros. II, 126 : « cava demissus ab alvo », ubi *cavo* in aliis. Male igitur Brouckus. in Venantio id tanquam *enorme* damnavit, merito castigatus a Dunmio, Diss. de causs. amiss. Rad. Ling. Lat. pag. 513. Ed.

Sedulus irrorans olitor, ferroque bicorni
Pectat, et augentem sulcis exterminet herbam.
At si dumosis positi sunt collibus horti,
Nec summo nemoris labuntur vertice rivi,
Aggere præposito cumulatis area glebis
Emineat, sicco ut consuescat pulvere planta,
Nec mutata loco siccos exhorreat æstus.
Mox ubi nubigenæ Phryxi, nec portitor Helles,

148. *Inrorans holitor* cod. Demid.

149. *Petat* L. — *Pectat.* Vid. v. 94 : « Pectita tellus ». — *Angent. s. exterminet herbam.* Herbas adnascentes eradicet, quæ plantis officiunt, eisque succos detrahunt. Virg. Georg. I, 69 : « Officiant lætis ne frugibus herbæ ». Quæ hic *angere*, aliis *strangulare* dicitur, ut Quintilian. Procem. ad lib. VIII, § 23 : « lætum gramen sata strangulat »,

150. *Ac si* J. B. R.

151. *Cortice rivi* Sa.

152. *Aggere præposito. Agger*, docente Gesnero h. l. est aggesta humus, ut verbo aggerandi utitur nonnunquam Columella. Pro *præposito* idem vult *reposito* (non obstante syllaba *re*, quæ in compositis produci possit) et *reponere* hic eum intellectum habere quem *regerere ;* ita ut *agger repositus* sit, qui fit altius regesta humo, quod locis siccis faciendum esse præcipiat Noster, XI, 3, 10. Ego quidem interpretationem ipsam Gesneri probo, minus tamen necessarium esse puto *reposito* adsumere pro *præposito*, atque hoc positum esse existimo, pro *præmunito* vel *præducto* (siquidem et *agger præductus* Avieno, D. O. v. 616, et alias *agger munitus* dicitur) adversus nimiam siccitatem, quoniam humus altius egesta plantas munit et magis defendit ab æstu, quam depressior et rarior. Nec verbum *reponere* adhuc inter ea esse reperi, quæ syllabam *re* productam habeant.

153. *Sinineat* L. *consueseet* Gryph.

154. *Ne* J. B. R. — *Nec mutata loco.* Sic Calpurn. II, 51 : « succos ne forte priores Languida mutata quærant plantaria terra ». Virgil. Georg. II, 268 : « Mutatam ignorent subito ne semina matrem ». — *Sitiens exhorreat* L. Sa. D. *æstu* Sa.

155. *Nubiginæ* Junt. *quo portitor* Sa. *et portitor* vir doct. — *Ubi nubigenæ Phryxi. Nubigenæ* interpretare, non, geniti ex nube, sed ex Νεφέλης, (matre Nephele) quæ latine sonat nubem. Ex significatu dictionis Græcæ vox latina composita. Hinc Ovidius *Helles Nepheleidos* dixit. Athamas filius Æoli, frater Crethei, genuit Phryxum et Hellen, ex Nephele uxore. Pius. — In Scholastici Maximiani versibus de signis cœlestibus, Anthol. Lat. Tom. II, p. 315, dicitur: « Nubigenæ juvenis vector ». — *Nec portitor Helles*, h. e. Phryxi portitor, et non portitor Helles, quomodo explicat Gronov. Observ. III, 20, p. 467, et distinctius eloquitur Cæs. Germanicus, Arat. v. 530 : « Nobilis hic Aries, aurato vellere quondam Qui tulit in Tauros Phryxum,

Signorum et pecorum princeps caput efferet undis,
Alma sinum tellus jam pandet, adultaque poscens
Semina depositis cupiet denubere plantis:
Invigilate viri! tacito nam tempora gressu
Diffugiunt, nulloque sono convertitur annus.
Flagitat ecce suos genitrix mitissima fetus,
Et quos enixa est partus, jam quærit alendos,

qui prodidit Hellen». — *Mox ubi nubigenæ*, etc. Sic vulgatæ et ita viderat Heins. in veter. cod. S. Germ. Burmann. hic legi posse putat: « Mox ubi Nubigenæ vector, sed proditor Helles »; quia recte Nubigenæ cum litera capitali scribi jussit Meursius, Exerc. crit. part. II, pag. 144, adeoque Phryxi ex Glossemate irrepsisse putat. Maximian. in ep. (Anth. Lat. V, 34), v. 1: « Nubigenæ juvenis vector, etc. »: unde firmari possit Heinsii conjectura qui h. l. margini adscripserat: *Nubigenæ Phryxi et trux portitor Helles.* Ed.

156. *Signorum et pecorum princeps.* Pecorum princeps, qui et alias *dux lanigeri pecoris* apud Ovid. Fast. IV, 715. *Signorum princeps*, quia primum signum Zodiaci, et in Ariete veris initium. Et sic frequenter vocatur. In Scholasticorum versibus de signis cœlestibus, Anthol. Lat. t. II, p. 314: « Signorum princeps Aries ». — Et in Asclepiadii epigr. 34: « Corniger astrorum ductor ». Sed epigr. Basilii, Anthol. V, 35: « Cornigeri ductor gregis, Europæ quoque vector », quod ad Taurum non ad Arietem respicit. Ed. — Manilius, I, 262: « Aurato princeps Aries in vellere fulgens ». Sic German. Arat. vs. 499, ad quem locum plura adtulit Grotius.

157. *Pascens* pro *poscens* B. R.

158. *Cupient* J. J. H. A. Gr. G. *cupiens* Arg. Riv. *se nubere* edid. Gesn. quod et A. Arg. Gr. St. Com. Riv. habeat; *denubere* Sa. Dem. Lips. J. B. R. J. J. — *Depositis cupiet denubere plantis*, h. e. plantis, quæ e semine natæ sunt, et jam adoleverunt, *depositis*, dimissis et translatis in alias areas (vid. Virg. Georg. II, 23, et infra v. 190), *cupiet denubere*, desistere a nubendo et pariendo, jamque fetus suos alere et educare, quod versus 162 declarat. Nimirum incipit jam dicere de translatione et depositione plantariorum. Vid. Calpurn. II, 48 seq. Et enodatio hæc sententiæ per se demonstrat, aptissimam esse, quam optimi codices præbent, lectionem *denubere*, quod verbum eam vim habet, quam alia ejusdem compositionis, ut depugnare, detonare, despumare.

160. *Nulloque sono convertitur annus.* Eadem sententia est apud Ovidium repetita sæpiuscule, ut Fast. VI, 771: « Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis », et Metam. X, 519: « Labitur occulte, fallitque volatilis ætas ». Et eadem in illo Juvenalis, Sat. IX: « obrepit non intellecta senectus ». Barth. Adv. XXIII, 16.

162. *Quærit alendos*, postquam translati et depositi sunt.

Privignasque rogat proles: date nunc sua matri
Pignora, tempus adest: viridi redimite parentem
Progenie, tu cinge comam, tu digere crines.
Nunc apio viridi crispetur florida tellus,
Nunc capitis porri longo resoluta capillo
Lætetur, mollemque sinum staphylinus inumbret.
Nunc et odoratæ peregrino munere plantæ
Sicaniis croceæ descendant montibus Hyblæ.

163. *Privignasque rogat proles.* Herbæ, quæ transferuntur in aliam terram, dicuntur illius privignæ, quoniam transferuntur ex sinu materno in terram novercam. Pius.

164. *Redimire* Riv.

165. *Progeniem* D. *tum cinge comas*, Riv. *disscre crines* D. L. J. B. R. J. J. A. Arg. Gr. G. *tum disscre crines* Riv. — *Tu digere crines. Digerere crines* Psecadum est, hoc est, ordinare. Ovid. Am. I, 14, 19: « nondum digestis mane capillis ». De arbusculis Virg. Georg. II, 54 et 267. Gesn.

166. *Apios* Dem.—*Crispetur* a natura apii, quod crispum est. Plin. Hist. Nat. XIX, 8, s. 46: « Ab æquinoctio verno seritur apium, semine paullulum in pila pulsato. Crispius sic putant fieri, aut si satum calcetur cylindro pedibusve ». Conf. Colum. XI, 3, 33.

167. *Porri* omnes præter Steph. et Com. qui *porro. Nunc capite et porri* emendabat Heinsius; vid. Burm. Anthol. II, p. 524. — *Capitis porri longo resoluta capillo.* Porri duo genera, sectivum et capitatum, quod in caput nutritur, ut notavimus ad Moret. v. 74.—Unde Mart. Ep. X, 48: « utrumque porrum ». *Sectile porrum* quod habet Martial. X, 51, diversum est ab eo, quod in Priapeis, 52, 16, « in caput suum semper crescens » dicitur. Ed. — Hic de capitato sermo est, quia de transferendis plantis. Nam si quis capitatum efficere volebat, debebat, antequam secaretur, in aliam aream transferri, ut monet Plin. Hist. Nat. XIX, 6, s. 33, et Noster lib. XI, c. 3, 31. *Capillum longum* tribuit porro, ut capiti, quia in tenues fibras et quasi stamina fruticescit, quæ et *fila* adpellantur. Martial. XIII, 18: « Fila Tarentini graviter redolentia porri ».

168. *Staphilinus* omnes excepto Comm. — *Staphylinus inumbret.* Sic Græce vocatur pastinaca, cujus unum genus silvestre, alterum sativum esse docet Plin. Hist. Nat. XIX, s. 27. Sativa latifolia est, et alias etiam a Plinio pastinaca erratica dicitur, XXV, 9, s. 64. Hæc ratio est, cur eam *inumbrare* dicat Noster.

169. *Peregrino m. plantæ.* Plantentur etiam peregrinæ herbæ, quas Hybla Siciliæ mons nutrit. Pomp.

170. *Croceæ ... montibus Hyblæ*, a colore florum, inter quos plurimi crocei coloris, et quorum abundantia, atque inde etiam apum, celebratus ille mons est. De immensa florum copia *Hyblæ* ipsius nomen usurpavit auctor Pervig. Ven. v. 51 seq.

Nataque jam veniant hilari sampsuca Canopo,
Et lacrymas imitata tuas, Cinyreia virgo,
Sed melior stactis ponatur Achaica myrrha:
Et male damnati mœsto qui sanguine surgunt

171. *Natique* Jens. *hilaro sensura* L. *hilarosansuca* Dem. *hilaro* eliam Jens. *thilarosamsuca* Sa. — *Hilari sampsuca Canopo.* Plinius, Hist. Nat. XXI, c. 11, s. 35 : « Amaracum Dioclea medicus et Sicula gens adpellavere, quod Ægyptus et Syria sampsuchum ». (Gr. σάμψυχον.) Idem scribit, XXI, cap. 22, io Cypro laudatissimum et odoratissimum esse. Harduinus adoolat, *Majoranam nostram* vulgus officinarum existimare esse Veterum sampsuchum, amaracumve, sed falso, quia σάμψυχον per terram repit, *majorana* in altum adsurgit. Sampsuchum Linnæo esse *thymum mastichinum*, mihi indicatum est, nescio an recte. — *Hilari...Canopo.* Canopus urbs Ægypti est, haud procul ab Alexandria, quæ ideo hilaris dicitur, quia homines ibi semper voluptatibus erant dediti. Vide quæ notat Cellar. ad Sil. Ital. XI, 433. Schoettg.—Hinc *genialia arva Canopi*, apud Ovid. Am. II, 13, 7, explicat Nic. Heinsius, et Canopum *lascivum, festivum, mollem, famosum* ab aliis poetis adpellari observat.

172. *Cingreia* Jens. Pol. *cinereaque* L. *cyrenia* B. R. *cinereia* J. J. H. A. Arg. Gr. G. *cinireia* Sa. *cynireiaque* Dem. *cynereia* rel. —*Lacrymas imitata tuas.* De myrrha herba capiunt, perperam. De smyrnio intelligit Columella, quod *olus atrum* quidam esse voluot, Græcorum ἱπποσέλινον, alii separant. Hæc Salmas. ad Sol. c. 33, p. 367, 368. Lacrymam ex smyrnio myrrhæ similem colligebant, quam quidam pro mera myrrha habuere, immo ipsa myrrhæ stacte meliorem, ut adserit Columella. Idem ad c. 56, p. 895. Vide eumdem de homooymis hyles iatricæ, c. 16. Sch. — *Tuas Cinyreia virgo.* Lacrymas myrrhæ arboris imitari dicit, io quam mutata Myrrha, Cinyræ Cypri regis filia, dicitur. Fabola exstat apud Ovid. Met. X, 298 seq. Quidam mendosa quarumdam editionum lectione *cyrenia* inducti, per *Cyreniam virginem* Silphium vel laserpitium intelligere voluerunt, quæ opinio multis ineptiis laborat.

173. *Tactis* D. *Achaia murra* id. — *Sed melior stactis.* h. e. pingui illo succo, qui e cortice myrrhæ arboris destillat. — *Achaia myrrha.* Τὸ σμύρνιον ita vocat, quod io Græcia nascatur. Dioscoride vero teste provenit in Bœotia, quæ etiam Achaiæ nomine cum adjacentibus regionibus venit. Vide Cuperum in epistola ad Constant. Hugenium, quam profert Columbus ad Lactant. de M. P. c. 50. Sch.

174. *Damnati mæsto qui sanguine.* — De hyacintho loquitur. Duplex de hoc fabula. Altera, quæ sanguine Ajacis hunc florem adserit editum, cujus et nomen foliis inscriptum refert (Virg. Ecl. III, 106). Altera, quæ notas esse luctus narrat, ob Hyacinthi interitum, dilecti Apollini pueri (vid. Ovid. Met. X, 215). Αἶ αἶ lugentium propriæ syl-

Æacii flores, immortalesque amaranti,
Et quos mille parit dives natura colores,
Disponat plantis olitor, quos semine sevit.
Nunc veniat quamvis oculis inimica coramble,
Jamque salutari properet lactuca sopore,
Tristia quæ relevat longi fastidia morbi,

labæ; unde αἰάζειν. Sed et primam syllabam designant Ajacis nominis, qui Græcis Αἴας. Inde illi versus (Ovid. Met. XIII, 397): « Litera communis mediis pueroque viroque Inscripta est foliis, hæc nominis, illa querelæ, etc. » Salmas. ad Sol. c. 55, p. 860.

175. *Eacii* J. B. R. *Aracii* L. *Ajacis* al. teste Schœttg. et vir doct. ad Ald. — *Æacii flores.* Derivatur hoc nomen ab Æaco, Ajacis avo, sed quia alibi vix occurrit, unde Heinsius ad Ovid. Met. X, 215, legere maluit *Æacidæ flores.* Nimirum Telamonis pater fuit Æacus, filius Ajax. Gesn. Columella fortasse id novum formavit a Græco verbo *αἰάζειν*, quasi *αἰάζοντες*, literas luctus simul et nominis Ajacis signa exhibentes, eoque ad utramque fabulam respexit.—Pro *Æacii* Burmannus conjicit *OEbalii*, ad fabulam de Hyacintho referens, et Ovidium adducit, Met. XIII, 395: « florem, Qui prius OEbalio fuerat de vulnere natus ». Ed. — *Amaranthi* fere omnes, etiam cod. Dem. sed *amaranti* edidit Gesn. — *Immortalesque amaranti.* Cur *immortales* vocet, ipsum quidem nomen *amaranti* significat, quod est ἀπὸ τοῦ μαραίνεσθαι, uberius tamen id declarat ex ejus natura Plinius, Hist. Nat. XXI, 8, s. 23: « est amarantus spica purpurea verius, quam flos aliquis, et ipse sine odore. Mirum in eo, gaudere decerpi et lætius renasci... Mireque, postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua revirescit, et hibernas coronas facit. Summa ejus natura in nomine est, adpellato, quoniam non marcescit ».

178. *Coramve* P. Sa. D. *corannc* Lips. — *Oculis inimica coramble.* Parrhasius, epist. 13, et Salmas. de homon. hyles iatricæ, c. 30, *coramblen* crambes genus statuunt. Suidas: Κράμβη, οἷον κοράμβλη τις οὖσα, ἡ ἀμβλύνουσα τὸ διορατικόν. Sch. — Pergit Suidas, melius fortasse cramben, quod veterno, qui ab ebrietate est, resistat, βέλτιον δὲ ἡ τῷ κάρῳ ἀντιβαίνουσα, quamobrem etiam in conviviis primam dari, neque propter vitem plantari. Inde est fortasse, quod Noster proxime lactucam laudet, quæ salutarem soporem adferat.

179. *Properat* D. *saporc* omnes.— *Salutari lactuca sopore.* In excusis omnibus mendose *sapore* legi, legendumque esse *sopore*, observarunt dudum Victorius et Ursinus, idque docet etiam Plinius, Hist. Nat. XIX, 8, s. 38: « Alia distinctio atræ (lactucæ) quæ meconis vocatur, a copia lactis soporiferi, quamquam omnes somnum parere creduntur. Apud antiquos Italiæ hoc solum genus earum fuit, et ideo lactucæ nomen adeptæ ».

180. *Relevet* legendum videtur

Altera crebra viret, fusco nitet altera crine,
Utraque Cæcilii de nomine dicta Metelli.
Tertia, quæ spisso, sed puro vertice pallet,
Hæc sua Cappadocæ servat cognomina gentis.
Et mea, quam generant Tartesi litore Gades,
Candida vibrato discrimine, candida thyrso est.
Cypros item Paphio quam pinguis nutrit in arvo,

Ursino. — *Quæ relevat longi fastidia morbi.* Plinius, Hist. Nat. l. c. « Est quidem natura omnibus (lactucis) refrigeratrix, et ideo æstate gratæ stomacho fastidium auferunt, cibique adpetentiam faciunt. Divus certe Augustus lactuca conservatus in ægritudine fertur, prudentia Musæ medici, quum prioris Camelii religio nimia eam negaret ». Ad hunc morbum Augusti respicere Columellam putat Harduinus. Suetonius tantum tradit *frigidis curatum Augustum* auctore Musa, Aug. cap. 81. Quia lactuca credebatur adpetentiam cibi facere, hæc caussa videtur fuisse, cur apud Romanos ea cœnas inchoaret. Martial. XIII, 14, et XI, 53, 5.

181. Pro *crebra* vir doct. *rubra;* sed *crispa viret* legendum esse contendit Pontedera e duobus locis, Nostri XI, 3, 26, et Plinii, Hist. Nat. XIX, 8, ubi *crispum folium* Cæciliæ tribuitur.

182. *Cecilii* J. B. R. D. — *Cæcilii de nomine dicta Metelli.* Plinius, Hist. Nat. XIX, s. 38 : « Purpuream maximæ radicis Cæcilianam vocant », nempe ejus Metelli nomine, qui primo bello Punico Romæ Consulatum gessit, anno Urbis DIII.

183. *Pullo vertice* vir doct.

184. *Capadocæ* B. R. *cognomine* D. *Hæc ibi* vir doct.—*Hæc sua Cappadocæ.* Plin. Hist. Nat. l. c. « Diligentiores plura genera faciunt (lactucæ) purpureas crispas, Cappadocas, Græcas ». Similiter, ut hic, describit Cappadocam Noster, XI, 3, 26 : « Cappadocia, quæ pallido et pexo densoque folio viret, mense Februario recte disseritur ». *Viles* dicuntur Cappadocæ Martiali, V, 78 : « Viles Cappadocæ, gravesque porri ».

185. *Et mea*, scil. lactucæ species, quam ego, quia patriæ meæ familiaris est, bene novi, vel libenter comedere soleo. Sch. — *Quas generant* Dem. *Tarthesi* J. J. H. A. Arg. Gr. G. St. *Tartisi* L.

186. *Discrimina* D. *turso* J. B. R. *tyrso* H. A. G. *fibrato* pro *vibrato* legebat Heinsius. — *Vibrato discrimine. Discrimen* simpliciter hic verticem notat, ubi discrimen capillorum solet esse. Ovid. Art. II, 303 : « Compositum discrimen erit; discrimina lauda ». *Vibratum* est ex eadem disciplina; ut *vibratos calido ferro crines* dixit Virg. Æn. XII, 100, ubi similia Plinii et Arnobii laudat *la Cerda. Thyrsum* esse, quod paullo post *crus* vocat, h. e. caulem, monere nihil adtinet. Gesn. — *Vibratum discrimen* ipse planius exprimit, XI, 3, 26 : « Candida est et crispissimi folii ».

187. *Paphio quam pingui* habent vulgatæ. *Paphie* legendum censet

Punicea depexa coma, sed lactea crure est.
Quot facies, totidem sunt tempora quamque serendi.
Cæciliam primo deponit Aquarius anno,
Cappadocamque premit ferali mense Lupercus,
Tuque tuis Mavors Tartesida pange Calendis,
Tuque suis Paphien iterum jam pange Calendis,
Dum cupit, et cupidæ quærit se jungere matri,
Et mater facili mollissima subjacet arvo.
Ingenera, nunc sunt genitalia tempora mundi:
Nunc amor ad coitus properat, nunc spiritus orbis

Ursinus. Sic vero constructio paullum turbata videbitur. Ego *Paphio* adjungam *arvo*, et *pinguis* ponam pro pingui, hoc modo : *Cypros item Paphio quam pinguis nutrit in arvo.*

188. *Crura* Dem. P. *cura* Sa. *curæ* J. B. R. — *Laetea erure est*, h. e. caule albo. Et similiter Noster, XI, 3, 27 : « Est et Cyprii generis ex albo rubicunda», h. e. quæ ex albo caule crescit in folia rubicunda, *punicea depexa coma*. Sic infra v. 254, « pede candida beta».

190. *Ceciliam* D. J. B. R. — *Primo Aquarius anno.* In Januario, quando Sol est in Aquario. Colum. XI, 3, 56 : « Cæciliana mense Januario recte disseritur ».

191. *Cappadocamque* J. B. R. *Cappadocumque* D. *februali mense* legere mavult Fruterius, Verisim. 2, 19, quæ tamen lectio nullo codice probatur. — *Ferali mense Lupercus*. Describitur mensis Februarius. *Lupercus* sacerdos Panos Lycæi, vel ipse Pan Lupercus pro Lycæo dictus, cujus sacra, Lupercalia, luperci per urbem currendo celebrabant mense Februario. Hic etiam *feralis mensis* dicitur, quia in eodem Parentalia fiebant et Feralia, quæ erant sacrificia defunctorum Manibus et Diis Inferis oblata.

192. *Kalendis* D. Jens.

193. *Paphiem* R. *Paphiæ Paphiam depinge* vir doct. *Tuque tuis Paphien, Paphie, depange Kalendis* conj. Gesn. *Paphiæn* et *Kalendis* D. — *Tuque suis Paphien*. Gesnerus hunc versum indignum Columella censet, cui ego adsentio, non solum, quia elumbis et parum comptus est, sed etiam, quia præcedenti non respondet, ut debebat. In quo quum Mavortem adloquatur auctor, ut suis Calendis lactucam Tartesida pangat, ita hoc versu, qui idem incipit *Tuque*, Paphie debebat adpellari, quæ Cypriam lactucam suo, h. e. Aprili mense, pangeret. Itaque, licet versum reliquerim, ut in libris antiquis legitur, sic tamen emendandum arbitror : «Tuque tuis, Paphie, Paphiam depange Calendis». Infra v. 370 : « Paphios thyrsos » nominat.

194. *Capit* L.

195. *Facilis* Sa. *molissima* A. *mollissimo* D.

197. *Nunc amor.* Confer cum his descriptiones veris poeticas, quæ exstant apud Lucret. princ. lib. I;

Bacchatur Veneri, stimulisque cupidinis actus
Ipse suas adamat partes, et fetibus implet.
Nunc pater æquoreus, nunc et regnator aquarum,
Ille suam Tethyn, hic pellicit Amphitriten:
Et jam cæruleos partus enixa marito
Utraque nunc reserat, pontumque natantibus implet.
Maximus ipse Deum posito jam fulmine fallax
Acrisionæos veteres imitatur amores,
Inque sinus matris violento depluit imbre.

Virgilium, Georg. I, 42, it. II, 323; Ovid. Fast. I, 151, et auctorem Pervigilii Ven. Cæterum de desiderio, quod terra ad coitum habet, ita loquitur Plinius, Hist. Nat. XVII, 19: « Neque enim animalium tantum est ad coitus aviditas, sed multo major est terræ ac satorum omnium libido: qua tempestive uti, plurimum interest conceptus. Peculiare utique in insitis, quum sit mutua cupiditas utrimque coeundi ». Schoettg.

198. *Baccatur* J. B. R. *Veneris* Urs. — Bacchari spiritus mundi eleganter dicitur; nam hoc verbum de Borea et ventis violentioribus. Ed.

199. *Ipsas suas* D. *suos adamat fœtus* vir doct. pro *partes partus* Sa. — *Ipse suas adamat partes*. Partes omnes sui corporis spiritus orbis, quacumque permeat, instigat et sollicitat ad procreandum. Pervig. Ven. v. 63: « permeante spiritu ».

200. *Pater æquoreus*, Oceanus, quia ex eo cætera æquora. Unde sigillatim Avieno, D. O. 903, dicitur: « Caspii maris pater », et Or. mar. 383: « parens nostri maris », i. e. Mediterranei. — *Regnator aquarum*, vel, ut Epit. Hom. v. 904: « magnarum rector aquarum », est Neptunus. Discrimen nominis Oceani et Neptuni notavi ad Varr. Atac. fr. III (huj. op. t. IV, p. 577 sq. Ed.)

201. *Thetin* J. B. R. *Thetim* D. *polluit* D. Sa. et sic Lips. et Is. Vossius legunt, quod est a sciolo quodam monacho, qui omnes concubitus, sive legitimos, sive minus, pollutiones dixit. Sch. — *Amphitritem* Gr. *Amphieritem* J. B. R.

203. *Referat* B. R. *portumque* D. — *Utraque nunc reserat* sc. partus. Potest hoc idem esse, ac quod Flaccus, Carm. sæc. v. 13, *aperire partus* dicit. Sed jam præcessit *partus enixa;* itaque *reserat* explicandum duco emittit, explicat, diffundit, quemadmodum, quæ lux vel dies reserari dicitur a poetis, eadem simul explicatur et diffunditur, et venti apud Virgil. carcere aperto, « ruunt velut agmine facto », Æn. I, 83. Sic Manil. I, 702: « Ceu missura diem subito, cælumque recludit ». Usum verbi *reserare* et similium exemplis monstrarunt Weitzius et Burmannus ad Valer. Flacc. I, 655: « Emicuit reserata dies, cælumque resolvit Arcus ».

205. *Aerisineos* Sa. *Acrisionios* D. *Acrisioneos* al. *Acrisionæos* H. quod prætuli. — *Acrisionæos*. Nomen declinatum ab *Acrisione*, quod patronymicum est ab Acrisio, i. e. Danae

Nec genitrix nati nunc adspernatur amorem,
Sed patitur nexus flammata cupidine Tellus.
Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus
Ver agit: hinc hominum, pecudum, volucrumque cupido,
Atque amor ignescit menti, sævitque medullis,
Dum satiata Venus fecundos compleat artus,
Et generet varias soboles, semperque frequentet
Prole nova mundum, vacuo ne torpeat ævo.
Sed quid ego infreno volitare per æthera cursu
Passus equos, audax sublimi tramite raptor?
Ista canat majore Deo, quem Delphica laurus

filia Acrisii Argivorum regis. Unde *Inachis Acrisione* dicitur Danae in Eleg. Virg. ad. Messal. v. 33.

206. *Inque sinus matris.* Verno imbre Jovis vel Ætheris, quasi patris, fecundari Terram, quasi matrem, cum eaque connubium fieri, frequens est allegoria, veterum scriptorum multis locis celebrata, quorum præcipuos recensui in Excurs. ad Pervig. Ven. (huj. op. tom. II, p. 532. Ed.) quod ipsum Pervigilii carmen totum fere ex ista allegoria deductum est. — *Defluit* L. J. B. R. et vir doct. ad Ald.

207. *Genitrix* pleræque editt. *genetrix* D.

208. *Et patitur* Sa. — *Sed patitur nexus.* Admittit copulari quasi maritali vinculo, s. nuptiis. Pervig. Ven. v. 59: « Cras erit, quo primus Æther copulavit nuptias, etc. »

211. *Amor ignescit menti. Mentem* etiam adfectibus et libidini animalium adsignant poetæ. Virg. Georg. III, 267: « Furor est insignis equarum, Et mentem Venus ipsa dedit». Perv. Ven. v. 63: « Ipsa venas atque mentem permeante spiritu, etc. »

214. *Frequentet Prole nova mundum.* Petiisse videtur a Lucretio, qui lib. I, 18, de Venere: « Omnibus incutiens blandum per pectora amorem Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent ». Conf. Pervig. Ven. 65-67.

215. *Infræno* Gryph.

216. *Raptos* vulgatæ. *Quid si raptor?* Gesn. et sic re ipsa scribunt Sa. et Dem. conjicit etiam vir doct. ad oram Ald. — *Passus equos.* Sed quid ego ingenio meo frena remittens temere tam sublimia dicere audeo, tanquam Phaethon adfectans æthera cursu pervolare. *Raptor* ex bonis codicibus restitui, h. e. rapide feror, vel curro; ut *raptantur amantes Satyri* apud Calpurn. X, 56. De Phaethonte ipso Ovid. Met. II, 234: « arbitrio volucrum raptatur equorum ».

217. *Canit* Dem. *majore* J. B. R. J. J. H. A. Arg. G. *majora* rel. — *Ista*, nempe Naturæ mysteria, quæ hactenus adtigi, et quale est Ætheris et Terræ connubium, ad perpetuam rerum procreationem efficax, *canat majore Deo*, majoris et poten-

Impulit, et rerum caussas, et sacra moventem
Orgia naturæ, secretaque fœdera cæli.
Exstimulet vatem per Dindyma castra Cybelles,
Perque Cithæronem, Nysæaque per juga Bacchi,

tioris alicujus numinis vi et adflatu impulsus. Virgil. Æn. XII, 429: « Major agit Deus, atque opera ad majora remittit ».

218. *Quem Delphiea laurus*, quem ipsius Delphici Apollinis adflatus, cujus symbolum laurus est, *impulit.* Nam laurus ubi imposita capiti esset in templo Delphico, invitari et adtrahi Apollinis adflatus credebatur, et qui laurum momordissent vates et poetæ enthei fiebant. Hinc Statius, Achill. I, 509, *laurigeros ignes* vocat calorem vel furorem ab Apolline immissum ad vaticinandum; et Sabinus, Epist. I, 126, de vate quodam: « Sic cecinit laurus ille monere suas ». Hinc Horatius, nomen et gloriam poetæ adpetens, « Delphica lauro *sibi* comam cingi cupit », Carm. III, 30, 15. — *Ad rerum* Sa. *cæca moventem* vir doct.

219. *Orgya* J. B. R. *Organa* Arg. — *Moventem Orgia naturæ, secretaque fœdera cæli.* Quem naturæ mysteriis initiatum, et rerum eventuumque hujus universi caussas, corporum item cælestium naturam, ordinem, consensum et perpetuas leges altius scrutari solitum, Deus singulari impulsu excitavit, ut hæc carminibus exponeret. *Orgia* de quibuslibet mysteriis et arcana scientia, quæ proprie dicuntur *moveri* vel *commoveri.* Vid. Heynius ad Virg. Æn. IV, 301. Orgia naturæ movet, qui ejus arcana scrutari, cognoscere, celebrare instituit. *Fœdera cæli* sunt certus ordo, vis et natura invicem respondens siderum et tempestatum; *legem poli* vocat Val. Flacc. II, 357, et de varia terrarum conditione Virg. Georg. I, 60: « Continuo has leges, æternaque fœdera certis Imposuit natura locis ». Pluribus earum vocum significationem exposuit Burmann. ad Val. Flacc. I, 213.

220. *Dydima* J. B. R. — *Exstimulet vatem per Dindyma.* h. e. Alius vates tanto instinctu Apollinis agitetur, ut quemadmodum sacerdotes Cybeles et Bacchi per Dindyma et Nysæa juga, ipsique poetæ per juga et nemora Parnassi, sic ille per plures et longinquas regiones naturæ entheo spiritu feratur, vimque illius instinctus ipsa voce, spiritu et sono carminum suorum, uti bacchantes exclamationibus, fateatur. — *Dindymene* quoque dicitur Cybele in epitap. Anth. IV, 201, 43, et *Dindymena domina* Catull. Carm. LXIV, vs. 18. ED. — *Cybeles* Sa. et Dem. — Heins. ex Sangerm. cod. scribendum monuerat *casta Cybeles*, ad Ovid. Art. Am. I, 563; et Burm. *Cybelles* perperam scriptum adserit. Scripturam enim *Cybebe* viri docti amplectuntur, quoties in carmine syllaba est longa, non *Cybelle*; quoties autem brevis est, *Cybele*: ut Græcis Κυβήβη vel Κυβέλη. ED.

221. *Citheronem* J. B. J. J. H. A. Gr. G. *Citeronem* D. R. *Nyseia* J. B. R. *Nyseraque* L. *Nyseaque* reliqui præter Gryph. et Com. *Nysæiaque per juga* Dem.

Per sua Parnassi, per amica silentia Musis
Pierii nemoris, Bacchea voce frementem,
Delie, te, Pæan, et te, evie, evie Pæan.
Me mea Calliope cura leviore vagantem
Jam revocat, parvoque jubet decurrere gyro,
Et secum gracili connectere carmina filo,
Quæ canat inter opus musa modulante putator
Pendulus arbustis, olitor viridantibus hortis.

222. *Parnasi* J. B. R. *Parnasii* D. *pernica* (fortasse *per amica*) ant. Pol. *per omissa* reliqui, etiam Dem. excepto Comm. qui *per amica*. Et sic Sa. et vir doct. ad Ald. et Victor. in emendandis.—*Per sua*, i. e. juga, quod præcedit. Ed.

223. *Baccheia* Sa.

224. *Deliæ* D. J. B. R. *etehyie chyie paen* a. P. D. *chye echyre paen* L. *et te evie Pæan* Arg. *Delie io Paeun, teque Evie Evoe Evan* scribendum censet Heins. ad Ovid. A. A. I, 563. Pomponius legisse videtur *et Teie te Chie Pæan*, quia in adnotatione de Teio urbe, in qua ortus Anacreon, et de Chio insula et Apolliue Chio loquitur.

225. *Me mea Calliope*. Me tantum Calliope mea, tamquam minus numen regit, et pro levioris argumenti materia jam latius evagautem revocat. Pro *cura leviore* Heinsins emendabat: « Cyrrba ulteriore», vel «Cyrrhæ per rura vagantem ». *Curru leviore* placebat Laur. Santenio, ut refert Burm. ad Propert. pag. 500. — *Curaverit ore* a. P. Sa.

226. *Parvoque jubet decurrere gyro*, angusto carminis brevioris et humilioris spatio me continere. Similiter Ovid. Remed. v. 398 : « Adtrahe lora Fortius, et gyro curre, poeta, tuo ». *Gyrum* explicavimus olim (huj. op. tom. II, p. 436, et III, p. 240. Ed.)

227. *Gracili connectere carmina filo*, tenue carmen componere. *Fili* in bis locutionibus usum et rationem semel notavi ad Calpurn. IX, 11. In eundem modnm Anson. Mosell. 396 : « Mollia subtili nebunt mihi carmina filo Pierides ».

228. *Musas* J. B. R. *modolante* R. — *Quæ canat inter opus*. Rustici labores olim suos agrestibus cantionibus solebant demulcere et solari, ut loquitur Virgilius (Georg. I, 293; auct. Mor. 30). Ergo vinitores et putatores babebant peculiaria carmina, quæ suo labori erant accommodata. Anacreon Oda 52, ubi vide, quæ notat Barnesius. Sch. — *Putator* adfinis illi frondatori Virgiliano, « alta sub rupe canenti », Ecl. I, 57. Gesn.

229. *Pendulus arbustis*. Vites enim ita altis populis maritatæ alicubi, v. g. in Campania, apud Plin. Hist. Nat. XIV, 1, s. 3 : « ut vindemiator auctoratus rogum ac tumulum excipiat ». Hic, qui opus facit, *pendulus* est. Gesn. — Sed non necesse est putatorem vitium intelligere; nam etiam, qui aliarum arborum frondes putant (et hic *arbusta* nominantur), *penduli* ex iis sunt. Calpurn. II, 44 : « Me teneras

Quare age, quod sequitur, parvo discrimine sulci
Spargantur cæcis nasturtia dira colubris,
Indomito malesana cibo quas educat alvus,
Et satureia thymi referens thymbræque saporem,
Et tenero cucumis, fragilique cucurbita collo.
Hispida ponatur cinara, quæ dulcis Iaccho
Potanti veniat, nec Phœbo grata canenti.

salices juvat, aut oleastra putare, Et gregibus portare, etc. »

231. *Cecis* et *nasturtia* Dem. — *Nasturtia dira colubris. Nasturtium* (nostris *Kresse*) *nomen accepit a narium tormento.* Plin. Hist. Nat. XIX, 8, s. 44. Inde auctor Moreti, v. 84 : « Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu ».

232. *Indomito malesana cibo*, h. e. immodica ciborum copia ob famem indomitam ingestorum. — *Alvos* Dem. et omnes excusi præter H. Com. et Vict. in calce Gryph. 1541, et *alvus* Sa. et vir doct. ad Ald. — *Quas educat alvus.* Aperit Columella, quas cæcas colubras hic adpellet, nempe lumbricos, qui cæcis in alvi visceribus aluntur. Serenus Samon. v. 564 de iis : « interno quum viscere tænia serpens. Et lumbricus edax vivunt inimica creanti ». Dioscorides etiam nasturtium pellere ipsos tradidit. Et Plin. Hist. Nat. XX, 12, s. 50 : « Semen nasturtii ex vino omnia intestinorum animalia pellit : efficacius, addito mentastro ».

233. *Et satureia thymi. Thymus* in condimentario tantum genere erat, quo et sales condiebant. *Thymbra* vero non ad condimenta, sed ad cibos adhibita est, et præcipue a rusticis. Unde Attici rusticos populares suos θυμβροφάγους et θυμβρεπιδείπνους joco vocabant. Ejus vero species Latinis erat *Satureia*, a saturando dicta, quod eadem saturarentur. Hæc multis verbis Salmasius ad Solin. c. 56, p. 907. Sch. Vid. not. ad v. 113.

234. *Et tenero cucumis*, etc. Propertius quoque hæc conjungit, Eleg. IV, 2, 43 : « Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre ». Tenerum cucumeris collum dixit *juncum* auctor Copæ, v. 22 : « Est pendens junco cæruleus cucumis ». Ed.

235. *Hispida ponatur cinara.* Intelligitur carduus sativus, Græcis κάκτος et κινάρα, ut ostendit Salmas. ad Sol. c. 19, p. 159 et 160, et ad Tertull. de pall. c. 2; de quo serendo multis agit Palladius Mart. cap. 9, item Plinius, Hist. Nat. XIX, s. 43. Græcis *scolymon* vocari carduum hortensem notat Plinius, XX, s. 99. Galli *articactum* vocant, *artichaut*, nostri *Artischocken.* Pomum habet, sive capitulum squamatim compactum ad instar nucis pineæ, et aculeatum, ut monet Harduinus, Not. ad librum octavum, LXXXIII.

236. *Dulcis Iaccho Potanti.* Confirmat Plin. Hist. Nat. XX, 33, s. 99 : « Radix cujuscumque ex aqua decocta potoribus sitim facere narratur ». — *Nec Phœbo grata canenti*, i. e. cantori cuilibet, vel canere satagenti, ingrata est cinara, quod arterias offendit propter suam ama-

Hæc modo purpureo surgit glomerata corymbo,
Myrteolo modo crine viret, deflexaque collo
Nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc similis calatho, spinisque minantibus horret,
Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.
Mox ubi sanguineis se floribus induit arbos
Punica, quæ rutilo mitescit tegmine grani,

ritiem, et consequenter vocem strangulat. *Cantor Apollo* notus est ex Horatio, Art. Poet. 407.

237. *Hæc modo.* Videtur auctor diversa quædam genera describere cinaræ, hortensis quidem et esculentæ, quam recentiores rei hortensis periti, Linneo auctore, p. 728, antiquo vocabulo *Scolymus* designant, et duabus formis distinctam esse tradunt. Una est *aculeata*, altera *foliis non aculeatis*. Illam dicunt esse foliis spinosis, corpore vel capitulo ovali, squamis angustis et extrorsum flexis, colore subviridi; alteram sine aculeis, corpore globoso, squamis latis et introrsum versis, colore subfusco. Utriusque signa reperies in descriptione Columellæ. — *Purpureo surgit glomerata corymbo. Glomerata*, densis foliis compacta. Florem purpureum instar corymbi emittit. Plinius, Hist. Nat. XX, s. 99: « alter (carduorum) florem purpureum mittit inter medios aculeos, celeriter canescentem et abeuntem cum aura ».

238. *Murteolo* L. et vir doct. ad Ald. *Myrteolo* Sa. *Myrtiolio* Arg. *Myrtiolo* edid. Gesn. — *Myrteolo modo crine. Myrteolum* vocat verticem cardui a colore myrti arboris, qui alias myrteus. Conf. Salmas. ad Tertull. de Pall. p. 180.

239. *Adaperta* L. Sa. *Nunc adoperta manet*, i. e. nunc foliis vel squamis suis undique conclusa et operta manet ad modum globi; *nunc pinea vertice pungit*, in acutum verticem instar nucis pineæ adsurgens pungit. — *Pingit* J. B. R. *fingit* conj. Pius.

240. *Similis calatho*, apertis et distantibus foliis in modum calycis. — *Imitantibus* Pol. — *Spinis minantibus horret*, spinas arrectas habet.

241. *Pallida nonnunquam* de colore subviridi intelligo, quomodo « pallentes herbas » et « hederam pallentem » dixit Virgilius. — *Achantos* omnes præter Com. — *Tortos acanthos*, inflexos, sicut Virgil. Georg. IV, vs. 123, « flexi vimen acanthi » adpellat. *Acanthus*, herbæ nomen (nostris *Bærenklau*), cujus adultior caulis reflectit se et vergit ad humum, ut adnotat Heynius ad Virg. l. c. hunc ipsum Columellæ locum comparans.

242. *Imbuit arbor* a. P.

243. *Rutilo mitescit tegmine grani. Examina flammea* granorum mali Punici dicebat Avienus in carm. ad Flavian. v. 17 (vid. huj. op. tom. V, pag. 516. En.) Quasdam herbas tempore florentis mali Punici serendas præcipiunt veteres rustici. Columella, XI, 3, 42: « Beta florente Punico malo semine obruitur, etc. »

Tempus haris satio, famosaque tunc coriandra
Nascuntur, gracilique melanthia grata cumino,
Et bacca asparagi spinosa prosilit herba,
Et malache, prono sequitur quæ vertice solem:

244. *Aris* L. *Tempus haris satio.* Verba obscura et corrupta, quæ nemo explicet. Etiamsi *aris* legatur cum Ursino et vet. cod. intelligaturque *aron* bulbi genus, de quo Plin. XIX, 5, s. 30, ipsa tamen verborum conjunctio dura. De *Aro* dissertationem Ge. Wolfg. Wedelii Ienæ 1701 habitam citat Th. Cren. Animad. Phil. part. X, p. 15. Elegans conjectura est viri docti: « Tertia erit satio », quam tamen nullius libri scriptura juvante ægre sequor. Colum. XI, 3, 18: « Augusto circa Vulcanalia tertia satio est: eaque optima radicis et rapæ, itemque napi et siseris, etc. »

245. *Nascantur* P. *gracili* omnes, exceptis P. St. Com. cum Sa. *melantia* omnes præter Com. *camino* P. D. et Sa. — *Gracilique melanthia grata cumino. Melanthion* Græcis et *melanspermon*, alias *Gith*, ut ait Plin. XX, 17, s. 71: « Optimum, quam excitatissimi odoris, et quam nigerrimum ». Vulgo *Nigella*. Auson. in Technop. de cibis: « Est inter fruges morsu piper æquiparans git ». *Gratum melanthium cumino* dicitur, puto, quod conjunctum cumino gratum censetur ad condiendum, vel gratiorem saporem habet.

246. *Baca* aut. P. et Junt. *bacas* nova P. *bachas* D. Pro *bacca*, *virga* vir doct. *aspargi* P. D. — *Et bacca asparagi.* De sativo vel hortensi genere asparagi loquitur. Nam alterum est silvestre, quod *corrudam* vocant, atque infra describit Noster, v. 375, et XI, 3, 43. — Hoc genus Mart. XIII, 21 dicit non cedere altilibus et satis Ravennatibus, qui optimi habebantur. Silvestres asparagos sponte sua in montibus nasci testatur Athen. II, 22. Ed. — *Spinosa herba* ei tribuitur, quia tantum spinas pro foliis habet. Plinius, XXI, 15, s. 54: « Spinosarum herbarum multæ species. In totum spina est asparagus, scorpio: nullum enim folium habet ». Hinc simpliciter *spina* dicitur apud Martial. XIII, 21: « Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna ». Nostris est *Spargel*, Gallice autem *asperge*.

247. *Molohech* P. a. *noloche* P. *moloche* D. L. Junt. *malochæ* Sa. — *Et malache, prono sequitur.* Plinius auctor est, « malvæ speciem vocari malachen ». Ne *malachen* olim pro malva interpretarer, hoc in caussa erat, quod apud neminem auctorem deprehenderam, malvam ad solem verti: sed quod usu nuper discimus, id reprobari non posse censemus. Vidimus oculata fide, malvam solem sequi, ut heliotropium, helioscopium, et intybum sive cichoreum: quod facere reor has herbas, quoniam frigidissimæ sunt, solemque, sine quo intermoriuntur, sectari solent. Pius. — Theophrastus et Columella ex malvarum foliis circumactis ad solem, diei horas nobis ostendi testantur. Et ea de caussa ἡλιότροφος vocata est. Consule et Plinium, Hist. Nat.

Quæque tuas audax imitatur, Nysie, vites,
Nec metuit sentes: nam vepribus improba surgens
Achradas, indomitasque bryonias adligat alnos.
Nomine tum Graio, ceu litera proxima primæ
Pangitur in cera docti mucrone magistri;
Sic et humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur folio viridis, pede candida, beta.
Quin et odoratis messis jam floribus instat:
Jam ver purpureum, jam versicoloribus anni
Fetibus alma parens cingi sua tempora gaudet.
Jam Phrygiæ loti gemmantia lumina promunt,

XX, 21, s. 84, qui *malachen* ab emolliendo ventre dictam tradit.

248. *Nysiæ* D. Arg. *Nisi* Gryph.

249. *Sentis* D.—*Nam vepribus improba surgens*, crescit, exnberans et luxnrians inter vepres adeo: nam Plin. de *bryonia* s. vite nigra, XXIII, 1, s. 17: « In frutectis et arundinetis maxime nascitur ».

250. *Archados* D. *Achrados* vnlgatæ. *Achradas* vult Urs. *byonias* Dem. *bysonias* P. *biomas* R. *bionias* L. J. B. H. A. Arg. Gr. G. St. Riv. *bronias* Junt. *bryonias* Vict. in emendandis: sic etiam Sa. *brionias* vir doct. — *Achradas*. De his vid. not. ad v. 15. *Achradas* casu qnarto legendnm esse, non *achrados*, quod in editis est, prorsus existimo, quamvis improbante Gesnero. Nam genitivus a vepribns pendens esse non potest: qui enim vepres achradi adtribuerit Columella. Sed achradas æque ac alnos dicitur bryonias, in silvis crescens, adligare. *Bryonias*, ut Plinius l. c. tradit, vitis nigra, ab aliis Chironia, aliis gynæcanthe, aut apronia dicitur, similis, præter colorem, viti albæ, cujus *sarmenta*, ut idem s. 16, « longis et exilibus internodiis geniculata scandnnt: folia pampinosa ad magnitudinem ederæ, dividuntnr, ut vitinm ».

251. *Cum Graio* D. J. B. R. — *Ceu litera proxima primæ*, quæ dicitur *beta*. Symphosii ænigma XLII; « Tota vocor Græce, sed non sum tota Latine » (quia Latine tantum *be* dicitur).

252. *Panguntur* H. *Pangutur* A. *docto* P. L. D. Sa. — *Mucrone magistri*, stylo vel graphio. *Docto* malim scribere, qnam *docti*.

254. *Solio* B. R. —*Pede candida*, i. e. canle, stipite vel radice alba. Idem significant, v. 326, « pallentia robora betæ ». Supra v. 188 dicebat *crure lactea*. Beta Germanis *Bete* sive *Mangold*.

255. *Instant* Dem.

256. *Jam ver purpureum*. Expressit e Virg. Ecl. IX, 40.—Pro *anni*, *annis* Dem. *annus* Sa.

258. *Lotæ* Sa. D. L. J. B. R. — *Jam Phrygiæ loti*. *Lotus* arbor est Ægypti et Africæ, cum herba cognomine non confundenda. De ntraque agit Theophr. Hist. Plant. IV, 4, et Plin. Hist. Nat. XIII, 17

Et conniventes oculos violaria solvunt,
Oscitat et leo, et ingenuo confusa rubore
Virgineas adaperta genas rosa præbet honores
Cælitibus, templisque Sabæum miscet odorem.

et 18. Videtur autem istius herbæ magnus in Phrygia fuisse proventus, unde a Nostro *Phrygiæ loti*. Flos ejus lilio fere similis est, et conspicitur in imaguncula Harpocratis apud Cuperum in Harpocr. etc. Sch. — *Phrygia lotos* a poetis subinde dicitur tibia, et tum respicere epitheton illud Gesnerus putat ad arborem, e cujus cortice factæ sunt tibiæ. Ego potius cum Dan. Heins. ad Sil. Ital. XI, 432, arbitror loton simpliciter et metonymice dici tibiam, sine respectu materiæ, quemadmodum *pinus* et *buxus*, Phrygiam autem adpellari, quod in ea regione primum inventa et maxime usitata fuit. Sic enim et Phrygius sonus et cantus nominatus. Columella ubi Phrygiam loton de herba dicit, haud dubie deceptus est usitata illa tibiæ Phrygiæ adpellatione. Plantam enim loton in Phrygia nasci, nemo Veterum, quantum scio, prodidit. Fortasse non aliam, quam *meliloton* intelligit, quam *ubique nasci* et *croco simillimam esse* tradit Plinius, XXI, 11, s. 37. Et hæc inter flores lectiores refertur apud Ovid. Fast. IV, 440: « Pars thyma, pars casiam, pars meliloton amat ». — *Geminantia* P. L. *promant* J. B. R. — *Gemmantia lumina*; vid. quæ supra notantur ad v. 37.

259. *Conruentis* L. *conniventis* D. *vivaria* Sa. P. *in varia* D.

260. *Oscitat et leo*. De planta quæ Leo dicitur, vid. ad v. 98.

261. *Ad aperta* D. *adaperta* Sa. et vir doct. *adoperta* Gesn. — *Virgineas adaperta genas*. Prætuli lectionem *adaperta* vulgatæ *adoperta*, non solum quia sic in cod. Scalig. et S. Germani legitur, testante Burmanno ad Anthol. Lat. III, 289, 8, sed et quia hæc melius congruit cum reliquis hactenus dictis *solvunt oculos*, *oscitat leo*; et alii similiter de rosis loquuntur. Sic in epigr. cit. Anthol. « Huic dum virgineus pudor exsinuatur amictu », et in Auson. Idyll. de rosis, v. 31: « Nec mora ridentis calathi patefecit honorem ». Scilicet rosa, ubi adulta est, aperiri, solvere ruborem vel pudorem, hactenus tectum et conclusum, dicitur. Quod luculenter exprimit Pervig. Ven. v. 25: « Cras ruborem qui latebat veste tectus ignea, Uvido marita nodo non pudebit solvere ». — *Prebet* D. *præstet* Sa. *præstat* J. B. R. et vir doct.

262. *Celitibus* J. B. R. H. *Cælitibus* F. J. A. Arg. Gr. G. — *Præbet honorem Cælitibus*, nempe coronis et sertis, e rosa præsertim nexis, quibus in festis Deorum sacris postes templorum, altaria et statuæ Deorum ornantur. Virgil. Æn. II, 249. Ovid. Met. VIII, 264: « Templa coronantur ». Virg. Georg. IV, 276: « Sæpe Deum nexis ornatæ torquibus aræ ». Ovid. Fast. IV, 138, de Veneris statuis: « Aurea siccato redimicula solvite collo: Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est ». — *Sabeum* J. B. R. *honorem* Dem. — *Templisque Sabæum miscet odo-*

Nunc vos Pegasidum comites Acheloidas oro,
Mænalidumque choros Dryadum, nymphasque Napæas,
Quæ colitis nemus Amphrysi, quæ Thessala Tempe,
Quæ juga Cyllenes, et opaci rura Lycæi,
Antraque Castaliis semper rorantia guttis,
Et quæ Sicanii flores legistis Halesi,
Quum Cereris proles vestris intenta choreis
Æquoris Hennæi vernantia lilia carpsit,

rem, atque una cum ture Sabæo, quo incendnntur aræ, templa fragrantia sui odoris implet. Turis et flornm odores in sacris Deorum sæpe conjunguntur. Virg. Æo. I, 417: « Sabæo Ture calent aræ, sertisqoe recentibns halant ».

263. *Comitis Atheloidas* Dem. — *Pegasidum comites Acheloidàs*. Acheloides proprie quidem sunt nymphæ Achcloi, qui flnvius est, Ætoliam ab Acarnania dividens; sed metonymice omnes Naiades, nymphæ fontanæ vel amnicolæ, ut una earum *Achelois* dicitur ab auctore Copæ, v. 15. Nam Achelous pro qnavis aqua ponitur a poetis. *Comites Pegasidum* vel Musarum dici Acheloidas arbitror, quia Musæ, Pegasides ab Hippocrene, Heliconis fonte, dictæ, ejus fontis nymphæ sunt, eoque sociæ aliarum. Nymphas cum Musis in Helicooe choros ducere ex antiqua Æsopi fabula narrat Himerios, Orat. XX, 2.

264. *Menaliosque* D. P. L. *Mænaliosque* Sa. *Menaliumque* J. *Menalidunque* B. R. *Mænalidumque* Bochn. et Junt. *Mænalium* A. Arg. Riv. et al. *Driadum* J. B. R. *Napeas* D. J. B. R. J. J. H. A. Arg. Gr. St. — *Mænalidumque choros Dryadum*. Invocat poeta in sequentibus *Dryadas*, quæ saltuum, et *Napæas*, quæ florum Nymphæ sont, plurium regionnm, nemorum et fluminum, quæ ab amœnitate et florum fertilitate celebraotur. Quas omnes ubi poeta in hortos suos invitat, ut flores legant, poetica qusdam phantasia nihil aliod, quam copiam, varietatem amœnitatemque florum nunc in hortis vernantium, variamque ex iis capiendam volnptatem et oblectationem piogere conatur.

265. *Amphrysique et* Jens. B. R. *Amphryssi* L. D. — *Quæ colitis nemus*. *Amphrysus* est fluvius Thessaliæ, *Cyllene* et *Lycæus* mootes Arcadiæ. *Castalius* vel *Castalia* fons in radicibus Parnassi, Musis sacer. *Halesus* vel *Alæsus* fluvios Siciliæ, com *Halesa* urbe, nbi Proserpina flores legebat. Diversus ab eo fons mirabilis in agro Halesino, quem Priscianos in Perieg. ex Solino describit, v. 499 seqq. Claudianus de Rapt. Pros. lib. II, 57 seq. aliorum fontium et fluminnm Nymphas Proserpinæ comites, uon Halesi, nominat, ut Crinisi, Pautagiæ, Gelæ, Arethusæ, Cyanes. — *Thesela* R. *Tesalla* L.

267. *Casis* P. *Castaleis* Jens.

268. *Siceani* D. *Siceanii* H. G.

269. *Intecta* D. *nostris intacta* L.

270. *Ætnei* J. B. R. H. Gr. *Æthnei* J. J. A. G. *hemiei* a. P. *hetnei*

Raptaque, Lethæi conjux mox facta tyranni,
Sideribus tristes umbras, et tartara cælo
Præposuit, Ditemque Jovi, letumque saluti,
Et nunc inferno potitur Proserpina regno :
Vos quoque jam posito luctu, mœstoque timore,
Huc facili gressu teneras advertite plantas,
Tellurisque comas sacris aptate canistris.

Dem. *Ennei* Vict. etiam in emendandis. *Ætnæi* St. *et nei* L. *Hennæi* Sa. et vir doct. — Passim autem *Hennæa Ceres* in *Ætnæa* a librariis mutata, quod præter alios monuit Scriverius, in notis ad Pervigilium Ven. vs. 19. Ed. — *Æquoris Hennæi* planissimi campi apud Hennam Siciliæ urbem. Ibi Proserpinam comitantibus Nymphis flores legisse fusius narrat Claudian. Rapt. Pros. II, 55. Antiquiores editiones omnes hic *Ætnæi* scripserunt, unde Pomponius hic de planitie vertici Ætnæ vicina loquitur. Idem accidit loco Claudiani de Rapt. Pros. I, 122, et vicinia celebritasque Ætnæ montis, incendio suo nobilissimi, induxit librarios, ut Hennam in Ætnam mutarent. Sed Hennam, Hennæam Cererem et Hennæos campos restituit N. Heinsius ad d. l. Claudiani, quos etiam raptu Proserpinæ insignes faciunt Ovid. Fast. IV, 422, et Claud. Rapt. Pros. II, 72. — *Hennæam* rectius quam *Ænnæam* scribi dudum monuerunt docti viri, quomodo *Hennenses* passim exaratur in Ciceronis Verrinarum MSS codice Huydecoperiano. Plura de hac re notavit Burm. ad Numism. Sic. p. 368. Ed.

271. *Læthei* J. B. R. *Lethei* D. H. *lites* L. *coniunx* J. B. R. J. J. *tiranni* D. R.

272. *Imbres* Dem. *umbrasset tartara* J. B. R.

273. *Preposuit* D. *lætumque* D. J. B. R. *letumque* J. J. H. A. Arg. Gr. G. *luctumque* L.

275. *Vos quoque*. Hæc adlocutio refert se ad vers. 268, et Nymphas Halesi sigillatim advocat eo fine, ut amœnitatem et lætitiam in hortis capiendam hoc efficacius et disertius commendet. Istæ enim Nymphæ quod ob raptam Proserpinam consternatæ metu diffugerant, et diu luxerant, nunc contra in hortis nulli timori locum esse, sed omnia plena jocis et deliciis esse adfirmat.

276. *Tenera avertite* D.

277. *Artate* P. n. L. *aptate* Sa. Dem. etiam MS Heinsii ad Ovid. Fast. IV, 451, et ita videtur Ursinus: *optate* J. B. R. A. Arg. H. G. Riv. Gesnero placet *artate*. — *Sacris aptate canistris*, reponite et apte collocate canistris, ut multos flores capiant. Sic convenit cum Ovidio, qui de iisdem Nymphis Fast. IV, 451 : « At chorus æqualis cumulatis flore canistris ». Addit *sacris*, quia Nympharum canistra sunt. Et fortasse respicit virgines κανηφόρους, quæ in sacris Cereris, Palladis, Bacchi, canistra frugibus et floribus plena cervice portabant, quas describit Ovid. Met. II, 713 : « Illo forte die, castæ de more puellæ Ver-

Hic nullæ insidiæ nymphis, non ulla rapina,
Casta Fides nobis colitur, sanctique Penates.
Omnia plena jocis, securo plena cachinno,
Plena mero, lætisque virent convivia pratis.
Nunc ver egelidum, nunc est mollissimus annus,
Dum Phœbus tener, ac tenera decumbere in herba

tice supposito, festas in Palladis arces, Pura coronatis portabant sacra canistris ». Copiosius de iis agit Spanhem. ad Call. in Cer. v. 127.

278. *Hinc* A. Arg. Gr. Riv. *Hic* St. Com. Gesn.

280. *Chachinno* L. Je. *chachino* D. — *Securo plena cachinno. Securo*, qui non metuat, ne sinistre a quopiam excipiatur. Qualem securitatem cœnæ suæ promittit Martial. X, 48, 21: « Accedent sine felle joci, nec mane timenda Libertas, et nil, quod tacuisse velis ». *Cachinni*, risus solutiores et joci, condimenta liberiorum cœnarum habebantur, ut Catullus, Carm. XIII, « cœnam *poscit* non sine candida puella, Et vino et sale, et omnibus cachinnis».

281 *Vigent convivia* Sa. — *Virent convivia pratis*. Pronum erat hic legere *vigent convivia*, i. e. exerceantur et celebrantur, ut *scena viget* apud Ovid. Trist. III, 12, 23. Atque exhibet hoc optimus cod. S. Germ. probavitque Ursin. Ego tamen præfero vulgatum *viret*, ut exquisitius. Quod quia de juvenili ætate frequentatur a poetis, ut Horat. Carm. I, 9, 17, et Epod. XIII, 4, et Ovid. Fast. V, 174, jam nihil vetat, quominus *virere* etiam de juvenilis ætatis adjunctis accipiamus, idemque existimemus, quod juvenari, lascivire, luxuriare. *Virent* igitur convivia, quæ lascive et genialiter aguntur; idque hoc aptius dicitur hoc loco, quod de pratis sermo est, et lante convivantes flores et coronas sibi recentes aptant, quos ipsos Noster, v. 99, *virentes* adpellat, licet minime virides.

282. *Est gelidum* D. L. J. B. R. — *Nunc ver est gelidum*. Lego: *Nunc ver egelidum*, quæ lectio elegantior et nitidior: namque optimo epitheto *ver egelidum* dicitur quasi intepescens. Catullus Carm. 47: « Jam ver egelidos refert tepores ». Egelidus dicitur tepidus, quasi sine gelu. Ovidius *gelidum* et *egelidum* tamquam contraria scitissime disparavit illo versu (Am. II, 11, 10): « Et gelidum Borean, egelidumque Notum ». Beroald.— Addi meretur Eleg. in obit. Mæc. v. 102, ubi *egelidi lacus* intelligendi sunt verno tempore tepidi, nec calidi, nec frigidi. Illic enim conglaciatis aquis opponuntur. Vid. Bapt. Pium ad Lucret. de Nat. Rer. IV, 493, et quæ notavit Muret. ad lectum Ovid. versum. Ed.

283. *Tenerans* P. Sa. *at ten.* Jens. — *Dum Phœbus tener*. Dum Solis calor adhuc moderatus, invalidus, minus vehemens est. Ipsum ver *annus tener* dicitur Ovidio, Met. XV, 201: « Nam (annus) tener, et lactens, puerique simillimus ævo Vere novo est ». *Jovem tenerum*, i. e. aera tenuem, serenum et tranquillum, vidimus in Luc. Ætn. v. 374. — *Decumbit* Sa. Dem. L. J. B. R.

Suadet, et arguto fugientes gramine fontes
Nec rigidos potare juvat, nec sole tepentes.
Jamque Dionæis redimitur floribus hortus,
Jam rosa mitescit Sarrano clarior ostro.
Nec tam nubifugo Borea Latonia Phœbe
Purpureo radiat vultu, nec Sirius ardor
Sic micat, aut rutilus Pyrois, aut ore corusco
Hesperus, Eoo remeat quum Lucifer ortu;

284. *Gaudet* J. B. R. et Gr. St. in margine. — *Decumbere in herba suadet.* Simili dictione Calpurn. Ecl. VIII, 8 : « viridique greges permittere campo Et ros, et primi suadet clementia solis ». — *Fugientis gramine fontis* D. Sa. et vir doct. pro *gramine gurgite* vir doct. *carmine* vel *murmure* conj. Gesn. — *Arguto fugientes gramine fontes.* Ex Virgilio, Ecl. VIII, 22 : « Mænalus argutumque nemus, pinosque loquentes Semper habet », ubi Servius : « Argutum, garrulum, stridulum, ut *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis* ». Schoettg. — *Argutum* etiam dici locum arbitror, qui aliquo sono perstrepit, ut *argutum forum* Ovidii Art. Am. I, 80. Et *gramen* hic accipiendum est pro loco graminoso. — Immo hic hypallage est pro *arguti fontes*. Ed.

285. *Potat latices* vir doct.

286. *Dioneis* præt. Com. omnes : *redimitur* omnes excepto Com. et Gesn. qui *ridimitur : herbis* a. P. Sa. — *Dionæis redimitur floribus.* Dione mater Veneris, et ipsa Venus, ut in Pervig. Ven. v. 7, 11, 42. Et omnes horti in tutela Veneris esse dicebantur, ut aiunt M. Varro, lib. V, de Lat. Ling. p. 48, et Festus in *Rustica Vinalia.*

287. *Nitescit* J. B. R. v. Beroald. — *Jam rosa mitescit*, maturescit, adolescit. *Sarrano ostro*, i. e. Tyrio, ab antiquo urbis nomine, Sarra seu Tsor. Virg. Georg. II, 506.

288. *Nec jam* a. P. *nabifico* Jens. et novus Pol. it. Lips. *nubifico* Dem. — *Nubifugo Borea.* Ovid. Met. I, 262 : « Æolis Aquilonem claudit in antris, Et quæcumque fugant inductas flamina nubes ». Cum pluribus deinceps sideribus auctor comparat nitentes in hortis flores, quos supra v. 96 *terrestria sidera* vocavit.

289. *Syrius* J. B. R. J. J. H. A. G. — *Sirius ardor*, pro stella ardente Sirii, et adjective etiam Nemesianus, Laud. Herc. v. 124 : « jam Siria cessant Sidera », et *ardere* velut proprium de Sirio. Lucilius, Ætn. 597: « fervens quum Sirius ardet ». Virg. Georg. IV, 425 : « torrens sitientes Sirius Indos Ardebat ».

290. *Ut rutilus* D. *Pyrous* omnes excusi. *Pyrois* Sa. et vir doct. — *Aut rutilus Pyrois.* Πυρόεις stella Martis ipsi etiam Ciceroni est de Nat. Deor. II, 20, itemque Mart. Capellæ lib. VIII, p. 287, quem laudat Schœttgenius. Gesn.

291. *Eoo remeat quum Lucifer ortu.* Senec. Hippol. 750 : « Qualis est primas referens tenebras Nuntius noctis, modo lotus undis Hesperus, pulsis iterum tenebris Lucifer idem ».

Nec tam sidereo fulget Thaumantias arcu :
Quam nitidis hilares collucent fetibus horti.
Quare, age, vel jubare exorto, jam nocte suprema,
Vel quum Phœbus equos in gurgite mersat Hibero,
Sicubi odoratas prætexit amaracus umbras,
Carpite, narcissique comas, sterilisque balausti.
Et tu, ne Corydonis opes despernat Alexis,
Formoso Nais puero formosior ipsa,
Fer calathis violam, et nigro permista ligustro
Balsama cum casia nectens, croceosque corymbos,

292. *Figet* a. P. *fulgeat* D. *Taumantias* J. B. R. *Thaumacias* L. *arquu* J. — *Thaumantias arcu*. Pleue *Thaumantias Iris* apud Ovid. Met. IV, 479. « Cinctam Thaumantida nimbis » vocat Claudian. Rapt. Pros. III, 1. Thaumantis et Electræ filiam, Harpyiarum sororem, faciunt mythologi, et Thaumantis quidem, quia θαῦμα est, spectaculum admirabile, τέρας ut vocat Homerus, Iliad. XVII, 548. Ita Gesnerus ad Claudiani l. c.

293. *Hylares conlucent* Dem.

295. *Vel quom* J. B. R. *dum* P. Sa. — *In gurgite mersat Hibero*, i. e. Hispanico et occidentali. *Hiberia* Hispania a flumine Hibero. De usu τοῦ *mersare* in descriptione solis occidentis dixi ad Sal. Bassi carm. v. 197 (huj. op. t. III, p. 260. Ed.)

296. *Sic ubi odoratas* Dem. — *Prætexit amaracus umbras*. *Amaracus*, Ægyptiis sampsuchum, de quo v. 171. Vulgo *Mojorana*. Virgil. Æn. I, 693.

297. *Balausi* omues præter Com. *balausti* jussit Vict. in emendandis; et sic Sa. — *Sterilisque balausti*. « Balaustium est flos mali Punicæ silvestris », ut Plinius docet, XIII, 19, unde et sterile Nostro vocatur. Isidorus, Orig. XVII, 7 : « Agrestum malorum flores Græci βαλαύστιον adpellaverunt, quorum alii albi, alii rosei reperiuntur, similes floribus mali Punici ». Sch.

298. *Et tunc* J. B. R. *et tunc Corydonis* Dem. — *Ne Corydonis opes despernat Alexis*. Respicit versum Virgilii, Ecl. II, 56 : « Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis ». *Despernat* pro despiciat, vel valde spernat, rarum esse existimo, fortasse unius Columellæ.

299. *Nays* J. B. R. J. J. H. A. Arg. Gr. G. — *Formoso Nais*. Imitatur Virgilium, Ecl. V, 44: « Formosi pecoris custos, formosior ipse ». Sch.

300. *Permixta* D. — *Nigro permista ligustro*. Quidquid arbusculæ sit ligustrum, album certe est, quod evincunt loca a Lud. Cerda ad Virg. Ecl. II, 18, conducta. Itaque placet Parrhasii correctio hujus loci a diligentissimo Cerda laudata, *niveo ligustro*. Gesn.

301. *Corimbos* J. B. R. — *Balsama cum casia*. *Casia* alias cortex est arboris, qui inter odores adhibitus est : hic vero est herba, quæ alias

Sparge mero Bacchi : nam Bacchus condit odores.
Et vos agrestes, duro qui pollice molles
Demetitis flores, cano jam vimine textum
Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.
Jam rosa distendat contorti stamina junci,
Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha,
Mercibus et vernis dives Vortumnus abundet,

libanotis, nobis *rosmarinus* (*Romarin*) dicitur, et vocatur *libanotis coronaria*. Sch.—*Croceosque corymbos*, flores croci ad speciem corymbi crescentes. Vid. supra v. 237.

303. *Pollice flores Demetitis*. Phrasin a Virgilio petiit Æn. XI, 68 : « Qualem virgineo demessum pollice florem ». — *Mollis* D.

304. *Raro jam vimine* conj. Heins.

305. *Surpiculum* D. J. B. R. *syrpiculum* J. J. A. Arg. Gr. G. — *Sirpiculum*, i. e. canistrum e sirpis confectum, vel cophinum vimine textum. Est diminutivum, descendens a *sirpis*, quia ex illis h. e. juncis fiebant *sirpicula* sive *sirpiculæ*, πλέγματα. Propert. lib. IV, el. 2, 40: « Sirpiculus medio pulvere ferre rosam ». Hinc et verbum *sirpare*, quod est adligare, πλέκειν. Varro IV de Ling. Lat. p. 34, exponit *conligando implicare*. Cren. in Anim. part. X, p. 16. — *scirpea* vel *sirpea fiscina* in Copa », v. 17, legunt quædam antiqua exemplaria, pro quo alia habent *juncea fiscina*, forte interpretamenti loco. — *Hiacynthi* Jens. *hiacyntis* B. *hiacintys* R.

306. *Jam rosa distendat*, i. e. exoneret, nempe fartu, constipatione et pondere. Similiter supra v. 84 *diductos pondere qualos* dicebat. — *Contorto* D. *tinctores* L.

307. *Flameola* J. B. R. *salta* D. J. B. R. J. J. H. A. G. *calta* L. — *Flammeola caltha*. *Flammeum* adpellatur, quod colore flammeo tinctum est. Diminutivo utitur Columella, ut blandius et delicatius eloquatur, Virgilium imitatus, qui Ecl. II, 50 : « Mollia luteola pingit vaccinia caltha » : quæ hic *luteola* dicitur, Nostro *flammeola* est. Ipse Noster supra v. 238 : « Myrteolo modo crine viret ».

308. *Ut vernis* D. Sa. J. B. R. quod fere præferam vulgatæ, *portunnus* Sa. J. J. J. H. A. Arg. Gr. G. St. *portunus* Dem. Riv. et al. *portanus* L. *Vertumnus* vir doct. — *Mercibus et vernis dives Vortumnus abundet*. Sic emenda meo periculo : *Mercibus ut vernis*. Columellæ enim sensus est : Et hortulani accingant se ad calathos rosis et calthis implendos, pomis onerandos et reliquis fructibus ; ut his vernis mercibus Vertumnus, Deus fori habitator, Pomonæ amator, abundet : quibus mercibus in foro apud Vertumnum divenditis, gravis ære ex urbe Roma redeat manus agricolarum, etc. Pius, Adnotat. poster. c. 33.—*Vertumnum* Deum præsidem fuisse rerum vertendarum, emendarum ac vendendarum, id est, mercaturæ, cujus signum in vico Tusco vel Turario fuit, docent Asconius ad Cic. Verr. I, cap. 59, et Porphyrio ad

Et titubante gradu, multo madefactus Iaccho,
Ære sinus gerulus plenos gravis urbe reportet.
Sed quum maturis flavebit messis aristis,
Atque diem gemino Titan extenderit astro,
Hauserit et flammis Lernæi brachia cancri,
Allia cum cepis, cereale papaver anetho

Horat. Epist. I, 20, 1. Ibi igitur merces variæ exponebantur venales, præcipue hortorum et pomariorum fetus, quorum primitiæ offerebantur Vertumno, quia vertentis anni symbolum esse, et pro varia cæli facie et tempestate, variis etiam hortorum et vinearum fructibus gaudere credebatur. Propertius, lib. IV, 2, 41, in persona Vertumni: « Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura, Hortorum in manibus dona probata meis ». Quocum confer. Ovid. Met. XIV, 689.

310. Pro *gerulus* habet *genus* D. et *olitor* vult vir doct. *plenus* Sa. D. — *Ære sinus gerulus*. Ex Virgil. Ecl. I, 36: « Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat ». *Gerulus* hortulanus ille, qui flores suos ad forum portavit, ibique vendit, et cum crapula et pecunia domum redit. Ita quoque hunc locum explicat Schefferus de Re vehic. II, 2, p. 26. Sch. — Formula illa *gravis ære* ex mercibus venditis pluribus usurpata, ut Catullo, XX, 14: « Meisque pinguis agnus ex ovilibus Gravem domum remittit ære dexteram ». Et vid. not. nostr. ad Moreti v. 81.

311. *Quom maturis* J. B. R. *in* ins. B. R. *maturis* J. B. R. J. J. H. Arg. G. *maturæ* Gr. St. Com. *flammebit* P. *missis* H. A. — *Flavebit messis aristis*. Virgil. Ecl. IV, 28: « Molli paullatim flavescet campus arista ».

311. *Expenderit* P. Sa. — *Gemino Titan extenderit astro*, h. e. in signo Geminorum, quod fit mense Junio, et quum deinceps *brachia Cancri* subjicit, Julium mensem designat. Ovid. Fast. VI, 727, de die XX Julii: « Sol abit e Geminis, et Cancri signa rubescunt ».

313. *Et terris* J. B. R. et vir doct. ad Ald. *Lernæi* B. R. *Lærnei* D. J. J. H. A. Arg. G. — *Hauserit et flammis Lernæi*, i. e. adtigerit, occupaverit, intraverit, ut Virgil. Georg. IV, 426: « cælo et medium sol igneus orbem Hauserat ». Heynius ibi, hoc etiam Columellæ loco adducto, *hauserat* explicat *peragraverat*, *emensus erat*, quod Virgiliano loco aptius, nostro minus est. Supra Noster, v. 41: « Oceani sitiens quum jam Canis hauserit undas ». *Lernæus* dicitur Cancer cælestis, auctore Hygino, quia Herculis contra hydram Lernæam pugnantis pedem momordit, et ab Hercule interfectus, a Junone autem inter sidera constitutus est.

314. *Alia* R. *Alia tunc* Sa. *cæpis* J. B. R. — *Cereale papaver*. Epitheton Virgilii, Georg. I, 212, ubi Servius: Cereale papaver, vel quod est esui, sicut frumentum, vel quo Ceres usa est ad oblivionem doloris. Sch. — Addit Heynius, quia Cereris ornamentum symbolicum esse solet, in signis, apud poetas. — *Aneto* præter Commelinum omnes.

Jungite, dumque virent, nexos deferte maniplos,
Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes,
Mercibus exactis, hilaresque recurrite in hortos.
Tum quoque proscisso riguoque inspersa novali
Ocima comprimite, et gravibus densate cylindris,

315. *Adferte* Dem. — *Nexos deferte maniplos.* Venales in urbem ad macellum portate. Sic Seneca, Epist. XLII: « Videamus, hoc, quod concupiscimus, quanti referatur », i. e. quanti vendatur. Potest tamen etiam exponi, quanti ematur. Rem, inquit Salmas. in Tertull. de pall. p. 454, domo in macellum defert venditor, e macello domum emptor : hinc deferre et pro vendere, et pro emere positum: mercem defert venditor, pretium emptor, hoc est, παρέχει, etc. Carr. — Mihi videtur *deferre* hoc loco simpliciter notare *deportare* in urbem vel forum ad vendendum; ut auctor Moreti, v. 80: « Venales olerum fasces portabat in urbem ».

316. *Et celebres Fortis Fortunæ.* Deam intelligit, Fortis Fortunæ nomine (hinc literis initialibus majoribus scripsi), cui dies festus et fanum secundum Tiberim extra urbem sacratum a Servio Tullio rege est mense Junio, teste Varrone, lib. V de L. L. p. 47. Et Donatus ad Terent. Phorm. V, 6, 1 : « Fors Fortuna est, cujus diem festum colunt, qui sine arte aliqua vivunt ». Est Dea prosperi eventus, distincta ab ea, quæ Fortuna simpliciter dicitur et dubia est, eique gratias agebant, quibus aliquid prospere successerat. Sed a rusticis et olitoribus maxime cultam esse, hic locus Columellæ docet. Nam et tempus, quo Forti Fortunæ laudes esse dicendas ait, cum mense, quo ejus dies festus erat, congruit. Mensem Junium supra vs. 313 designavit Noster, et Ovidius honores annuos Fortis Fortunæ VIII Cal. Jul. venire dicit Fast. VI, 773, ritusque eo die celebratos describit. Pari significatione *Bonus Eventus* est inter Deos rusticos cultus, quem invocat Varro R. R. I, 1, 6.

317. *Mercibus exactis.* Exigere merces est extrudere, ut in illo Hor. Ep. II, 2, 11 : « Plenius æquo Laudat, venales qui vult extrudere merces ». Gesn. — *Hilarisque* D.

318. *Insparsa* D.

319. *Ocima* Sa. D. *Ocyma* B. R. Riv. *Ozima* J. J. J. H. A. Arg. Gr. G. St. — *Ocima comprimite.* Non *ocyma* legendum est, sed *ozyma* pro herba odorata et condimentis idonea; quæ derivatur ab ὄζειν redolere.—Nos *ozymum* lingua vernacula dicimus *basilicum*. *Ocymum* vero inter pabularia numeratur, tantum ab *ozymo* distans, quantum ab Eridano Hypanis. De *ozymo* Plinius meminit lib. XXI inter hortensia, de *ocymo* vero lib. VIII: « Apud antiquos erat pabuli genus, quod Cato Ocymum vocat, quo sistebant alvum bubus. Id erat e pabulis segete viridi desecta, antequam gelaret ». Varro a celeritate proveniendi dicit dictum; quod ὠκὺς *ocyos* celer dicatur. Pius, Annot. post. c. 169.— In Priapeiis, epigr. 52, vs. 18 : « Ad ocymumve, cucumeresve hu-

Exurat sata ne resoluti pulveris æstus,
Parvulus aut pulex irrepens dente lacessat,
Neu formica rapax populari semina possit.
Nec solum teneras audent erodere frondes
Implicitus conchæ limax, hirsutaque campe :
Sed quum jam valido turgescit lurida caule
Brassica, quumque tument pallentia robora betæ,
Mercibus atque olitor gaudet securus adultis,
Et jam maturis quærit supponere falcem,

mi fusos ». Anthol. Lat. II, 524. *Ocinum* pabulum et *ocimum* hortense distinguit Varro, I, 31, 4. *Ocinus* ut ταχινός. Sed Græci etiam ὤκιμος. *Ocymum* esse pabuli genus, *ocinum* plantam odoratam, vult Bodæus ad Theophr. VII, 3, p. 75 (laudante etiam Burmanno ad Samon. 441). Sed certe contra Varronem est Bodæi pariter, ac Pii, quam retulimus, sententia. Herba odorata, ὤκιμος Græcis, vulgo *Basilicum*. Certe Dioscorides, II, 171, ὤκιμον suum scribit. Gesn. in Indice. — *Chylindris* L. B. R. — *Gravibus densate cylindris*. Cylindrus instrumentum rusticanum ad premendum solum terræ, Virgil. Georg. I, 178 : « Area cum primis ingenti æquanda cylindro ». Rotundum lapidem, vel columnæ quodcumque fragmentum interpretatur Pallad. VII, tit. 1. Cæterum planius hoc de ocimis comprimendis exponit ipse Noster, XI, 3, 34.

320. *Estus* B. R. *æstu* D. — *Resoluti pulveris æstus*, nempe æstus, quo terra in pulverem solvitur. Conf. Virg. Georg. I, 180 seq. quem hoc loco respexit et imitatus est Columella.

321. *Lacesset* B. R. *inrepens* D.

322. *Formica rapax populari semina*. E Virgilio, Æn. IV, 403 : « Ac veluti ingentem formicæ farris acervum Quum populant ».

324. *Campæ* Dem. — *Hirsutaque campe*. Puto hanc esse, qui alias *Involvulus* dicitur, quod ipsa Græcorum origo in voce *campe* non refugit, et Columella de eadem infra (v. 366) sic : « Volvitur ad terram distorto corpore campe ». Nimirum ex vineis, vel aliis fructibus incidit in flores, vel ad illos, ubi decidit, repit. Fruter. Verisim. II, 19. — Noster, lib. XI, 3, 63 : « ubi apricis regionibus post pluvias noxia incesserunt animalia, quæ a nobis adpellantur erucæ, Græce autem κάμπαι nominantur ».

325. *Sed quoniam* J. B. R. *turescit* D. *pinguescit* P. Sa. *lurida causæ* J. B. R.

326. *Pallentes verbere betæ* vir doct. — *Pallentia robora betæ*. Vid. ad v. 254, *Pallentia tubera*, vel *pallentes ubere betæ* emendabat N. Heinsius, referente Burmanno ad Priapeia, ep. 52, Anthol. Lat. tom. II, p. 523.

328. *Maturis quærit supponere falcem*. Virg. Georg. I, 248 : « Neque ante Falcem maturis quisquam supponat aristis ».

Sæpe ferus duros jaculatur Jupiter imbres,
Grandine dilapidans hominumque boumque labores:
Sæpe etiam gravidis irrorat pestifer undis,
Ex quibus infestæ Baccho, glaucisque salictis,
Nascuntur volucres, serpitque eruca per hortos;
Quos super ingrediens exurit semina morsu,
Quæ capitis viduata coma, spoliataque nudo
Vertice, trunca jacent tristi consumpta veneno.
Hæc ne ruricolæ paterentur monstra, salutis
Ipsa novas artes varia experientia rerum,

329. *Diros* conj. Buehn. *ignes* D. P. et vir doct. — *Duros jaculatur Jupiter imbres*, duros dicit, quia grando nihil aliud, quam imber gelu induratus. Gesn.

330. *Grandine dilapidans*, diverberans, usque quaque percutiens, quasi lapidibus. *Lapidosos grandinis ictus* dicit Claudian. Bell. Get. v. 240. Idem *saxa grandinis* de Mall. Cons. v. 109; *boumque labores* e Virgilio, Æn. II, 306: « Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores ». — *Hominum* D. J. B. R. *bouumque* Herv.

231. *Inrorat* D.

332. *E quibus* Sa. D. *infeste* D. *Et quibus* J. B. R.—*Glaucisque salictis.* Virgil. Georg. II, 13: « glauca canentia fronde salicta ».

333. *Volucræ* vir doct. pro *eruca*, *urica* vir doct. *crugo* L. — *Nascuntur volucres.* Pius, Adnot. post. c. 170, existimat, nec Gesnerus dissentit, quia *volucres* hoc loco *infestæ Baccho* nominantur, commode legi posse *volucræ*, quo nomine dicuntur vermiculi, diversi a convolvulo, volatici, vaginipennes, qui vitibus nocent. Suadet ipse Columella, qui libro de Arbor. c. 15: « Genus est animalis, volucra adpellatur, id fere prærodit teneros adhuc pampinos, et uvas, etc. » (Columellam eo nomine intelligere, qui nostra vernacula dicuntur *die Rebsticher*, curculiones Bacchici existimat Riemius V. C. qui nuper librum Columellæ de arb. Germanice conversum cum adnotat. edidit.) Sed *volucre* tamen idem animal adpellat Plinius, XVII, 28, s. 47: « Alii volucre adpellant animal prærodens pubescentes uvas ». Unde et vulgata lectio *volucres* non indigna est, quæ retineatur.

334. *Fœmina visu* J. B. R. et vir doct. inepta lectio, ex versu Virgiliano huc traducta, Georg. III, 215: « Carpit enim vires paullatim uritque videndo Femina ».

335. *Comis* P. *comas* Sa. — Hic versus plane ταυτολογεῖ. Ed.

337. *Ruriculæ* R.

338. *Varia experientia rerum.* Experientiam inprimis laudare solent rustici, in artibus et remediis malorum reperiundis. Vide Virgil. Georg. IV, 315 seq. et Gratius Cyneg. 457. Manilius, I, 61: « Per varios usus artem experientia fecit, Exemplo monstrante viam ».

Et labor ostendit miseris, ususque magister
Tradidit agricolis, ventos sedare furentes,
Et tempestatem Thuscis avertere sacris.
Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur et extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.

339. *Ususque magister.* Virgil. Georg. I, 133 : « Ut varias usus meditando extunderet artes Paullatim»; Æn. XII, 427 : « Non hæc humanis opibus, non arte magistra ». Manil. I, 80 : « Et labor ingenium miseris dedit, et sua quemque Advigilare sibi jussit Fortuna premendo ». Et sic Theocr. dicit Paupertatem omnes artes homines edocuisse. En.

341. *Tusci:* D. J. B. R. *advertere* Gryph.—*Tuscis avertere sacris*, i. e. magicis sacrificiis et haruspicina, quæ a Tuscis, omnium superstitionum auctoribus, profecta, et a Tyrrheno Tage inventa ferebantur, de quo v. 345.

342. *Hinc mala Rubigo.* Rubiginem Deam fecerunt Romani, qui et *Rubigum Deum* vocant, eique Robigalia celebrarunt VII Cal. Maii, vel circa finem Aprilis, ut a frumentis rubiginem averteret. Ovid. Fast. IV, 907 seqq. Varro de L. L. lib. V, pag. 47; Plinius, Hist. Nat. XVIII, 29, s. 69, n. 3; Festus in *Robigalia;* Arnobius, lib. II, p. 86.

343. *Lactantis* J. B. R. — *Sanguine lactentis catuli.* Canis immolabatur in Robigalibus. Caussam ejus ritus bene deducit Harduinus e Plinii loco cit. dicentis : « Quia per id quatriduum », a VII ad IV Cal. Maii, « Canis occidit, sidus et per se vehemens, et cui præoccidere caniculam necesse sit ». Nempe ob commune nomen cum canicula sidere, cujus occasus in id tempus incidebat, canis lactens mactabatur. Quod confirmat Ovid. Fast. IV, 941 : « Pro cane sidereo canis hic imponitur aræ, Et, quare pereat, nil nisi nomen habet ». Ob eumdem respectum *rutila canis* electa. Festus : « Rutilæ canes, id est, non procul a rubro colore, immolantur, ut ait Ateius Capito, canario sacrificio pro frugibus, deprecandæ sævitiæ caussa sideris caniculæ ». Nec sine caussa lactens catulus. Plinius, XXIX, 4, s. 14 : « Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus, hostiarum vice, uterentur his ».

344. *Archadici* L. — *Arcadici... Aselli.* Parum abludit, quod Palladius, lib. I, tit. 35, 16 : « equæ calvariam, sed non virginis, vel etiam asinæ, intra hortum ponendam suadet ».

345. *Tirrhenus* J. B. R. *Tirchenus* L. pro *ruris*, *rursus* Sa. — *Tages.* In Hetruria aliquando, rusticus quum agrum suum araret, ex sulco surrexit puer, Tages nomine, qui ejus regionis incolis ad se congregatis haruspicinæ disciplinam tradidit, quæ postea a Tuscis ad Romanos pervenit. Cicero

Utque Jovis magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpe suas sedes præcinxit vitibus albis.
Hinc Amythaonius, docuit quem plurima Chiron,
Nocturnas crucibus volucres suspendit, et altis
Culminibus vetuit feralia carmina flere.
Sed ne dira novas segetes animalia carpant,

de Divin. II, 23. Schortto. Add. Lucan. I, 637.

346. *Fulgura* Sa. et sic D. L. J. B. R. *Tarcho* Sa. *Tarcon* B. R. *Tarchon*. Memuriam illius ex Straboue aliisque repetit *la Cerda* in nutis ad Virg. Æn. VIII, 5u6. Scripturam antiqnam *Tarcon* uun esse contemuendam, quum Drakenborch. ad Sil. VIII, 474 ubservat, tum Græca ratio docet, Τάρκων.

347. *Precinxit* Sa. *prætinxit* Dem. *Sæpe* et *percinxit* umnes editi, *sepe* vulgavit Gesn. — *Sepe præcinxit*. Ita repouere ausus sum invitis libris omuibus, sed uou invito ipso, credo, si viveret, Columella. *Sepe* et *vitibus albis* per adpositionem dicuntur, vel ἐπεξήγησιν : *præcinxit* eat Palladii, qui hunc locum παραφράζει, I, 35, 1 : « Omne hurti spatium alba vite præcingitur ». Plinius, Hist. Nat. XXIII, 1, s. 16 : « De vite nigra s. bryonia aiunt, si quis villam ea præcinxerit, fugere accipitres, tutasque fieri villaticas alites ». De vitis albæ nominibus et virtutibus eodem locu præcipit. Gesn. — *Præcinxit* etiam antiquis codicibus firmatur, ut in var. lect. notavimus. Sed *sepe* ut contra omnes libros recipiam, et cum *vitibus albis* per adpositiunem dictum putem, nullam caussam video. *Sæpe* interdum pru *diu*, *semper*, *assidue* poni, vidimus aliquoties in Avienu. *Vitis alba* Græcis ἄμπελος λευκή, a Germanis *Stichwurz* aiunt adpellari.

348. *Amynthanus* P. D. *Aminthanus* Sa. *Amytaonius* B. R. *Amythonius* L. *quem* D. Sa. L. J. B. R. *quæ* al. — *Hinc Amythaonius.... Chiron*. Hæc sunt duurum virorum disparata numina, neque lectiu, plurium licet librorum, *docuit quæ plurima*, admittenda est. Ambo cunjunguntur a Virgiliu, Georg. III, 55u: « Phillyrides Chirun, Amythauniusque Melampus ». Nempe Melampus Amythaonis filius, a Chirone multa doctus, atque auguriis et καθαρμοῖς maxime illustris apud poetas, aves nocturnas et inauspicatas cruci suffixit, ut ne amplius ferali carmine tristia facereut omina.

349. *Nocturnas crucibus volucres*. Apuleius, Met. III, p. 58 : « Quid? quod istas nocturnas aves, quum penetraverint larem quempiam, sollicite prehensas foribus videmus adfigi, ut quod infaustis vulatibus familiæ minantur exitium, suis luant cruciatibus». Palladius, I, 35, 1 : « Noctua pennis patentibus extensa suffigitur ». — *Suspondit* D.

35u. *Feralia carmina flere*. Virgil. Æn. IV, 462 : « Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri, et longas in fletum ducere voces ». — *Metuit*, sphalma Gy. et Com.

351. *Ni dira* Gryph. *diras* D. *carpent* H. A. Gr. G.

Profuit interdum medicantem semina pingui
Palladia sine fruge salis conspergere amurca,
Innatave laris nigra satiare favilla.
Profuit et plantis latices infundere amaros
Marrubii, multoque sedi contingere succo.
At si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniant artes, nudataque plantas

352. Pro *semina, sanguinem* Dem. sed *in* punctis notatum, ut vitiosum.

353. *Conspargere* D. — *Palladia conspergere amurca*. Sequitur Virgilium, qui idem præcipit Georg. I, 193 seq. *Amurca* sedimentum olei est, quæ *Palladia* a Pallade oleæ inventrice. Amurca *sine fruge salis*, insulsa, quam *recentem* in pari præceptione vocat Palladius, I, 35, 2 : « Contra culices et limaces, vel amurcam recentem, vel ex cameris fuliginem spargimus ». (Quo in loco *contra pulices*, pro *culices*, legendum videtur, ex Nostri vs. 321 et 324.) Plinius, Hist. Nat. lib. XVIII, 18, s. 45, *puram amurcam* vocat : « Si dulcedo (soli, vermes generans) noceat, et vermes radicibus inhæreant, remedium est, amurca pura ac sine sale spargere, deinde sarrire.

354. *Innatam vel* P. *innata ve divis.* J. B. R. *Et nata in cameris* vir doct. pro *laris aris* P. *aeris* J. B. R. — *Innatave laris*. Quid si *lari* legamus, et intelligamus focum, cui innascitur sive adhærescit favilla. Pallad. l. c. commentarii vicem præstat, quum nominat *ex cameris fuliginem*. Clarius ipse Noster, XI, 3, 60 : « pulvis, qui supra cameram invenitur, vel etiam fuligo, quæ supra focos tectis inhæret ». Gasn. — Pius, qui ex antiquioribus editionibus legit *Innatave æris*, æruginem dictam putat pro fuligine.

356. *Marrubii*. Marrubium Græci prasion vocant, interpretantur *Andorn* Germani. De eo Plin. Hist. Nat. XX, 22, s. 89. — *Multoque feri* J. B. R. *seri* Sa. D. L. *contigere* R. *suco* D. — *Multoque sedi contingere succo*. Ipse Colum. XI, 3, 61 : « Veteres quidam auctores, ut Democritus, præcipiunt, semina omnia succo herbæ, quæ sedum adpellatur, medicare, eodemque remedio adversus bestiolas uti : quod verum esse nos experientia docuit ». Plinius docet, XVIII, 17, s. 45 : « eam herbam in tegulis tubulisque nasci »; Latine etiam *digitellum* dici, Græcis *aizoon*, semper virens. Palladius eadem præcipiens, I, 35, 3, Latina dictione id nomen extulit : « Contra erucæ semina quæ spargenda sunt, sempervivæ succo madefiant, vel erucarum sanguine ».

358. *Veniunt* J. B. R. J. J. H. A. Arg. G. Riv. — *Dardaniæ veniant artes*, i. e. magicæ, a Dardano, insigni, ut tradunt, mago, cujus commentariis diligenter perlectis, longe doctissimus evasisse Democritus memoratur. Consule Plin. XXX, 1, s. 2. Apuleius : « Vel ipse Dardanus, vel quicumque alius post Zoroastrem ». Sch.

Femina, quæ justis tum demum operata juventæ
Legibus, obscæno manat pudibunda cruore,
Sed resoluta sinus, resoluto mœsta capillo,
Ter circum areolas, et sepem ducitur horti.
Quæ quum lustravit gradiens, mirabile visu!
Non aliter, quam decussa pluit arbore nimbus

359. *Juventa* B. R. *juvencæ* Dem. *juventæ* Gr. G. *juvencæ* Sa. — *Femina, quæ justis operata.* Justa, nulla addita voce alia, sunt menses muliebres apud Latinos. Plinius Valerianus, IV, 50, de amygdalis: « urinam movent, feminarum justa præcipitant ». Barth. I, 2, et IV, 14. *Operari* inter alias significationes est alicui rei operam dare, eamque debito modo peragere, et construitur cum tertio casu, ut *operari studiis*. Virg. Æn. III, 136: « Connubiis arvisque novis operata juventus ». Sch. — Quando addit *tum demum operata*, prima menstrua significat, quibus incipit juventæ legibus satisfacere, et *juventæ* adsignantur, quæcumque ad vim et facultatem generandi pertinent, ut adnotavimus ad Calpurn. IX, 9. Idem Plinius, Hist. Nat. XVII, 28, significare videtur, ubi de eodem remedio loquens, *mulierem incitati mensis* adpellat, i. e. cui tum primum mensis cœpit incitari; neque Barthio accedere possum, qui ad Stat. Theb. VI, 217, hic emendat *a muliere initiante menses*. Similiter alium corrigere locum cupit, Columellæ XI, 3, 64, quem; quia sequentes loci nostri versus exponit, integrum adpono: « Democritus adfirmat, has ipsas bestiolas enecari, si mulier quæ in menstruis (*inprimis menstruis* vult Barthius) est, solutis crinibus et nudo pede unamquamque aream ter circumeat; post hoc enim decidere omnes vermiculos, et ita emori ». Alios auctorum locos, quibus hoc remedium satis ridiculum describitur, citavit Gesnerus, ut Plinius, Hist. Nat. XXVIII, 7, s. 23; Pallad. I, 35, 3; Ælian. H. An. VI, 36, et Apulei. in Geop. XII, 8.

360. *Obsceno* D. J. B. R. *mandat* D. — *Pudibunda*, hic significat quæ omnino virum ignorat. Sic et *pudica* a Plauto usurpatur: « Tam a me pudica est quam si soror siet ». Terentius dixit *integram a viro*; cui respondet contrarium *imminuta virgo*, et apud Plautum *imminuere pudorem*. Ed.

362. *Hortis* D.

364. *Quem* P. *quom* J. B. R. — *Quam decussa pluit arbore nimbus. Concussa* ponit Virgilius, e quo totum hoc expressit Moderatus, Georg. IV, 81: « Non densior aere grando, Nec de concussa tantum pluit ilice glandis ». Suspicor ad hunc modum Columellam scripsisse *de excussa* vel *de quassa pluit arbore*. Nam *decussa arbor* pro ea, cujus poma decussa sunt, nescio an satis bene dicatur. *Pluere* dicuntur, quæ copiose sparsa a superiore loco cadunt. Stat. Silv. I, 6, 10: « Jam bellaria adorea pluebant ». Et eadem de re *nimbos* usurpat Martial. VIII, 78, 9: « Nunc veniunt subiti, lasciva numismata, nimbi ».

Vel teretis mali, vel tectæ cortice glandis,
Volvitur ad terram distorto corpore campe.
Sic quondam magicis sopitum cantibus anguem
Vellere Phryxeo delapsum vidit Iolcos.
  Sed jam prototomos tempus decidere caules,
Et Tartesiacos, Paphiosque revellere thyrsos,
Atque apio fasces, et secto cingere porro.
Jamque eruca salax fecundo provenit horto.

366. *In terram* Sa. D. P. *eampæ* D. — *Distorto corpore campe.* In etymo ludit, κάμπη enim ἀπὸ τοῦ κάμπτειν dicta. Gesn. De campe egimus ad v. 324.

368. *Phrixeo* R. *Phryxæo* Riv. — *Vellere Phryxeo delapsum*, delapsum arbore luci Colchici, in qua suspensum vellus aureum draco spiris complexus custodiebat. Ita enim sopitum anguem describit Val. Flaccus, VIII, 89, ut ingens ejus cervix, somno victa et languida, ab arbore, in qua vigilans erecto capite sedebat, jam demissa versus humum longius, atque extra vellus porrigeretur : « Jamque altæ cecidere jubæ, nutatque coactum Jam caput, atque ingens extra sua vellera cervix ». Sic etiam draconem a Medea sopitum, et ex arbore defluentem sistit antiquum monumentum; quod exponit L. Begerus, Spicil. antiq. p. 120. — *Ioleos* omnes excepto Com. *Juson* vir doct. — *Vidit Iolcos.* Est urbs Thessaliæ et patris Jasonis, ad quam Phryxeum vellus, raptum e Colchis, rediens portavit. Ovid. Met. VII, 158 : « auro Heros Æsonius potitur, spolioque superbus, Victor Iolciacos tetigit cum conjuge portus ».

369. *Protocomos* D. J. B. R. Riv. *prothocomos* D. *eautes* Arg. — *Sed jam prototomos... eaules. Prototomos coliculos* dicit Martial. XIV, 101. Sunt caules brassicæ, qui primi et adhuc teneri succiduntur. Simpliciter *prototomos* dicit idem, X, 48, 16, et Marcellus de Medic. v. 37 : « coriandrum, prototomumque ».

370. *Tarthesiaeos* J. J. H. A. Arg. G. *Tarthesiachos* Steph. *Partesiaeos* Sa. *tursos* J. B. R. *thirsos* H. A. Arg. G. — *Et Tartesiaeos, Paphiosque.* Vid. supra v. 185 et 187. *Thyrsos* pro caulibus, ut v. 186.

371. *Secto cingere porro. Sectum porrum*, ut auctor Moreti, vs. 83, vocat; quod alias *sectile*, *sectivum*, item *tonsile* dicitur, ut a Martial. X, 48, 10, distinguiturque a capitato, de quo supra ad vs. 167, et Moret. 74; unde *utrumque porrum* nominat Martial. III, 47, 8. — *Fasces cingere porro* explico fasces porri et apii colligatos rotundare, implere; nisi *fasces* de præcedente lactuca Paphia et Tartesiaca intelligendi, quos fortasse mos erat porro, vel apio, vel ejusmodi herbis cingere vel includere.

372. *Jamque eruca salax*. De ea diximus ad vs. 109. — *Erucæ libidinosæ* dicuntur in Priapeiis, ep. 48, et *salaces*, quemadmodum Noster, eas dicit Ovid. Remed. Am. v. 799. Martiali cum mentha jungitur lib.

Lubrica jam lapathos, jam rhamni sponte virescunt,
Et scylla, hirsuta sepes nunc horrida rusco
Prodit, et asparagi corruda simillima filo,
Humidaque andrachne sitientes protegit antes,
Et gravis atriplici consurgit longa faselus,

X, ep. 48, 12: «Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax»; ubi herba salax est *eruca*. Ed.

373. *Laphatos* Sa. — *Lubrica jam lapathos*. *Lapathum* alii dixere *rumicem*, quem *fecundum* adpellat auctor Moreti vs. 73. Germanice *Ampfer*, Gallice *patience*. *Lubrica* hoc loco dici videtur, quod ventrem laxat. Horatius, Serm. II, 4, 29: «si dura morabitur alvus, Mitulus et viles pellent obstantia conchæ, Et lapathi brevis herba; sed albo non sine Coo». Scilicet lapathus ἀπὸ τοῦ λαπάζειν dicta videtur, quod valet exinanire. — *Thami* J. B. R. *thanni* D. J. J. H. A. Arg. Gr. G. St. *tanni* Lips. — *Jam rhamni sponte virescunt*. *Thamni* legit Pius, vetustarum editionum exemplo inductus, sed illud ægre explicat. Quin *thamni* inauditam Latio vocem putat Gesnerus: qui propterea *rhamni* servandum putat, sentis genus sepibus faciendis adhiberi solitum, quum præsertim inferius de aliis in altitudinem virgultorum crescentibus agat.

374. *Scyla tyrsuto* B. R. *scila tirsuto* L. *Et stila tirsuto* Dem. — *Sepe* L. J. *Sæpæ* B. *sæpe* D. R. — *Et scylla*, quæ nobilissima est e genere bulborum. «*Scillæ caput*» Calpurn. V, 79. — *Hirsuta rusco* plurima quidem exemplaria scribunt, sed masculino vel neutro genere *ruscus* et *ruscum* usurpant alii. De *rusco* diximus ad Calpurn. III, 4. *Hirsuta* propter acuta folia. Unde Virgilio, Ecl. VII, 42, «horridus ruscus», et Georg. II, 413, «aspera rusci Vimina».

375. *Corruba* B. R. *curruda* Sa. — *Asparagi corruda simillima filo*. De *corruda* silvestri genere asparagi diximus ad vs. 246. *Filo*, ob tenuia folia; ut in Mor. v. 90: «exiguo coriandra trementis filo»; et Mart. XI, 53, 6: «porris fila resecta suis».

376. *Andrachie* Dem. *andrachniæ* Sa. — *Humidaque andrachne*. *Andrachne* Græcorum, Latinis *portulaca* (Germ. *Burtzelkraut*), de qua agit Plin. XIII, 22, s. 40: videtur sepiendis vel inumbrandis areolis vel sulcis hortorum adhibita: sic enim interpretor *antes sitientes*. — *Antas* Sa. *anetus* L.

377. *Attriplici* R. *a tripilici* Arg. — *Et gravis atriplici*. *Olus atriplicis* Græcis vocari ἀτράφαξυν, monet Noster, XI, 42. Alii ἀνδράφαξιν scribunt. Græci etiam χρυσολάχανον adpellant. Germanice interpretantur *Melden*. Silvestre et sativum est Plinio, XX, 20, s. 83. Cognatum atriplici olus alterum dicunt *atriplicem viridem*, *Spinachiam*, *Spinat*. — *Faselus* J. J. H. A. Arg. Gr. G. *fasellus* Gesn. *phaselus* L. D. *phaselos* Sa. — *Fasellus*, quod aliis semper *faselus*, vel *phaselus*; gr. φάσηλος, scribitur, genus fabarum putatur esse, quod Germ. *Türkische oder Saubohnen* vocare solemus (Gall. *haricots*). *Vi-*

Tum modo dependens trichilis, modo more chelydri
Sole sub æstivo gelidas per graminis umbras
Intortus cucumis, prægnansque cucurbita serpit.
Una neque est illis facies: nam si tibi cordi
Longior est, gracili capitis quæ vertice pendet,
E tenui collo semen lege: sive globosi

lem dicit faselum Maro, Georg. I, vs. 227, propter frequentiam.

378. *Tu* Jens. *dependes* Dem. — *Dependens trichilis*. Sic edidit Gesnerus, quia hoc propius a *trichili* editorum, et a *triplicis* Medicei codicia abest, quam, quod alii voluerunt, *trichila*. Ego vero vulgatum *trichili* spernere nolim, quia et *trichile* usitatum fuisse puto. Gloss. Isidor. « trichilia, ubi pendent vatiæ ». Est autem *trichila* porticus vel pergula viridis, e vitium vel aliarum arborum brachiis, pedamento et jugo arundinum subnixis, contexta et concamerata. De qua dudum diximus ad Copæ vs. 8: « Est trichila umbriferis frigida arundinibus ». Solebant inprimis his trichilis conficiendis cucumeres et cucurbitæ adhiberi, quod reptantibus flagellis velociter in sublime scandunt, et latiora folia ad faciendam umbram habent; quod genus cucurbitæ « camerarium, levi umbra cameras et pergulas operiens » vocat Plinius, XIX, 5, s. 24, cui opponit « plebeium, quod humi repit ». Alio loco, XIX, 4, s. 22, scribit: « Quædam jacent crescuntque, ut cucurbita et cucumis: eadem pendent, quamquam graviora multo etiam iis, quæ in arboribus gignuntur ». Hos duo modos crescendi cucurbitarum describit Columella. — Burmann. tamen hunc versum non intelligit de *trichila*, sed legendum putat *trochili*. Ita enim vocatur torulus in apophysibus columnarum. Itaque longum et teretem cucumerem dixerit similem torulo columnarum, et colubro serpenti. *Trichilam* autem vocem esse Græcam, si nihil aliud, certe *ch* adspiratum demonstrat; dictum a densitate foliorum, quasi trichina, *n* mutata in *l*, ut *nympha*, *lympha*. Apud Varronem *trichinus*, *spissus*. Ex. — *Cylindri* Jens. et Gryph. in marg. et vir doct. — *Modo more chelydri*. Ille nimirum est *anguinus cucumis* vel *erraticus* Plin. XX, 2, s. 4. Gesn. — Quem etiam nominant Varro, de Re Rust. I, 2, 25, et Colum. II, 9, 10.

379. *Per graminis umbras Intortus*. Ductum e Virgilio, Georg. IV, 121: « tortusque per herbas Cresceret in ventrem cucumis ».

380. *In tortos* Dem. — *Prægnansque cucurbita*, quia in se multa habet grana, quæ sunt instar embryonum vel ovorum. Sch. — Hinc *seminosa* dicitur cucurbita in Priapeiis.

382. *Gracili capitis quæ vertice*. Supra v. 234: « Et tenero cucumis, gracilique cucurbita collo ».

383. *Et tenui* J. B. R. — *E tenui collo semen lege*. Plin. XIX, 5, s. 24: « Semina, quæ proxima collo fuerint, proceras pariunt: item ab imis, sed non comparandas supra dictis: quæ in medio, rotundas:

Corporis, atque utero nimium quæ vasta tumescit,
Ventre leges medio; sobolem dabit illa capacem
Naryciæ picis, aut Actæi mellis Hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam, Bacchovè lagenam:
Tum pueros eadem fluviis innare docebit.
Lividus at cucumis gravida qui nascitur alvo,
Hirtus et, ut coluber nodoso gramine tectus,
Ventre cubat flexo, semper collectus in orbem,
Noxius exacuit morbos æstatis iniquæ.
Fetidus hic succo, pingui quoque semine fartus.

quæ in lateribus, crassas brevioresque ». Eadem habet Pall. Mart. IX, 16. Add. Col. XI, 3, 49 seq. Gesn.

384. *Utero nimium quæ vastà tumescit.* Propert. IV, 2, 43: « tumidoque cucurbita ventre »; et conf. Muret. v. 77.

385. *Sobolem dabit illa capacem*, creabit cucurbitam tam amplo et duro cortice, ut capere et servare in usus diuturnos picis liquidæ aut mellis copiam possit. Noster, lib. XI, 3, 49: « Sunt ad usum vasorum satis idoneæ, sicut Alexandrinæ cucurbitæ, quum exaruerint ».

386. *Naritiæ* D.— *Naryciæ picis. Narycium* Locrorum oppidum Plin. IV, 7, ubi pix optima e piceis arboribus colligebatur, unde Maro, Georg. II, 438, « Naryciæ picis lucos » laudat. Adde Plinium, XIV, 20. Sch. — *Hactei* D. *Hymeti* idem.

387. *Hamulam.* Vas minus aquis hauriendis aptum, cujus primitivum *hama* est apud Juvenal. XIV, 305: « Dispositis prædives hamis ». Varium cucurbitarum usum recenset Plin. XIX, 5, s. 24: « Nuper in balinearum usum venere urceorum vice, jampridem vero etiam cadorum..... condendis hortensiorum seminibus, rusticæ supellectili ».— *Lagœnam* Gesn. cum Gr. St. Com. et al. *lagænam* A, *lagenam* Arg. *Bacco vel lagenam* B. R. *Bacchoque lagænam* D.

388. *Pueros fluviis innare docebit*, nempe si cucurbita supponatur ventri natantis. Hunc in usum alias adhibitos cortices vel suberes, ex Horatio cognoscimus, Serm. I, 4, 121, « nabis sine cortice ». Et rates scirpeas suppositas meminit Plaut. Aulul. IV, 1, 9: « Quasi pueri, qui nare discunt, scirpea induitur ratis, Qui laborent minus, facilius ut nent, et moveant manus ».

389. *Ac cucumis* ante Viet. — *Lividus at cucumis.* Nunc de eo agit, quem v. 379 more chelydri serpere dixerat. Gesn.

391. *Venere* H. A.

392. *Morbus* Dem.—*Noxius exacuit morbos.* Stomacho graves esse cucumeres observat Plin. XIX, 5, s. 23: « Vivunt hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt in cibis, non insalubres tamen plurimum ».

393. *Fetidus hic suco* Dem. *Fœtibus* Sa. Arg. et vir doct. *succoque et pingui semine* P. Sa.

At qui sub trichila manantem repit ad undam,
Labentemque sequens nimio tenuatur amore,
Candidus, effetæ tremebundior ubere porcæ,
Mollior infuso calathis modo lacte gelato,
Dulcis erit, riguoque madescit luteus arvo,
Et feret auxilium quondam mortalibus ægris.
Quum canis Erigones flagrans Hyperionis æstu
Arboreos aperit fetus, cumulataque moris
Candida sanguineo manat fiscellâ cruore,

394. *Tricleam* a. P. Sa. — *At qui sub trichila.* De *trichila* vid. quæ notantur ad Incerti Copam, v. 8, et supra v. 378. Ed. — *Manantem repit ad undam.* Jam sermo est de pendente trichila cucumere. Hunc dicit, si aqua vicina contingat, eam mire amare et sequi, eaque re tenuari; candidum, mollem dulcemque fieri. Ut ea melius intelligantur, audiendus est Plinius loc. cit. « Natura oleum odere mire: nec minus aquas diligunt. Desecti quoque ad eas modice distantes adrepunt: aut si quid obstet, versi panduntur, curvanturque: id vel una nocte deprehenditur, si vas cum aqua subjiciatur a quatuor digitorum intervallo, descendentibus ante posterum diem; at si oleum eodem modo sit, in hamos curvatis ». Idem paullo post, s. 24: « cucurbitas *ait* salubriores esse, quæ pendendo crevere ».

395. *Nimium* P. Sa.

396. *Tremebundior ubere.* Sic « tremebunda coagula lactis » Calpurn. V, 65. — *Effœtæ* Gesn. cum al. *effetæ* Dem.

397. *Mollior... modo lacte gelato.* Martial. VIII, 64, 8: « Vincas mollitie tremente plumas, Aut massam modo lactis adligati ».

398. *Madescit luteus*, madidus, mollis et succulentus fit sub maturitatem, quàm luteus vel flavescens color indicat.

399. *Fert* H. A. Gr. G.

400. *Origones* B. R. — *Quum canis Erigones.* Erigone, Icarii a rusticis Atheniensibus occisi, filia, et canis ejus, Mæra nomine, quæ ei patris occisi corpus ostendit, ex petito Bacchi inter sidera relatæ. *Erigone* Virgo cælestis dicitur (Virg. Georg. I, 33), *canis* Sirius.

401. *Fetus* Dem. *fœtus* vulgatæ. — *Arboreos aperit fetus*, aperit tempus legendorum ex arboribus fetuum, primam maturitatem pomis adfert: ut « aperit annum Taurus » apud Virg. Georg. I, 217. Sic dies caniculares et æstivum tempus a prima ficu describit Horat. Epist. I, 7, 5. Similis huic formula apud Calpurn. V, 96: « aperit quum vinea sepes ».

402. *Sanguineo manat fiscella cruore.* Ne pleonastice hoc dictum putes « sanguineo cruore », cruorem vel sanguinem notes de quovis succo herbarum, baccarum et pomorum usurpari. Vid. not. nostr. ad Calp. IX, 50. Sed moris cruor veluti proprius, quorum succus sanguini colore simillimus, et in

Tunc præcox bifera descendit ab arbore ficus,
Armeniisque, et cereolis, prunisque Damasci
Stipantur calathi, et pomis, quæ barbara Persis
Miserat, ut fama est, patriis armata venenis.

fabula sanguine humano tinctus dicitur; hinc ad augendam significationem additur *sanguineus*. Alias simpliciter *mora cruenta*, ut in Copa, vs. 21, et in Petronianis « sanguineo male mora rubentia succo ». Propertius « æstivo die mora rubere » ait IV, 2, 13.

403. *Tunc præcox bifera*. Quoniam ficus est inter arbores biferas, quæ quotannis fructum bis ferunt, hinc earum fici sunt præcoces, quæ jam diebus canicularibus carpuntur. Earum mentionem facit Suetonius in Aug. cap. 76: « ficos virides biferas maxime adpetebat ». Et *præcoces* cum biferis memorat Plinius, XVI, 26 extr. et 27 princ. « Ficus et præcoces habet, quas Athenis prodromos vocant. In Laconico genere maxime sunt. Sunt et biferæ in eisdem. In Cea insula caprifici triferæ sunt ». Biferas Suetonii Torrentius pro certo genere ejus pomi accipit, sicut et Macrob. Saturn. II, 16, eas aliis generibus ficorum adnumerat.

404. *Armeniisque*. Videtur intelligere pomum, quod lib. V, 10, 9, « sorbum Armeniacum » vocat, atque, ut hic, cum Persico conjungit. Nempe pruna ea, quæ alias *præcoqua*, vulgo *Abricots*, adpellantur. Hinc et *cereolis* puto indicari pruni genus. *Cerea pruna* effert Maro, Ecl. II, 53; *cerina* Plinius, XV, s. 12; *novus imitantia ceras* Ovid. Metam. XIII, vs. 818; quamquam Noster deinde vs. 417 inter ficus refert, quæ « servant flavæ cognomina ceræ ». — *Prunisque Damasci*. Adducitur pruna Damascena, quia et præcedentia erant e genere prunorum. Inter peculiares Syriæ arbores Plinius, XIII, s. 10, refert « pruna in Damasco monte nata », quæ et *Damascena* adpellata XV, s. 12. Eadem sunt « pruna Syriaca » apud Petron. cap. 31.

405. *Et pomis, quæ barbara Persis Miserat*. *Perseam* arborem Theophrastus, recentiores etiam *Persicam* nominarunt, putaruntque in Perside fuisse venenatam, atque hanc naturam mutato solo deposuisse. Sed postquam Persica in Græciam et reliquam Europam illata est, arbor hæc et poma postea solennius *Medica*, item *Citrea* dicta, vetus nomen amisere, fama illa de veneno ejus naturali apud nonnullos in *Persea* Theophrasti hæsit; quamquam et hoc deinceps falso prodi, et Perseam a Persica perperam distingui cognitum est. Quæ tamen persuasio de veneno Perseæ, a Persica diversæ, tantum valuit, ut contra malum Medicum, olim Persicum, non modo admodum salubre, sed ipsis etiam venenis resistere crederent. Testis est Virgil. Georg. II, 126 seqq. Plinius de Persicis agens Columellam reprehendere videtur, XV, 13, s. 13: « Falsum est venenata cum cruciatu in Persis gigni, et pœnarum caussa a regibus in Ægyptum translata, terra mitigata. Id enim de Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est, myxis rubentibus similis,

At nunc expositi parvo discrimine leti
Ambrosios præbent succos, oblita nocendi.
Quin etiam ejusdem gentis de nomine dicta,
Exiguo properant mitescere præcoqua malo:
Tempestiva madent, quæ maxima Gallia donat;

nec extra Orientem nasci voluit ». Copiose de Persicis disputantem videas Salmas. Homon. hyl. iatr. cap. 68, et Spanhem. de usu et pr. num. diss. VI, p. 328.

407. *Ac* J. B. R. *exposito patriæ* Sa. *læti* Sa. Dem. J. B. J. A. Arg. Gr. G. *læta* Salmas. Plin. p. 426. — *Expositi parvo discrimine leti.* Salmasius sequentem in modum legit et distinguit : « At nunc exposito patriæ discrimine, læta Ambrosios præbent succos » ; additque : « exposito discrimine patriæ », exsuto ac deposito patriæ veneno : *exponere* pro deponere tralatitium. At *exponere* pro deponere positum me non legere memini ; nec *discrimen patriæ* de veneno intellectum, quod a patria habet, admodum placet. Mihi servanda lectio vulgata videtur, verbaque ejus plana sunt. *Discrimen leti* est periculum mortis e malo Persico metuendæ, et *letum expositum*, frequenti ejus verbi usu, est obvium, paratum, facile ; ut sententia Moderati hæc sit, Nunc non censeri præsens adeo mortis periculum a Persica metuendum esse, cum potius *ambrosios præbere succos*, i. e. admodum salubres, qui vigorem adferant corpori. Conf. Virg. Georg. IV, 415 et 418, et Æn. XII, 419.

410. *Persica malo* vulgatæ : *præcoca* Sa. *præcoqua* legunt Salmas. et al. — *Properant mitescere Persica.* Sic quidem omnes editi. Sed mihi non est dubium, quod Salmasius contendit, et Gesnerus probat, legendum esse *præcoca* vel *præcoqua.* Nam quia præcedente versu auctor jam poma proposuit de Persicæ gentis nomine dicta, non videtur hic denuo nomen gentis *Persica* inculcasse : *præcoqua* etiam flagitant verba adjecta *properant mitescere.* Nam hoc ipso nomen illud accipiunt, quod celeriter mitescunt. Tum vero codex S. Germani hoc ipsum præ se fert *præcoca*. Et quod maximum est, Plinius ita corrigendum cogit, qui lib. XV, c. 12, duo genera Persicorum facit, *duracina* et *præcocia* ; et « durscina, inquit, post autumnum maturescunt, æstate præcocia ». Mitescere ea dicit *Exiguo malo : exiguo* quidem, ut distinguat a majoribus Persicis, quæ mox memorat, et quæ serius maturescunt ; *malo* autem, ut a prunis præcocibus sive Armeniis, de quibus v. 404. *Præcocia* enim, tamquam generali vocabulo, dicebantur omnes fetus arborei, qui æstate maturescunt, et ex Oriente venerunt. Hic *præcoqua* Columella, ut et Plinius, vocat Persica, quæ ad mala referuntur ; Palladius, Nov. VII, 6, *præcoqua* Armenia, quæ ad pruna.

411. *Manent* pleræque vulgatæ : *madent* Sa. Dem. J. B. R. et vir doct. *mandent* L. — *Tempestiva madent, quæ maxima.* Lego cum optimis codd. et primis edd. *madent*,

Frigoribus pigro veniunt Asiatica fetu.
At gravis Arcturi sub sidere parturit arbos
Livia, Chalcidicis et caunis æmula Chiis,
Purpureæque Chelidoniæ, pinguesque Mariscæ,

h. e. succo maturescente implentur, mollescunt, tempestive, quemadmodum *madescit* supra v. 398 usurpavit de maturitate cucumeris. Quæ e Gallia veniunt, et maxima esse solent, Persica maturius mollescunt, sed quæ Asiatica, segnius, jam frigore ingruente. Eadem duo genera Persicorum memorat Plinius, et duracinorum nomine complectitur, XV, c. 12 : « Persicorum palma duracinis : nationum habent cognomen Gallica et Asiatica. Post autumnum maturescunt, æstate præcocia ». Ex his verbis sic interpretandus est Columella, ut Persica Gallica tempestivius tantum maturescere aiat, quam Asiatica, etsi utraque post autumnum.

413. *Gravis Arcturi subsidere.* Arcturus exoritur Non. Septembr.

414. *Linia* J. B. R. — *Parturit arbos Livia*, nempe ficus. Jam enim incipit de ficorum proventu dicere, quarum varia genera et nomina enumerant Plin. Hist. Nat. XV, 18, s. 19, et Macrob. Sat. II, 16. Et ille : « Sunt et auctorum nomina iis, Liviæ, Pompeiæ », quibus addi possit e Macrobio « Calpurniana, alba et nigra ». Dedere iis sua nomina, quibus eæ maxime placuere. Et Liviis quidem Livia, quæ Augusta maritum ficubus venenatis sustulisse ferebatur, inquit Dio, LVI, p. 589 (ut scribit Harduinus). Et Macrobius *Livianas* et *Pompeianas* memorat. — *Caumis* Dem. Arg. *cannis* vir doct. *Caunias* videtur Ursino. — *Chalcidicis et caunis æmula Chiis.* Liviam ficum cum aliis duabus, « quæ ex aliis transiere gentibus, Chalcide, Chio », ut ait Plinius, comparare videtur, quas et Macrobius memorat. Hoc sensu *caunis*, quod plurimæ editiones habent, accipiendum esset pro generali vocabulo ficuum, quæ, ut Caricæ, ita *Caunicæ*, *Cauneæ*, vel *Caunæ*, a Cauno urbe Cariæ dictæ sunt; quasque Salmas. ad Solin. cap. 46, p. 658, in versu Statii : « Et quas percoquit Ebosea caunas », nominari contendit. Alii *cannis* legisse, et de arundine saccharifera intellexisse videntur, quod certe Pomponium sensisse ex ejus nota colligo. Alii, qui nominativum fici, quæ Chiis æquipararetur, requiri crederent, *Caunias* censuerunt legendum, ut Ursinus et Gesnerus, qua forma Columella plura plantarum nomina posuit, ut *bryonias* v. 250, *bunias* 422. Sed tamen magis verisimile est, unam Liviam cum duabus peregrinis, quam peregrinam unam cum altera ab auctore comparatam esse. Et quamquam olim in Exercit. de Antiq. Balear. p. 34, a *caunis* hoc in loco agnoscendis alienior fuerim, nunc tamen æque commodum aliud vix reperio.

415. *Purpureæque Chelidoniæ.* Plinius, l. c. « Novissima sub hieme maturatur chelidonia ». Quidam interpretes Macrobii *harundineam* ab eo memoratam in *hirundineam* convertunt, putantque esse Columellæ chelidoniam, sed falso. Nam Macrobius genera ficuum secun-

Et Callistruthis roseo quæ semine ridet,
Albaque, quæ servat flavæ cognomina ceræ,
Scissa Libyssa simul, picto quoque Lydia tergo.
Quin et Tardipedi sacris jam rite solutis
Nube nova seritur, cæli pendentibus uudis,

dum seriem elementorum enumeraus, uou potuit *hirundineam* ponere, sequente *asinastra*, *atra*. *Arundinea* vero ejus est, quam Plinius dicit : « arundinum folii maculs variari ». — *Pinguesque Mariscæ*. Et has nominat Plinius, nulla tamen earum proprietate adjecta. Harduinus autem mouet sapore injucundo, stolida magnitudine, pinguedine eximia esse. Idcirco *fatuas* adpellari Mariscas a Martiale, VII, 24 : « Iufanti melimela dato, fatuasque mariscas, Nam nihi, quæ novit pungere, Chia sapit ».

416. *Callischrutis* Dem. *Calistrutis* Jens. *Calistrutiis* B. R. Junt. *Challistrutis* L. J. J. H. Gr. St. *challi strutis* divis. A. G. — *Et Callistruthis*. Plinius : « Callistruthiæ parum sapore præstantiores, ficorum omnium frigidissimæ ». Julius Capitolinus in Albino, c. 2, memorat : « Quingentas ficus passarias, quas Græci callistruthias vocant, jejunum comedisse ». — Hinc adparet cur isto nomine dicantur : στρουθὸς enim passer est. En.

417. *Albaque, quæ servat flavæ cognomina ceræ*. Hæc videtur esse, quam Plinius *albiceratam* vocat, quia scilicet ex albo cerino colore est.

418. *Libyssa* vir doct. et hoc Gesnerus censet haud dubie rectius esse, quamvis *Libysca* habeant omnes libri. — *Scissa Libyssa. Libyssa* a Nostro dicitur, quæ Plinio (et Macrobio) Africana, a solo natali : *scissa* autem, quia habet candicantem rimam. Aliam caussam ex Nostri lib. XII, 15 adducit Bodæus ad Theophr. IV, 6, p. 385, sed nostra e Plinio desumpta verior est. Sch. — *Africanæ* etiam meminit Noster, V, 10, 11, et Varro, I, c. 41. Martial. VII, 52 : « Et Libycæ fici pondere testa gravis ». — *Picto Lydia tergo*, i. e. tergore vel corio, pro quo poetæ sæpe *tergum* ponunt. Plinius Lydias ficus dicit esse « purpureas et similitudinem Chiarum habere ». Easdem memorat Varro, et Noster, et Macrobius ll. cc.

419. *Quin et Tardipedi*. Vulcano, quem claudum fingunt poetæ e casu, quo præcipitatus a Jove irato in Lemnum decidit : quam fabulam refert Val. Flaccus, II, 82 seqq. Describit auctor Vulcaualia sacra, quæ mense Augusto fiebant ad X Cal. Septembr. Circa quæ, ut scribit Noster, XI, 3, 18 : « tertia satio *in hortis* est, eaque optima radicis et rapæ, itemque napi et siseris, nec minus oleris atri ». Ita hic auctor rapi atque napi sationem præcipit, tamquam ultimum in horto excolendo negotium.

420. *Pube nova* conj. Heinsius. — *Cæli pendentibus undis*, quando nubes quidem obducuntur cælo, necdum tamen in imbres solvuntur. Expressit e Virgilio, Georg. I, 214 : « Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent ».

Gongylis, illustri mittit quam Nursia campo,
Quæque Amiterninis defertur bunias arvis.
Sed jam maturis nos flagitat anxius uvis
Evius, excultosque jubet claudamus ut hortos.
Claudimus, imperioque tuo paremus agrestes,
Ac metimus læti tua munera, dulcis Iacche,
Inter lascivos Satyros, Panasque biformes
Brachia jactantes vetulo marcentia vino.

421. *Congilis* Dem. *congelis* L. — *Gongylis*, rapæ nomen Græcum, quod ab aliis Latinis non reperio usurpatum. Dioscorides libro II nominat, et Romanorum rapam esse interpretatur. *Nursia* oppidum Italiæ in Sabinis, sicut et *Amiternum*, quod sequitur. Utriusque agri. rapis napisque educandis celebres. Martialis, XIII, 20, de napis: « Nos Amiternus ager felicibus educat hortis: Nursinas poteris parcius esse pilas ». *Pilas* dicere videtur raporum, quod hæc latius in orbem crescebant in Nursiæ agro.

422. *A Myrtenimis* Jens. *Amiturninis* B. R. *burnias* L. — *Bunias*, Græcum nomen, a Dioscoride usurpatum, Latinorum napus est. Plinius, Hist. Nat. XX, 4, s. 11: « Naporum duas differentias et in medicinis Græci servant: angulosis foliorum caulibus florentis, quod bunion vocant, purgationibus feminarum utile.... Alterum genus buniada adpellant, et raphano et rapo simile ».

423. *Sed jam maturis.* Sed jam tempus illud adest, quo, maturis jam uvis, vindemia nostram operam flagitat, et labor excolendi horti finiendus. A tempore imminentis vindemiæ, quod est autumni in hiemem declinantis, sumit occasionem scriptor finiendi operis sui de cura hortorum. Meminisse enim debemus, initium operis sui et laboris in horto exercendi sumpsisse eum ab æquinoctio autumnali, et tempore vindemiæ. Vid. v. 43 seq. Igitur sub idem tempus claudit. Commode verba Calpurnii, V, 96, autumnum describentis: « aperit quum vinea sepes », cum his Nostri componas « excultosque jubet claudamus ut hortos ». Cæterum in *jubet ut claudamus* syntaxin τοῦ *jubet* observes, quam in bonis scriptoribus raram esse putant Grammatici. — *Non flagitat* Arg. Pro *anxius*, *amixius* L. *anuxius* D.

424. *Euchius* J. B. R. J. J. H. A. Arg. *Euhius* Gr. G. *Euchios* L. D.

426. *Jam munera* Sa.

427. *Inter lascivos Satyros*, vindemialia celebrantes, ubi lascivos Satyrorum et Panum choros imitantur.

428. *Brachia jactantes*, nempe saltando, cui adjuncta est brachiorum jactatio. Ovid. Art. Am. III, 350: « Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam; Ut moveat posito brachia jussa mero ». — *Vetulo marcentia vino.* Sic Ovid. ex Pont. I, 5, 45: « Nec juvat in lucem nimio marcescere vino ». *Vetulum Falernum* laudat Catullus, Carm. 27, 1.

Et te Mænalium, te Bacchum, teque Lyæum,
Lenæumque patrem canimus sub tecta vocantes,
Ferveat ut lacus, et multo completa Falerno
Exundent pingui spumantia dolia musto.
Hactenus arvorum cultus, Silvine, docebam,
Siderei vatis referens præcepta Maronis,
Qui primus, veteres ausus recludere fontes,
Ascræum cecinit Romana per oppida carmen.

429. *Menalium* D. *Nyctilium* vir doct. — Heins. conjiciebat *Mænadium*, vel *Nyctelium*. Ed. — *Te lætum atque Lienum* L. *Lyeum* D.

430. *Leneumque* D. — Vetustus S. Germ. cod. pro *vocantes* habet *vacantes;* unde Heinsius legebat *vagantes*. Ed.

431. *Ferveat ut lacus.* Lacus dicitur vas vel receptaculum musti in torculari recens expressi: *fervet* ille, quum mustum copiose defluens fluctus et spumas agit. Calpurn. I, 3: « Et spumant rauco ferventia musta susurro ». Virg. Georg. II, 6: « spumat plenis vindemia labris ». — *Ac* vir doct. *et musto* Sa. D. et vir doct. — *Et multo completa Falerno.* Duo codd. MSS habent *et musto*, quod placeret, nisi idem *musto* recurreret versu seq. *musto Falerno* conjunxit Prudent. in Symm. I, 127, de Baccho loquens: « Gemmantis pateræ spumis mustoque Falerno Perfundens bijugum rorantia terga ferarum ». Idem reponere Bentleius volebat pro *misto* in illo Horatii Serm. II, 4, 19: « Doctus eris vivam (gallinam) misto mersare Falerno ».

432. *Exundens* D. L. J. B. J. J. H. A. G. *Exundet* R. *Exudent* al. — *Exundent.* Sunt quidam libri, qui *Exudent* habeant, sed *Exundent* sine dubio rectius, quia de adfluentia et redundantia musti sermo est. Sic Lucanus, IX, 798: « Spumeus accenso non sic exundat aheno Undarum cumulus ». Pariter olim apud Calpurn. Ecl. IV, 104, τὸ *exundent* prætuli τῷ *exudent*, quod alia exemplaria offerunt. — Et probat Burmann. Ed. — *Pingui spumantia dolia musto.* Similiter Tibull. I, 1, 10: « pleno pinguia musta lacu ». *Jugi* pro *pingui* vult Heins. et sic in epigr. de mensium pictura: « Conterit October lascivis calcibus uvas, Et spumant pleno dulcia musta lacu ». Ed.

433. *Agrorum* Sa. L. J. B. R. *hortorum* vir doct. — *Hactenus arvorum cultus.* Debebat *hortorum*: sed hoc nulla exemplaria præferunt, nonnulla *agrorum*, quod non melius. Et videtur Columella, studio Virgilii imitandi, illud exordium libri ejus II Georg. retinere integrum voluisse, quo etiam utitur initio libri sui III.

436. *Ascreum* D. *Atreum* Jens. *Astreum* L. — *Ascræum cecinit.* Integros versus Ipsius Maronis repetit Georg. II, 175. Ascræum carmen est agricolare, quale fuit Hesiodi ex Ascra, Bœotiæ vico, oriundi.

PALLADII RUTILII TAURI ÆMILIANI

DE INSITIONIBUS*

AD PASIPHILUM

VIRUM DOCTISSIMUM

(DE RE RUSTICA LIBER XIV.)

PASIPHILE, ornatus fidei, cui jure fatemur,
Si quid in arcano pectoris umbra tegit,
Bis septem parvos, opus agricolare, libellos,

* Vulgata exemplaria librorum Palladii omnia titulum præponunt: *De Insitione liber ad Pasiphilum, virum doctissimum*, deinde sequens carmen inscribunt *de Insitionibus*. Rivinus hanc consuetudinem deseruit, inscripsitque *de Arte insitionis*. Ipse quidem Palladius in præfat. libro XIV præposita *opus de arte insitionis* adpellat, sed hæc præfatio olim ad librum prosa scriptum, hodie deperditum, qui omnia præcepta de arte et variis modis exercendæ insitionis continebat, pertinuit, non item ad carmen, quod ei successit; quodque inserendi modis brevissime indicatis, tantum, quæ arbores, et quibus aliarum virgultis, inseri queant, recenset, atque hinc de *Insitionibus* inscribitur.

1. *Ornatus fidei*, per Græcismum dixit, pro *ornatus fide*, h. e. qui hoc præcipuum animi tui ornamentum habes, quod fidei observantissimus es. Refragari tamen Gesnero nolo, qui *ornatum fidei* substantive dictum putat, ut *decus patriæ*. — *Cui jure fatemur*, i. e. aperimus; committimus, declaramus.

2. *Umbra tegit*, recessus quidam animi et secretior conscientia; quemadmodum contra *in aprico* posita dicuntur, quæ sunt aperta et clara. Compares hoc Persii, V, 28: « totumque hoc verba resignent, Quod latet arcana non enarrabile fibra ».

3. *Bis septem parvos, opus agrico-*

Quos manus hæc scripsit, parte silente pedum,
Nec strictos numeris, nec Apollinis amne fluentes,
Sed pura tantum rusticitate rudes,
Commendas, dignaris, amas, et rustica dicta
Adfectu socii sollicitante colis.
Nunc ideo modicum crescens fiducia carmen
Obtulit, arbitrio lætificanda tuo.
Est nostræ studium non condemnabile musæ,
Urbanum fari rusticitatis opus :

lare, libellos. Dicit, se Pasiphilo ante XIV libros de re rustica misisse, benigne ab eo exceptos, prosa oratione scriptos, nunc se ejus favore et benevolentia excitatum amplius mittere carmen de insitione, quod libro XIV ejusdem argumenti quasi ἐπίμετρον accedat. Hunc librum XIV prosa scriptum intercidisse, aut neglectum postea, putamus, quum ejus loco carmen successisset. Qua ratione Palladius videtur Columellam imitari voluisse, qui quum suasu Silvini materiam de cultu hortensi carmine exposuisset, non minus eamdem, rite continuandi operis caussa, ex voluntate Claudii Augustalis, soluta oratione exsequutus est libro XI.

4. *Parte silente pedum.* Elegans (pro illius certe ætatis gustu) æquivocatio : Manus meæ hos libros scripserunt, parte pedum silente, id est, cessantibus vel absentibus pedibus, seu ligata oratione, quod ex sequentibus distichis adparet. Sch.

6. *Pura tantum rusticitate*, simplici et incompta, et rebus rusticis apta, oratione. Sic Calpurn. IV, 14 : « Dum mea rusticitas, si non valet arte polita Carminis, etc. »

8. *Adfectu socii sollicitante.* Prout te adfectus et amor sodalis (erga me, socium tuum) sollicitat et commovet.

10. *Arbitrio lætificanda tuo*, quæ fiducia adsensu judicioque tuo lætior fortiorque erit, si boni consulas.

11. *Nostræ studium non condemnabile musæ.* Eadem fere sententia infra mox recurrit vs. 27 : « Non segne officium nostræ reor esse camenæ ». Ed.

12. *Urbanum rusticitatis opus* adpellat, quod quidem res ad rus pertinentes, sed easdem arte et industria urbanorum hominum excultas, exercet : quale inprimis est, insitionis opus; unde arbores *urbanas* adpellant domesticas, sativas, insitas, ad fructum et usum excultas. Plinius, Hist. Nat. XVI, c. 19, s. 32 : « Sunt arbores quædam urbaniores... Hæ mites, quæ fructu, aut aliqua dote, umbrarumque officio humanius juvant, non improbe dicantur urbanæ ». Similiter in Anthol. Burm. lib. III, ep. 48, balnea in agro exstructa *urbani lacus* vocantur, quia humanius et urbanius officium præstant, commoditatem et salutem : « Parvula succinctis ornavit jugera Baiis, Urbanos calleus fundere vita lacus » : quomodo scilicet emendat Burmannus.

Sub thalami specie felices jungere silvas,
  Ut soboli mistus crescat utrinque decor:
Connexumque nemus vestire adfinibus umbris,
  Et gemina partum nobilitare coma:
Fœderibus blandis dulces confundere succos,
  Et fetum duplici fruge saporis ali:
Quæ quibus hospitium præstent virgulta docebo,
  Quæ sit adoptivis arbor onusta comis.
Ipse poli rector, quo lucida sidera currunt,
  Quo fixa est tellus, quo fluit unda maris,
Quum posset mistos ramis inducere flores,
  Et varia gravidum pingere fronde nemus,
Dignatus nostros hoc insignire labores,
  Naturam fieri sanxit ab arte novam.

13. *Sub thalami specie*, i. e. specie connubii. Quemadmodum duo parentes diversi generis unam sobolem procreant; ita duæ arborum species in se invicem insitæ unum eumdemque fructum proferunt. SCH. — Solennes poetis sunt in describendis insitionibus metaphoræ connubii, amoris, fœderis, adoptionis, pignorum, hospitii, laris, commercii, quibus omnibus etiam deinceps Noster utitur. Suaviter inprimis Plinius, lib. XVI princ. « Pomiferæ arbores... sive illæ ultro, sive ab homine didicere blandos sapores adoptione et connubio ». — *Felices jungere silvas.* Horatius, Epod. II, 12: « Inutilesque falce ramos amputans Feliciores inserit ». Et Virg. Georg. II, 82, de insitione: « nec longum tempus, et ingens Exiit ad cælum ramis felicibus arbor ». Sunt vero silvæ et rami *felices* arboris feracis.

15. *Adfinibus umbris*, quia in insitione quærendum est, quæ cuique magis arbor conveniat. Lege Plin. XVII, 13. Docet tamen Columella, ex omnibus arboribus in omnes arbores fieri posse insitiones. CONR. Conf. Heynii adnott. ad Virgilii Georg. II, 69.

18. *Et lætum* edidit Gesn. cum Ald. St. Gr. Com. sed *fœtum* Rivin. rectius: quod ipsum etiam Gesnerus suspicatur, ut modo *partum*.

19. *Quæ quibus hospitium præstent.* Ita vs. 100 et 116 *larem* vocat. Ita vs. 33 « hospitem gemmam » adpellat, et Zeno de resurrect. sub fin. « hospitis germinis adoptiva pinguedine ». BUEHN.

20. *Adoptivis* vel *adoptatis arbor onusta comis.* Colum. Hort. v. 39: « aliena stirpe gravata Mitis adoptatis curvetur frugibus arbos ». Iterum hoc utitur Noster vs. 144 et 160. *Onusta comis* non satis apte dictum videtur; melius Ovid. Rem. 196: « peregrinis arbor operta comis ».

25. *Nostros hoc insignire labores*, hoc fructu vel honore insignes fa-

Non segne officium nostræ reor esse Camenæ,
Aut operis parvi gratia fiet inops.
Si velocis equæ pigro miscetur asello
Ardor, ut in sterilem res cadat acta gradum,
Fecundumque genus productus deleat hæres,
Et sibi defectum copia prolis agat:
Cur non arbor inops pinguescat ab hospite gemma,
Et decus externi floris adepta micet?
Incipiam, quidquid veteres scripsere coloni,
Sacraque priscorum verba labore sequar.

* * * *

cere. Virgil. Æn. V, 705: « Pallas Quem docuit multaque insignem reddidit arte ».

30. *Ut in sterilem res cadat acta gradum.* Impeditissimum sensum hujus versiculi fecit imperitia dicendi et difficilis vena poetæ nostri. *Res acta*, non est dubium, quin significet admissuram asini ad equam, sive id ipsum, quod ante dixit, quando *asello miscetur equa*. Sed per *gradum* quin intelligeret expetitum mulæ, ex hac mixtura procreatæ, molliorem gradum, sive moderatiorem passum, sibi cavere non potuit Bapt. Pius, Adnot. post. cap. 35, et, qui ex parte consentit, Gesnerus. Et tamen hoc admisso quomodo *sterilis* adpellari ille *gradus* possit, difficile explicatu est. Expeditissimum est, si, quod ipse Gesnerus demum observat, *gradum* intelligamus de nativitate, vel genitura, sive de eo, quem mox *heredem* et *prolem* dicit, et in quem quasi gradus et progressio fit generationis. Sic enim a jurisconsultis etiam *gradus* nativitatis et cognationis adpellari, notum est, et ipse auctor versu 98 denuo hoc sensu usurpavit. Igitur verborum *in sterilem res cadat acta gradum* hic sensus est: Hac admissura equæ et asini evenit, ut proles inde nata sterilis sit, nec amplius generare possit. Universe Plinius, VIII, 44, s. 69, adfirmat, « quæ e duobus diversis generibus nata sint animalia, non gignere: idcirco mulas non parere ».

32. *Et sibi defectum copia prolis agat*, et ut prole, quamvis copiose proveniente, nihil agatur aliud, quam ut ipsum genus deficiat. *Agat*, ut modo *res acta*.

33. *Cur non arbor inops.* Perinde, ut hic cum mixto asini et equæ genere fit, olitor apud Calpurn. II, 36 seq. insitionem comparat cum arte pastoris, e nigro ariete et alba ove versicolorem agnum procreandi. — *Ab hospite gemma.* Propterea quod est species insitionis, quæ vocatur inoculatio. Cæterum *gemma* proprie vitium est, sicut *oculi* arborum: auctor Plinius. Gesn.

36. *Sacraque priscorum verba*, quia in honore sunt, et sancte observari solent, quæ ab antiquis et majoribus tradita sunt, et omnis

Principio multas species industria solers
Protulit, et doctam jussit inire manum.
Nam quæcumque virens alienis frondibus arbos
Comitur, his discit credita ferre modis.
Aut nova discreto figuntur germina libro,
Aut aliud summo robore fissa capit,
Aut virides oculos externi gemma tumoris
Accipit, et lento stringitur uda sinu.

* . * * *

antiquitas veneranda est. — *Labore sequar*, i. e. studiose et cum labore, ut explicat Buchnerus, qui et usum casus sexti pro adverbio in Venantii Fortunati hymno de Resurr. vs. 46, notavit : « Si tibi nunc avium resonant virgulta susurro, Has inter minimus passer amore cano ».

37. *Industria solers Protulit.* Similiter Gratius, Cyn. v. 12 : « partes quisque sequuntur Exegere suas, tetigitque industria finem ».

38. *Doctam jussit inire manum. Inire*, quod ad *species* referendum est, eo modo dixit, pro suscipere, agere, exercere, quo alias rationem, modum, fœdus, certamen inire dicimus. *Docta manus*, id est, artis periti : ut Colum. Hort. 252 : « Pangitur in cera docto mucrone magistri ».

40. *Comitur*, i. e. exornatur, quo sensu sæpe illud verbum a sequioris ætatis scriptoribus usurpatur. Auctor Epithal. Laur. v. 37 : « Atque alias comit, per te componitur aurum ». *Comptum solum* pro bene exculto agris et viridariis dixit Avienus, Descr. Orb. v. 663. — *Credita*, i. e. surculos vel germina, quæ immissa, commissa, insita sunt arboribus. — *Discit ferre*, arte et disciplina cogitur, adsuescit ferre ; conf. vs. 54, « ferre docet ». Verbum *docere* in eadem re adhibet Maro, Georg. II, 77 : « hic alieno ex arbore germen Includunt, udoque docent inolescere libro ».

43. *Extremi* A. St. Gr. Com. Riv. *externi* J. B. R. Gesn. — *Externi gemma tumoris.* Videtur scribendum non *extremi*, sed *externi*, hoc est, gemma accipit oculos virides externæ arboris. Eodem modo paullo supra : « et decus externi floris adepta micat ». Sic de cydonio infra vs. 101 : « Roboris externi librum adspernata superbit ». Item de Punica, 74 : « nec externis adsociata comis ». Vetus autem lectio in excusis libris, *extremi* pro *externi*, fortasse ob operarum vitium. Pontedera.

44. *Et lento stringitur uda sinu.* Puto hunc sensum esse : *gemma*, quæ excisa vel avulsa ex udo libro est, eoque ipsa uda, accipit eo loco, quo excisa est, *virides oculos* externæ arboris (vel loco gemmæ avulsæ inseruntur oculi alienæ arboris), et tum gemma recepta *lento sinu*, vel eo loco, quo vulnus factum est per incisionem, quod vulnus propter interiorem humiditatem *lentum* vel tenax est, et facile adhærescit germini inserto, *stringitur*,

Primus Echionii palmes se jungere Bacchi
Novit, et externo tènditur uva mero.
Nexilibus gemmis fecundos implicat artus
Vitis, et amplexum pascit adulta genus,
Degenerisque comæ vestigia mitis inumbrat
Pampinus, et pingui curvat onusta Deo.

* * * *

Robora Palladii decorat silvestria rami,
Nobilitat partus bacca superba feros.
Fecundat sterilis pingues oleaster olivas,

h. e. vinculis circumligatur et constringitur, ut firmius adhæreat et coalescat. — *Sinum* dixit cavitatem facti vulneris, ex imitatione Virgilii, qui Georg. II, 76: « qua se medio trudunt de cortice gemmæ, Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso Fit nodo sinus». Infra etiam v. 126 Noster *sinus* adpellat, fortasse eodem sensu.

45. *Echionii Bacchi*, i. e. Thebani. Echion socius Cadmi, quo adjuvante hic Thebas condidit. Ovid. Metam. III, 126 seqq. Ipsæ *Thebæ Echioniæ* dicuntur Horatio, Carm. IV, 4, 64.

46. *Tenditur*, distenditur, h. e. impletur per insitionem, sc. externo mero. Schoettg. Conf. vs. 83, 153.

47. *Nexilibus gemmis*, quæ facile connectuntur atque implicant se alienis palmitibus.

48. *Amplexum pascit a. genus. Amplexum* videtur sensu passivo positum: nempe vitis adulta genus aliud vitis, quod amplexa est insitione, pascit. Ovid. Her. IV, 139: « Viderit amplexos aliquis, laudabimur ambo ».

49. *Degenerisque comæ vestigia*, i. e. eum locum, ubi *degeneris*, ignobilioris, rudis et incultæ vitis pampinus steterat, vel stirpem ipsam vitis degeneris, cui mitior pampinus insistit. *Degenerem* vocat secundum Virgilium, qui Georg. II, 59, de arboribus e semine natis, nec insitione emendatis, pronuntiat: « Pomaque degenerant succos oblita priores ».

50. *Pingui Deo*, Baccho, id est, vino largo et generoso. Tibull. I, 1, 6: « pleno pinguia musta lacu », et Colum. vs. 432. Errat haud dubie Schœttgenius, qui Bacchum hoc loco pinguem vocari arbitratur, quod cum magno abdomine pingatur. Nam hoc commentum pictorum est, nullum in antiquitate fundamentum habens.

51. *Decorat silvestria*. Legerem *decorant*, videlicet: « rami Palladii decorant robora silvestria »; quod est, olea decorat robur, in quo seritur. Ponted. — Etiam Buchnerus legendum censuerat *decorant*, sed Gesnerus noluit quidquam mutare, quum etiam ad *bacca* hoc verbum ἀσυνδέτως referri queat. Quæ sint *silvestria robora*, declarat auctor deinceps per *oleastrum*.

Et quæ non novit munera, ferre docet.

* * * *

Germine cana Pirus, niveos haud invida flores
Commodat, et varium nectit amore nemus.
Nunc rapit hirsutis horrenda sororibus arma,
Et docet indomitas ponere tela piros.
Nunc teretem pingui producit acumine malum,
Fraxineasque novo flectit honore manus.
Phyllida quin etiam grandi mitescere fructu
Instituens, duræ dat sua membra cuti.
Et steriles spinos, et inertem fetibus ornum

54. *Et quæ non novit munera.* Calpurn. II, vs. 41 : « induit arbos Ignotas frondes et non gentilia poma ». Virg. Georg. II, 82 : « Miraturque novas frondes et non sua poma ». — *Ferre docet* vide ad vs. 40.

55. *Germine cana pirus.* Virgil. Georg. II, 71 : « ornusque incanuit albo Flore piri ». Codrus.

56. *Nectit amore*, h. e. amabiliter, jucunde, ut vs. 36 *labore*. Vel respicit ad *thalami*, hoc est, conjugii *speciem*, de qua versu 13. Gesn.

57. *Hirsutis horrenda sororibus.* Hirsutæ sorores sunt piri silvestres, spinis horridæ.

59. *Teretem pingui producit acumine malum.* Hæc verba interpretor e versu plane gemino, qui est Anth. Lat. lib. III, 61, 4 : « Palladiumque nemus pingui se vertice frangit ». Nam quod ibi *pinguis vertex*, hoc nostro loco *pingue acumen* esse videtur, ut sensus sit, malum arborem piro insitam, *teretem* quidem infra esse, ramis circum circa æqualiter in orbem expansis, sed produci et fastigiari in *pingue acumen*, h. e. pomis densis et confertis gravatum, ita ut gravitate eorum flectatur, et obtusum fiat : quod in epigrammate est « pingui se vertice frangit ». Fere similiter describi videtur pinus in versibus Petronii, cap. 131 : « Et circum tonsæ trepidanti vertice pinus ».

60. *Novo flectit honore manus. Flectit*, quod v. 50 *curvat*. — *Manus fraxineæ* sunt rami fraxini, sicut « brachia roboris » infra vs. 115, « brachia platani » v. 124, et « brachia silvarum » in Lucilii Ætn. vs. 361.

61. *Phyllida* vocat amygdalum, quia Phyllis, Sithonis Thracum regis filia, quæ amore Demophoontis deperibat, in illam arborem mutata ferebatur. Referunt fabulam Hyginus, fab. 59, et Servius ad Virg. Ecl. V, 10. Recurrit infra v. 97.

63. *Et steriles spinos*, species pruni. De spinis sterilibus Virg. Georg. IV, 145 : « Eduramque pirum, et spinos jam pruna ferentes ». Ad quæ verba Servius : « Prunorum, inquit, arbor vocatur spinus genere masculino : nam sentes *has spinas* dicimus ». Falso haberi pro *oxyacanthæ vulgari* observat Gesn. in Indice.

Dotat, et ignotum cogit amare decus.
Hujus et immissi vertere cydonia rami,
Pomaque confusus blanda creavit odor.
Castaneæ septos aspro velamine fetus
Exsuit, et placido pondere mutat onus.
Mespilaque exarmat pugnacibus horrida membris,
Et mala tranquillo cortice vota premit.
Creditur in Libycis sua germina nectere ramis,
Lætaque puniceo posse decore frui.

* * * *

Spino piros inseri, ut et cæterarum, quas hic enumerat, arborum truncis docet Pallad. Febr. tit. 25, 6.— *Inertem fetibus ornum*. Virg. Georg. II, 71: « ornusqne incanuit albo Flore piri ».

65. *Hujus et immissi... rami*. Sic Virgil. Georg. II, 80, insitionem proprie dictam describit: « alte Finditur in solidnm cuneis via; deinde feraces Plantæ immittuntur ». — *Vertere cydonia*, mutarunt, acerbitatem cydoniorum temperarunt piri insertæ. Malum Cydonium a Cydone, urbe Cretæ, nomen habet, unde translatum esse dicitur. Latinis cotoneum vocatur. *Cydonia tenui lana* vel lanugine vestita dicit Calpurn. II, 91.

66. *Confusus* a. V. A. St. Gr. Miz. Riv. *confusis* Com. et al. *confusus* rectum videtur, et ita legendum conjecit etiam, quum solam Comelinianam haberet, Buchnerus, et contulit v. 17. Gesn.

67. *Septos aspro velamine*, cortice spinoso, quo inclusi sunt fetus castaneæ, quem vocare solent *echinum*, ab echino pisce, vel ab erinaceo. Hinc Virgilio, Ecl. VII, 53 dicuntur « castaneæ hirsutæ ». Et Calpurn. II, v. 82: « Castaneasque nuces totidem, quum sole Novembri Maturis nucibus virides rumpentur echini ». Vid. infra v. 115.

68. *Exsuit*. Efficit, ut tales asperi fetus nulli proveniant.— *Et placido pondere mutat onus*, et efficit ut ramorum onus, poma, quibus rami gravantur, sint placido pondere, miti, innoxio, minus aspero: nam *placido* opponitur præcedenti *aspro*.

70. *Vota* A. St. Gr. Com. Miz. Gesn. *fota* B. R. Riv. — *Et mala tranquillo cortice vota premit*. Buchnerus, cui merito hic versus obscurissimus, aut corruptus visus est, post tentatas aliquot mutationes, hunc demum sensum ejus, repetita consideratione, constituit, quem ipse probo: *mala vota* respectu mespili dixit, quæ vovet *pugnacibus horrida membris* nasci, sed opprimitur ab insita piro. Adjicit Gesnerus; *vota* pro instituto et voluntate poni, huic ætati novum non est. — Nescio tamen cur non admittatur *fota*, quod quidem *tranquillo* videtur poscere. En.

71. *In Libycis ramis*. in arbore mali Punici.

72. *Puniceo decore*. Intelligit pira purpurea. Codrus.

PUNICA non alios unquam dignata sapores
 Mala, nec externis adsociata comis,
Ipsa suas augent mutato semine gemmas,
 Et sibi cognato picta rubore placent.

* * * *

Insita proceris pergit concrescere ramis,
 Et sociam mutat MALUS amica pirum:
Seque feros silvis hortatur linquere mores,
 Et partu gaudet nobiliore frui.
Spiniferas prunos, armataque robora sentes
 Lævigat, et pulchris vestit adulta comis.
Exiguam sorbum dulci distendere succo
 Novit, et ad cupidas flectere poma manus.

73. *Punica.* De malo Punico Plinius scribit XIII, 19, s. 34: «Sed circa Carthaginem, inquit, malum Punicum sibi cognomen vindicat, aliqui granatum adpellant». *Apyrinon*, vel Apirenum dicitur, cujus nucleus lignum non habet. Martialis in distichis, XIII, 42. CODRUS. — De malo Punico multa dicendi usus nobis fuit ad carmen Avieni (huj. op. nostr. t. V, p. 514. ED.), ubi et copiosior ejus descriptio legitur a versu 13 seqq.

74. *Nec externis adsociata comis*, Non contradicit Palladius his, quæ modo de piri insitione in Punicas dixerat. Pirus inseri potest in Punicam, non contra in pirum ipsa. GESN.

77. *Insita proceris*, etc. Conferendus Palladius, Feb. tit. 25, 17, ubi arbores singulas, quibus inseri malus potest, ordine, quo hic loci, enumerat.

78. *Socia* J. B. R. *sociam* reliquæ, quæ præsto sunt, A. St. Gr. Miz. Riv. — *Mutat malus amica pirum.* Frequentissima et vulgatissima hæc insitio fuisse videtur, mali in pirum, quia hæc fere sigillatim laudari, præ aliis generibus, a poetis solet. Vid. Virg. Georg. II, 33; Propert. IV, 2, 18; Calpurn. II, 42.

79. *Seque feros silvis*, i. e. malus sativa inseritur malo silvestri. CODRUS.

81. *Spiniferas prunos.* De his ad v. 63. — *Armataque robora sentes*, i. e. sentibus, per Græcismum, vel per adpositionem *sentes* nominat ipsas prunos spiniferas et *armata robora.*

82. *Lævigat*, iis spinas vel asperitatem demit.

83. *Exiguam sorbum.* Sorbus Germanis *Sperberbaum, Arlesbeer*, Gall. *cormier.* — *Distendere*, ut Virg. de apibus, Georg. IV, 164: «liquido distendunt nectare cellas». Conf. supra v. 46, et Colum. Hort. v. 306. — Anth. lib. I, ep. 147, 28: «sic cytiso pastæ distendant ubera vaccæ». Plura vide apud Heinsium ad Ovid. Met. IV, 457. ED.

84. *Ad cupidas flectere poma manus.* Eleganter. Poma graviora multo sorbis exiguis inflectunt ramos,

Stipitibus gaudet nomen mutare salignis,
Et gratum Nymphis spargere flore nemus.
Robora thyrsigero platani concordia Baccho
Fetibus instituit plena rubere novis.
Illius insolitas miratur Persicus umbras,
Populeæque ferunt candida dona comæ.
Mespilus huic paret, lapidosaque viscera mutans
Tenditur, et niveo plena liquore rubet.
Pro sudibus fetis, et pro prægnantibus armis,
Castaneæ fulvum dant nova mala decus.

* * * *

ut cupida manus contingere eas facilius queat. Gesn.

87. *Concordia Baccho.* Hoc dicit propterea, ut recte observat Codrus, quod antiqui sub umbra platani convivari solebant. Virg. Georg. IV, 146 : « Jamque ministrantem platanum potantibus umbras ». Notavimus hoc dudum ad Pentadii Eleg. de vere (huj. op. nost. t. II, p. 322. Ed.) Et cf. Nostr. inf. v. 123. Sed maxime significare Palladius hoc loco illud videtur, quod platanus ipsum vinum amare, eoque radicibus ejus infuso bene nutriri credebatur. Plinius de platanis, XII, 1, s. 4 : « Tantumque postea honoris increvit, ut mero infuso nutriantur. Compertum id maxime prodesse radicibus; docuimusque etiam arbores vina potare ». Mart. IX, 62, 16 : « Crevit et adfuso lætior umbra mero ». Et nota est Q. Hortensii singularis in platanis suis vino irrigandis cura et consuetudo, de qua refert Macrob. Sat. II, 9.

88. *Rubore* omnes editt. sed *rubere* legendum, erudita emendatio est J. Fr. Gronovii, Observ. I, 5, p. 52. Venit idem in mentem cl. Morgagno, I, 95. Gesn. — *Fetibus instituit plena rubere novis. Instituit*, quod supra v. 54 *docet.* Virgilius etiam de platanis malo insitis, Georg. II, 70 : « Et steriles platani malos gessere valentes ».

89. *Insolitas miratur.* E Virgilio, Georg. II, 82 : « Miraturque novas frondes et non sua poma ».

91. *Lapidosaque viscera*, quæ carne pariter ac nucleis duris constant. Vid. not. ad Colum. Hort. v. 15.

92. *Tenditur*, succo mitiore turget; vid. v. 46.

94. *Pro sudibus fetis et pro prægnantibus armis.* Pro ligno et materia castaneæ, quæ alias tantum in sudes et arma agrestia inde fabricanda fecunda est. Nempe, ut Gesnerus monet, vult indicare, vilem ante castaneam, et armis rusticis adhiberi solitam, insitis malis fieri honoratiorem. Palladius, Nov. 15, 2 : « Castanea mira soliditate perdurat in agris, tectis et operibus cæteris intestinis, cujus solum pondus in vitio est ». Pro *prægnantibus* Janus Vlitius in suo exemplari correxerat *pungentibus armis*, ut refert Burm. ad Anthol. tom. I, p. 701. — Quod quidem firmari videtur epigr. Incerti de rosa, v. 9 : « Unde tui flores

Ipsa suos onerat meliori germine ramos
  Persicus, et pruno scit sociare genus,
Imponitque leves in stipite Phyllidis umbras,
  Et tali discit fortior esse gradu.

* * * *

Quum præstet cunctis se fulva Cydonia pomis,
  Alterius nullo creditur hospitio.
Roboris externi librum adspernata superbit,
  Scit tantum nullo crescere posse decus;
Sed propriis pandens cognata cubilia ramis,
  Stat, contenta suum nobilitare bonum.

* * * *

Æmula dura piri despecti mala saporis
  Mespilus admisso germine tuta subit.
Et geminis sese violentior inserit armis,

pungunt latitantibus armis ». Ed. — Sed *prægnantia arma* sunt largiter nascentia e castanea, ut *sudes fetæ*, et quia his respondent, tollenda aut mutanda non sunt.

95. *Ipsa suos onerat.* Brevius hæc tradit Pallad. Nov. 7, 6: « Inseritur (Persicus) in se, in amygdalo, in pruno: sed Armenia vel præcoqua prunis, duracina amygdalis, melius adhærescunt, et tempus ætatis adquirunt ».

97. *Phyllidis*; vid. ad v. 61.

98. *Tali gradu*, i. e. nativitate, generatione, vel cognatione; vid. ad v. 30.

99. *Fulva Cydonia*, intellig. arbor, mala Cydonia ferens. *Quum præstet cunctis se pomis*, hoc explicat ipse Pallad. Febr. 25, 24: « Mense Februario cydonia inseruntur, melius in trunco, quam cortice: recipiunt in se surculos prope omnis generis Punici, sorbi, omnium malorum, quæ meliora producunt ».

100. *Alterius nullo*, i. e. nulli alteri arbori inseri potest, sed tantum in se. *Nullo* pro *nulli* positum, more illius ætatis; *creditur*, committitur, ut v. 40: de *hospitio* pro insitione vid. v. 19.

103. *Pandens cognata cubilia. Cubilia* nunc dicit, quæ v. 49 *vestigia*, paullo ante *hospitium*, et mox *larem* v. 116, et *gremium* v. 118.

106. *Tuta subit*, h. e. ita, ut ipsa mespilus inserta nihil amittat asperitatis, vel saporis sui. Satis bene cepisse sensum obscuri versus videtur Codrus: Mespilus inseritur piro silvestri, cujus æmula est; et quum utraque arbor aspera sit, fructus inde fiunt asperiores.

107. *Et geminis sese violentior.* Et quum utriusque arboris poma sint aspero sapore armata, hinc mespilus cum piro coalescens quasi geminata acerbitate fit violentior, asperior, ut manum carpentium fere deterreat.

Atque avidas terrent robora sæva manus.

* * * *

Necnon et CITREI patiuntur mutua rami
Pignora, quæ gravido cortice morus alit.
Pomaque pasturi blando redolentia succo,
Armatis mutant spicula nota piris.

* * * *

PRUNA suis addunt felicia germina membris,
Donaque cognato corpore læta ferunt.
Exarmat fetus, sed brachia roboris armat,
Castaneæ prunus jussa tenere larem.

* * * *

Adsuescunt SILIQUÆ viridi mollescere succo,
Et gremio pascunt cætera poma suo.

* * * *

108. *Atque avidas... manus.* Vid. ad. v. 84.

109. *Necnon et citrei patiuntur.* Etiam mali citreæ rami mutuo sibi recipiunt surculos mori, et morus citri, h. e. inseruntur moro, sicut morus citro. De malo citrea, sive Medica diximus ad Colum. Hort. v. 405.

110. *Pignora.* Surculi insiti sunt quasi liberi adoptivi: pignora autem vocari liberos, tralatitium est. GESN.

111. *Pomaque pasturi.* Iidem rami citrei *pasturi*, h. e. nutrituri (vid. v. 118 et 162) *poma sua redolentia, piris*, quibus insiti sunt, *mutant spicula;* ramus citreus piro insitus non erit spinosus, ut alias piri solent. GESN.

113. *Pruna suis addunt felicia germina membris*, h. e. in se inseruntur, ut ait Noster, Nov. 7, 15. GESN.

115. *Exarmat fetus.* Prunus castaneæ insita facit, ut fructus non sint hirsuti, vel durum corium habentes: *sed brachia roboris armat*, facit, ut rami fiant spinosi, quales nimirum sunt pruni.

117. *Adsuescunt siliquæ.* Non hic de siliquis leguminum agitur, quales habent pisa, fabæ, lupini, phaseoli, et quarum meminit Virgilius; sed de *Siliqua Græca*, quam Græcis κεράτιον vocari Colum. V, 10, 20, et de arb. c. 25, monet, Glossæ etiam ξυλόγλυκον a suavitate fructus. Gallis dicitur vulgo *carouge* vel *caroube*, Germanis *Joannisbrodt*, relataque a nonnullis est inter ficos: ficus Ægyptia vocata (quamquam falso, quum in Syria Ioniaque maxime nascatur, Plin. XIII, 8, s. 16), quia nempe non ramis, sed ipso caudice fert pomum. Amplius describit Plinius, XV, 23, s. 26: « Haud procul abesse videantur et prædulces siliquæ, nisi quod in iis cortex ipse manditur: digitorum omnis longi-

Persuadet moris tetrum mutare colorem
Ficus, et invasis dat sua jura comis.
Se quoque miratur pingui grandescere succo,
Et solitum gaudet vincere poma modum.
Insignes foliis platanos, felicia mensis
Brachia, gaudentes vitis honore comas,
Ingrediens pingui se cortice maxima ficus
Servat, et optatos implet adepta sinus.

* * * * *

Mutua quin etiam Moris commercia ficus
Præstat, et oblatum robore germen alit.

tudo illis, et interim falcata pollicari latitudine ».

119. *Persuadet*, eo sensu, quo supra *docet* v. 54, *hortatur* 79, *instituit* 88. — *Tetrum color*, i. e. nigrum vel fuscum, ut Avienus usurpavit, Descr. Orb. v. 777, et 1311. *Piceum partum* infra vocat v. 133.

120. *In vasis* divis. J. B. R. — *Invasis dat sua jura comis*. *Comæ invasæ* sunt rami, quos præter naturam invasit fetus illis insita. Gesn.

124. *Felicia mensis Brachia*, rami, qui felices et in honore habentur, quod hilaritati conviviorum serviunt, quæ sub iis agi solent. Vid. v. 87. — *Gaudentes vitis honore* interpretor, quæ amant vino adfuso rigari et nutriri. Ut *honor* alias poetis pro frondibus et pomis arborum ponitur, ita hic *vitis honor* ejus fructus vel vinum esse videtur. Supra v. 60, *novo flectit honore manus*, i. e. pomo. Plane eloquitur Ovid. Remed. 141 : « Quam platanus vino gaudet, quam populus unda ». Hoc loco et alia ratio *honoris* nominati accedit, quia platano vino adfuso singularis honor habebatur. Diserte Plinius, XII, 1, de platanis : « Tantumque postea honoris increvit, ut mero infuso nutriantur ».

125. *Ingrediens*, h. e. immissa, vel insita in platanum ficus, *pingui* ejus *cortice* ita *se servat*, crescit, alitur, ut *maxima* fiat.

126. *Optatos implet adepta sinus*. *Sinus* intelligo de ambitu, orbe, amplitudine fici, quos *optatos implet*, ita ut maxime optari poterat implet, succo distendit, dum fit amplissima.

127. *Quin etiam moris*. De moris adi Plin. Hist. Nat. XV, 24; it. XVI, 26 : ait enim, quod « non nisi exacto frigore germinat, ob id sapientissima arbor dicta » (ὀξύμωρον adfectat Plinius, quum *morum sapientissimam* vocat). Palladius autem, Febr. 25 : « inseritur, inquit, in fico, et in se tantum sub cortice ». Græce dicitur συκάμινος, ut Cels. 3, 18, et μῶρον fructus, unde medicinalis compositio διαμώρων, quod ex succo mororum fit. Gesn. — *Commercia*, i. e. insitionem. Ed.

129. *Avide* J. J. A. *avidæ* St. Gr.

Fraxinus huic avidæ confert sua membra sorori,
Et metuit fetus sparsa cruore novos.
Proceras fagos, et poma hirsuta virentis
Castaneæ, duris aspera mala comis
Inficiens, monstrat piceo nigrescere partu,
Et succo pascit turgida poma novo.
Obsequitur moris blando terebinthus odore,
Et geminis veniunt munera mixta bonis.

* * * *

Sorba suos partus merito majoris honestant
Seminis, et pulchro curva labore nitent.
Hæc arbos spinæ duros mucronibus artus
Exsuit, ac libris mitibus arma tegit.

Com. Miz. Riv. Gesn. Ego prætulerim *avide*.

130. *Et metuit*, ut ante *miratur* v. 89 et 121 : sed hic *metuit* ponere maluit, quia *cruore sparsam*, quasi cædis indicia babentem, dicit : *cruore* vero respicit ad cruentum colorem mororum. Colum. Hort. 402 : « cumulataque moris Candida sanguineo manat fiscella cruore ».

131. *Poma hirsuta virentis Castaneæ.* Vid. ad v. 67.

133. *Inficiens*, scil. succo suo per insitionem.—*Monstrat* idem est, ac, quod aliis locis occurrebat, *docet*, *instituit*.—*Piceo nigrescere partu*, i. e. partum edere, vel fructum ferre nigri coloris.

135. *Blando terebinthus odore.* Terebinthus arbor, cujus quædam species habet fructum faba majorem, odore jucundiorem. Virg. Æn. X, 136 : « aut Oricia terebintho ». Ex hac fluit resina, quæ est aliis odoratior, ut scribit Plinius, XIV, 20, ideo Palladius *blandum* adpellat terebinthi *odorem*. Gesn.

136. *Et geminis veniunt munera mixta bonis. Gemina* ista *bona* intelligo esse succum ex moro, et odorem e terebintho.

137. *Sorba suos partus*. Primum distichon intelligo de sorbo in se insito, qua ratione majora, ut in cæteris quoque arboribus, obtinentur poma. Gesn.

138. *Et pulchro curva labore nitent*, h. e.. et pulchrum adpectum præbent, quando rami majoribus pomis curvati quodammodo laborare videntur. Horat. Carm. I, 9 : « nec jam sustineant onus Silvæ laborantes ».

139. *Spinæ*, intelligo *spiniferæ pruno*, de qua v. 81 : insita *hæc arbos* (sorbus) *duros mucronibus artus Exsuit*, ramos et corticem spinis liberat, eos leviores facit, quod v. 81 dixit « armata robora lævigat ».

140. *Libris mitibus arma tegit*, libro, cortice mitiore inducto, *tegit*, occultat vel opprimit, ne sentiatur, asperitatem, qua veluti armata erat arbor spinifera.

Aureaque adnexo miscere cydonia fetu
    Gaudet, et externi dona coloris amat.

* * * *

Inseritur lauro Cerasus, partuque coacto
    Tinguit adoptivus virginis ora pudor.
Umbrantes platanos, et iniquam robore prunum
    Compellit gemmis pingere membra suis.
Populeasque novo distinguit munere frondes,
    Sic blandus spargit brachia cana rubor.

* * * *

Phyllis odoratos primævis floribus artus
    Discissi pruni cortice fixa tegit.
Pomaque permutat velamine persica misto,
    Duritiemque docet tegminis esse loco.
In modicam tornat siliqua tendente figuram,

143. *Inseritur lauro cerasus*. Plin. Hist. Nat. XXV, 25: « Minus quinquennium est, quod prodiere, quæ vocant laurea (de cerasis loquitur), non ingratæ amaritudinis, insita in lauro ». His desiccatis solent coqui nostri altilia assanda replere. Gesn. — *Partuque coacto*, i. e. partu, qui ex utraque coaluit, nempe fructu, qui ex utriusque arboris conjunctione provenit.

144. *Tingit* B. R. J. J. A. St. Gr. Miz. Riv. *Tinguit* Com. Gesn. — *Virginis ora*, Daphnes, quæ in laurum mutata: *pudor*, rubor qui in flore et pomo.

145. *Iniquam robore prunum*, cortice aspero. Versu 81 *spiniferas prunos* et *armata robora* dixerat.

148. *Sic blandus spargit. Blandus rubor*, qui est in cerasis, *spargit*, sparsim occupat et distinguit, *brachia cana*, ramos populi cana fronde insignes: populus ipsa *candida* dicitur Virg. Ecl. IX, 41; *alba* Ovidio, Her. IX, 64.

149. *Phyllis*, amygdalus; vid. v. 61 et 97.—*Odoratos primævis floribus artus*, id est, amygdalus pruno immissa, *artus* brachia, ramos, quos primitus et naturaliter *floribus odoratos* habebat, nunc *pruni in cortice fixa tegit*, amittit, evanescere facit; vid. v. 140. In Priapeiis: « Amygdalumve flore purpureo fulgens ».

152. *Duritiemque docet*, facit, ut loco tegminis vel corii, quod persica habent molle et lanuginosum, durum ligneumque tegmen evadat.

153. *In modicam tornat siliqua*. Quando amygdalus stirpi siliquæ commissa est, fructum non alium, quam teretis et modicæ figuræ fert, quum contra siliqua figuram suam *tendat*, longa et falcata sit; vid. ad v. 117. *Tornat*, rotundat et contrahit in teretem figuram. *Tornus* de quavis rotunda brevitate adhiberi

Et frondes pulchro ditat odore feras.
Castaneamque trucem depulsis cogit echinis
Mirari fructus lævia poma sui.

* * * *

Quin et amygdaleos subeunt Pistacia ramos,
Et meritum majus de brevitate petunt.
Hæc et cognato cingens terebinthus amictu
Nutrit adoptivis nobilitanda comis.

* * * *

Flumineam salicem fecundant ardua membra
Castaneæ, et multo pasta liquore vigent.

* * * *

Arbuteas frondes vastæ nucis occupat umbra,

solet : de quo vid. not. ad Sal. Bassi carm. ad Pis. v. 84; *tornum angustum* dicit Propert. II, 34, 43.

155. *Depulsis echinis*, dimisso cortice spinoso, quo vestiuntur castaneæ. Vid. ad. v. 67.

158. *Et debitum majus* omnes edd. præter Rivin. qui locum corruptum agnoscens scribit *Atque decus majus*. Buchnerus *Et meritum* legendum putat, quod et ab aliis receptum video, qui versum hunc citant. — *Et meritum majus*. Innuit *pistacia* ob brevitatem amygdalis præstantiora. *Meritum* virtus, pretium est apud scriptores sequioris latinitatis. Vid. Hieron. vita Paulli Erem. extr. Sic Orientius ea voce usus est, ut notat Barthius, XLII, 17, sic : « merita negotiorum, merita chartarum ». Vid. Severus, Dial. I de Orient. mon. virt. I, 3; it. Savaro ad Sidon. VI, 3. Confirmat hanc emendationem nostram ipse Palladius, de sorbis loquens, quum ait v. 137 : « Sorba suus partus merito majoris honestant Seminis ». Add. I, 5, 6; I, 8, 1; I, 10, 1. Buchn. — Eadem emendatio etiam in mentem venerat Bocharto, Geogr. I, 10, p. 421, B. *Pretium* conjicit cl. Morg. I, 95. Gesn. — Ego *meritum* excudendum putavi, quia usus plurium scriptorum sequioris ætatis, ipsiusque Palladii, id verbum poscit, *debitum* vero non solum mendosum est, sed et hoc loco nullum sensum idoneum habet.

159. *Cognato cingens amictu*, i. e. cortice, qui similis est pistaciorum illi.

161. *Flumineam salicem fecundant*, h. e. Castanea, ubi salici inserta est, fecundior in arduos densosque ramos crescit, et multo liquore e salicis stirpe pariter ac flumine adluente nutrita, bene viget.

163. *Arbuteas frondes. Arbutus* arbor, Græcis κόμαρος, cujus fructus, fragis similes, *arbuta* neutro genere dicuntur. — *Vastæ nucis occupat umbra*, i. e. arbuto *nux vasta*,

Pomaque sub duplici cortice tuta refert.

* * * *

Cætera, quæ solers processu temporis usus
Exprimet, exemplis instituere novis.
Hæc sat erit tenui versu memorasse poetam,
Quem juvat effossi terga movere soli.
Carmina tu duros inter formata bidentes
Aspera, sed miti rusticitate, leges.

nempe juglans, quæ et *magna* dicitur Varroni, I, 16, 6, inseri potest, quod et tradit Virg. Georg. II, 69: « Inseritur vero ex fetu nucis arbutus horrida ».

165. *Cætera*, i. e. Quod ad cætera adtinet, *quæ solers usus exprimet*, de his *institueris* alio tempore *novis exemplis*. *Exprimet* dixit, ut laborem et industriam in experiendo et inquirendo indicet, sequens Virgilium, qui verbo *extundere* usus est, Georg. I, 133: « Ut varias usus meditando extunderet artes ».

170. *Aspera, sed miti rusticitate, leges*. Rusticitas hæc non de carmine Palladii, ut quidem Gesnerus vult, sed de legente Pasiphilo intelligenda videtur. Docent hoc opposita, *aspera* et *miti*. Licet carmina mea sint aspera, tu tamen ea leges *miti rusticitate*, nempe pro solito quidem illo tuo studio rei rusticæ, verum quod minime rusticum est, sed mite, conjunctum cum urbanitate, amore, humanitate. In hanc sententiam Ovid. Am. III, 10, 17, de Cerere: « Nec tamen est, quamvis agros amet illa feraces, Rustica; nec viduum pectus amoris habet ». Alio sensu *rusticitatem* de libro suo usurpabat v. 6.

VOMANI

DE LAUDIBUS HORTULI.

ADESTE Musæ, maximi proles Jovis,
Laudes feracis prædicemus hortuli.
Hortus salubres corpori præbet cibos,
Variosque fructus sæpe cultori refert:
Olus suave, multiplex herbæ genus,
Uvas nitentes, atque fetus arborum.
Non desit hortis et voluptas maxima,
Multisque mixta commodis jucunditas.
Aquæ strepentis vitreus lambit liquor,

4. *Variosque cultus sæpe cultori refert.* Sic Will. Pith. Scal. et editiones vett. Catal. Virg. Burmannus conjecturam N. Heinsii in contextum admisit *Variosque fructus*, quæ facile se cuique probabit, siquidem vulgata lectio non parum inepta et inconcinna est. Verbum *refert*, quod est rependit, redire facit, poscit omnino *fructum*, qui cultori redit ex labore et cultu suo, non cultus ipse. Videturque hæc emendatio confirmari verbis Virg. Georg. II, 36: « fructusque feros mollite colendo », ubi similiter nonnulli librarii veteres male scripserunt *cultusque feros*. Oudendorpius hoc loco conjiciebat *Variosque luxus*.

7. *Non desit hortis. Desit* Petav. cod. Lugd. et Genev. edit. Pithœi, sed Parisina *desit*, quod etiam Will. Scalig. et editt. vett. Catal. Virg. dederunt. Et sic sæpe poetæ. Lucret. II, 1141: « Quandoquidem grandi cibus ævo denique desit ». Virg. Ecl. II, 22: Lac mihi non æstate novum, non frigore desit ». Prudent. Cathem. IV, 85: « Non desit tamen anxiis medela ». —Et Hymn. IX, 166: « Quod desit ævo, suppleat crudelitas ». ED.

8. *Multisque mixta commodis. Commixta modos* in Pet. et Thuan. cod. *Multisque commixta modis* in editt. Vicet. Brix. et Ven. Willichius aptius ad metrum edidit « Multisque commixta est modis jucunditas ». Præferenda tamen lectio, quam ipsi dedimus.

9. *Vitreusque lambit liquor.* Aliquot codd. et editt. antiquæ habent *ambit*, quod metro minus aptum

Sulcoque ductus irrigat rivus sata :
Flores nitescunt discolore gramine,
Pinguntque terram gemmeis honoribus.
Apes susurro murmurant gratæ levi,

est. Sed huic consulens Willichius edidit « Aquæ strepentes, vitrensque ambit liquor ». Magis tamen adridet lectio vulgata : *lambit*, quod plures editiones præferunt, valde usitatum poetis de fluviis et aquis adluentibus. Notum est Horatii Carm. I, 22, 7 : « quæ loca fabulosus Lambit Hydaspes ». — Ipse Amm. Marcell. lib. XVII, cap. 3 : « Mosa fluvius præterlambit » ; et XXV, 10 : « præterlamberet Tiberis intersecans urbem æternam ». Priscian. in Perieg. vs. 99 : « istius unda, Lambit terga soli, qua se vagus explicat orbis ». Ed.—Avienus frequentissime, ut Descr. Orb. 575, 694, 951. *Prælambit* idem v. 495, 1076, 1329. Cæterum fluminis vel rivi adluentis meminit hic auctor, quoniam veteres olitores viciniam rivi vel aquæ fontanæ ad omnium culturam hortorum requirebant. Vide quæ supra notantur ad Colum. Hort. 23.

10. *Sulcoque ductus*, qui e proximo lacu vel amne, sulco effosso, deductus est. Nam verbo *deducere* vel *inducere* utuntur poetæ hac in re. Vid. Colum. Hort. 143; Virg. Georg. I, 106, et ib. v. 269. Hinc *deductos fontes* vocat ep. 61 libri III Anthol. Lat. quod ipsi infra dabimus, et Martial. XII, 31 : « ductile flumen aquæ ». *Sulcus* hic dicitur, qui aliis *canalis*. Vid. Calp. II, 35, 96.

11. *Flores nitescunt* pro *nitent*. Inchoativis verbis pro simplicibus sæpe utuntur serioris ætatis poetæ. *Fulgescere* pro fulgere vidimus in Nemesiani Halieut. v. 87. (huj. op. tom. I, pag. 236. Ed.) Antiquus auctor epigr. de Musis : « Melpomene reboans tragicis fervescit iambis ». Pro *gramine* Lindenbrogius volebat *germine*, quod et nonnulli codices præferunt : sed *gramine* de floribus in usu poetarum, bene fundatum est, et de cujuscumque herbæ caulibus, foliis, fibris usurpatur. Notavimus hoc ad Calpurn. II, 32. Hinc *gramen habentes herbas* dicit Ovid. in Ib. 403; *floreum gramen* Martial. IX, 91.

12. *Pinguntque terras. Terram* rectius in Puteano, Vossiano et Thuani cod. et sic etiam Aldus.—*Gemmeis honoribus*, i. e. foliis gemmarum instar nitentibus. Sic florum et hortorum pulchritudinem exprimere solent poetæ. Colum. Hort. 37 : « quo sidere primum Nascantur flores, Pæstique rosaria gemment ». Pervig. Ven. v. 13 : « Ipsa gemmeis purpurantem pingit annum floribus ». Ipse Vomanus in epigr. de quatuor anni tempest. apud Pith. lib. IV, p. 170 : « Ver pingit vario gemmantia prata colore ».—Et vid. Valer. Cato in Diris, v. 23. Ed.

13. *Apes susurro murmurant*. Apum mentionem facit, quia apiaria in hortis, vel hortis vicina, statuebant, ut haberent apes florum et herbarum copiam mellificio exercendo. Vide Virg. Georg. IV, 109. *Susurro murmurant levi* expressa videntur e Virgiliano loco, Ecl. I, 56 : « sepes Hyblæis apibus florem depasta sa-

Quum summa florum, vel novos rores legunt :
Fecunda vitis conjuges ulmos gravat,
Textasve inumbrat pampinis arundines;
Opaca præbent arbores umbracula,
Prohibentque densis fervidum solem comis.
Aves canoros garrulæ fundunt sonos,
Et semper aures cantibus mulcent suis.
Oblectat hortus, avocat, pascit, tenet,

licti Sæpe levi somnum suadebit inire susurro ».

15. *Fecunda vitis*, etc. Vitem in hortis dicit vel ulmis adplicatam, vel trichilæ contextis arundinibus nixam surgere. *Conjuges ulmos* vocat conjugatas et conjunctas vitibus, quam conjunctionem sub conjugii et maritationis imagine describunt. Columella, XI, 2, 79 : « Ulmi quoque recte vitibus maritantur ». Catullus in Carm. nuptiali LXII, postquam *vitem viduam* dixerat nulli arbori adligatam, mox de eadem v. 54 : « At si forte eadem est ulmo conjuncta marito». Horat. Epod. II, 9 : « adulta vitium propagine Altas maritat populos ».

16. *Inumbrat pampinis arundines*, nempe *vitis inumbrat pampinis suis*. Perperam *pampinus* scripserunt cod. Thuan. Voss. et edit. Vicet. Brix. Venet. cum Will. Per *textas arundines* intelligit trichilam, vel pergulam, jugamento quodam arundinum contextam, cui arbores variæ, inprimis vites, adplicari ad umbram faciendam solebant. Diximus de trichila ad versum 8 Copæ : «Est trichila umbriferis frigida arundinibus », et supra ad Colum. Hort. v. 378.

17. *Præbent umbracula*. Beda de confl. veris et hiem. v. 49 : « Et virides rami præstent umbracula fessis ».

18. *Prohibentque densis fervidum*. Videtur adlusum ad verba Horatii, Carm. II, 15, 9 : «Tum spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus ». Similiter Calpurn. V, 2 : « Torrentem patula vitabant arbore solem ».

20. *Et semper aures cantibus*. Sic ediderunt Will. Pith. Scal. Plant. Riv. alii, quamquam cod. Voss. et Aldus vitiose habent : « Et se per auras cantibus mulcent suis ». Cantus avium inter oblectamenta hortorum etiam meminit auctor Eleg. in Ob. Mæc. v. 35 : « Pieridas Phœbumque ciens in mollibus hortis Sederat argutas garrulus inter aves».

21. *Oblectat hortus, avocat*. In plerisque editionibus legitur *advocat*. Sed Burmannus *avocat* excudendum curavit, auctoritate codic. Petav. et Thuan. item antiq. edit. Vicet. Brix. et Venet. Catalect. Virgil. tum Heinsii et aliorum eruditorum, qui sic emendandum censuerunt. Hunc egomet sequor. *Advocat* et *avocat* sæpe permutari a librariis, jam notavimus ad Calpurn. IV, 50. Aptius hoc loco *avocat*, quod notat animum paullum abducere a rebus negotiisque seriis, eaque interrumpere ad tempus. E pluribus locis Veterum, quibus Burmannus hanc

Animoque mœsto demit angores graves :
Membris vigorem reddit, et visum capit :
Refert labori pleniorem gratiam,
Tribuit colenti multiforme gaudium.

emendationem et verbi significatum illustrat, hunc valde adpositum Quintiliani refero, Instit. X, cap. 3, 23, ubi de secessu ruris et hortorum : « Mihi certe jucundus hic magis, quam studiorum hortator, videtur esse secessus. Namque illa ipsa, quæ delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati, etc. » Addo Senec. Epist. LVI, prope finem : « nulla res nos avocabit, nullus hominum aviumque concentus interrumpet cogitationes bonas ». Hinc avocationes et avocamenta dicuntur, quæ fiunt animi oblectandi caussa.

23. *Membris vigorem reddit.* Huic convenit, quod infra Ausonius in Rosis, v. 6 : « Errabam riguis per quadrua compita in hortis, Maturo cupiens me vegetare die ». — *Et visum capit. Visus* cod. Pet. et Thuan. ed. Vicet. Brix. et Venet. *rapit* legit Christius ad Villaticum, pag. 273, quod probo, hoc est, ad se trahit, ut in loco Quintiliani supra prolato : « silvarum amœnitas et præter labentia flumina, . . . et ipsa late circumspiciendi libertas ad se trahunt ». BURM.

25. *Tribuit colenti.* Willichius edidit *Tribuit incolenti*, quod contra metrum, et omnium, quæ vidi, exemplarium scripturam est.

N. B. Vid. tom. V, p. 190, nostræ editionis Virgilii, ubi hæc inter alia notavimus : « Hujus carminis natura est *iambica trimetra senaria*. IAMBICA, quoniam prædominatur *iambus* : TRIMETRA, id est, ternas mensuras continens; mensura autem quæque binis pedibus conflatur : SENARIA tamen est, quoniam senis pedibus constat ». ED.

INCERTI AUCTORIS,

FORTASSE AUSONII,

ROSÆ.

CUM ADPENDICE QUINQUE EPIGRAMMATUM DE ROSIS.

VER erat, et blando mordentia frigora sensu
  Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos præcesserat aura jugales,
  Æstiferum suadens anticipare diem.
Errabam riguis per quadrua compita in hortis,

1. *Mordentia frigora sensu. Morientia frigora morsu* edidit Scriver. in Animadv. ad Pervig. Ven. post Baudii Amores, pag. 446, sine ullo sensu : nam quomodo *frigora morsu morientia*? sed recte spirare dicuntur frigora, quæ mordent blando sensu. BURM.

2. *Croceo mane revecta dies.* Ovid. Met. III, 149 : « altera lucem Quum croceis evecta rotis Aurora reducet ».

3. *Strictior Eoos.* Lenis quædam aura, unde Aurora dicta putatur, et ventus frigidulus, qualis in aurora flare solet, antecesserat orientes equos Solis, atque invitabat exire ad eam captandam ante diei æstum. VIN. — De aura ortum Solis præcedente fortasse accipiendus versus Virgilii, Georg. I, 250 : « Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis ».

4. *Anticipare diem*, i. e. prævenire, antevertere. Ausonius, Epitaph. 35, de equo : « Promptum et veloces erat anticipare quadrigas ». Maximianus, Eleg. I, v. 276 : « Sed mihi venturos melius prævertere casus, Atque infelices anticipare dies ». Plura exempla dabit Heinsius ad Ovid. Met. III, 235.

5. *Per quadrua compita in hortis.* Recte ita edidit Scriver. secundum plures editt. et codd. Willichius, ut et editt. Catalect. Virg. Vicet. Brix. Ven. et Junt. « per quadrua compita in herbis ». Aldus in utraque editione an. 1517 et 1534 « per

Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinas
Pendere, aut olerum stare cacuminibus,
Caulibus et patulis teretes colludere guttas,
Et cælestis aquæ pondere tunc gravidas.
Vidi Pæstano candere rosaria cultu,
Exoriente novo roscida Lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
Ad primi radios interitura die.

quadra et compita in hortis». Sunt autem *quadrua*, ut explicat Vinetus, quadrata vel quadrangula, veluti quum ambulationes duæ, quasi viæ duæ, inter se secant in medio horto: vel sunt viæ angustæ, quæ se permeant in quadrum, et distinguunt areas. Hæc quadrua describi arbitror a Colum. Hort. vs. 92: « Angustosque foros adverso limite ducens, Rursus in obliquum distinguat tramite parvo».

9. *Teretes colludere guttas*. Optima hæc lectio plurimorum exemplarium: quidam codices *concludere*, alii *conducere*. Guttæ colludere dicuntur, quando plures una hærentes in folio, turgentes humore et *teretes* micare inter se, concurrere atque una ludere variante splendore videntur.

10. *Et cælestis aquæ pondere tunc gravidas*. Scribendum est, si quid video, *nunc gravidas*: nempe *colludunt* guttæ, quia nunc adfluente rore, vel cælesti aqua gravidæ fiunt, et pondus adquirunt, ut inclinare, ruere incipiant. Hoc idem est, quod Pervig. Ven. significat v. 17: « Lacrymæ micant trementes de caduco pondere: Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos ».

11. *Pæstano candere rosaria cultu*. *Gaudere* edidit Tollius, ut legitur in Petav. Voss. Jun. cod. et omnibus edd. vetustis. Sed quæ ejus verbi satis apta vis huic loco esse possit, non video. Scriverius edidit *candere*, quod magis placet. Vidi, inquit, rosaria hujus horti eo *cultu*, decore, pulchritudine *candere*, nitere, quasi essent Pæstana, quandoquidem *novo Lucifero exoriente* tota erant *roscida*, roris guttis, quasi gemmis distincta: quod ipsum deinceps declarat. Vide notata ad verba Columellæ, Hort. vs. 37: « Pæstique rosaria gemment ».

14. *Ad primi radios interitura die*. Vera hæc lectio est codicis Junian. et ed. Ald. Ascens. Will. Scriver. Toll. et *die* positum pro *diei* secundum Virgil. Georg. I, 208: « Libra die somnique pares ubi fecerit horas ». Sic in similibus *fide* pro fidei, *acie* pro aciei, *requie* pro requiei apud Auson. in Idyll. IV, 4, ubi vid. not. Tollii. Infra v. 47: «paucis licet interitura diebus ». Barthius hic legendum judicat *Dei* pro *die*, et Deum pro Sole, ut alias sæpe, dici κατ᾽ ἐξοχήν. — Vide quæ notavimus ad epigr. Q. Ciceronis de XII signis: « Curriculumque Aries æquat noctisque, dieque ». ED.

Ambigeres, raperetne rosis Aurora ruborem,
An daret, et flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus, et unum mane duorum:
Sideris et floris nam domina una Venus.
Forsan et unus odor; sed celsior ille per auras
Difflatur : spirat proximus iste magis :
Communis Paphie Dea sideris, et Dea floris,
Præcipit unius muricis esse habitum.
Momentum intererat, quo se nascentia florum
Germina comparibus dividerent spatiis.

15. *Raperetne rosis Aurora ruborem.* Inepta est lectio, quæ in Vicet. Brix. Ven. et Junt. (item Will.) ed. exstat, « raperetne rosis tunc aura ruborem » : quod forte e versu tertio derivatum, sed omnem loci elegantissimi venustatem turbat. Burm.

17. *Unum mane duorum.* Rosæ et Luciferi, seu Auroræ ipsius, cum qua Lucifer oritur. Vin. — Sic Pervig. Ven. vs. 21 : « Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus, Mane virgines papillas solvit humenti peplo. Ipsa jussit mane ut udo virgines nubant Rosæ ».

19. *Forsan et unus odor*, nempe sideris et floris.

20. *Difflatur: spirat proximus.* Sic Scriverius edidit, atque hæc est lectio vetustarum editionum : sed in cod. Juniano legitur *Effluit et spirat*, et in Leid. *Defluit.* Tollius hinc confecit aliam, quam genuinam putat : « Diffluit : exspirat proximus iste magis » ; sed cujus mihi vis et utilitas non satis adparet. Sensus est : Sed odor ille sideris, quia celsior est, difflatur et evanescit per auras, ita ut non sentiatur : iste autem floris, quia proximus, spirat et sentitur magis.

21. *Paphie Dea sideris*, ut apud Symmach. in auct. « Flos siderum Dione ». Ed.

22. *Præcipit*, i. e. jubet, vult : nempe hoc eodem modo accipiendum est, quo auctor Pervig. Ven. toties solet *jussit* de Venere prædicare ; vid. inprimis not. ad vs. 22. — *Unius muricis*, ejusdem coloris purpurei.

23. *Momentum intererat. Intereat* vitiose nonnullæ antiquæ edit. *necentia florum* in Vossiano scripto legi, notavit Tollius.

24. *Comparibus dividerent spatiis.* Sic vulgatæ omnes. Sed quid sit hoc loco *dividere*, quid *spatia*, quid *comparia spatia*, difficulter explico. Potest hic sensus esse : *Momentum tantum temporis* intercedebat, quum se nascentia florum germina, rosæ nascentes, quæ *comparibus spatiis*, pari temporis momento, idem crescendi spatium nactæ essent, *dividerent*, distinguerent se ab aliis novo incrementi genere. Sed, ut Burmannus adnotat, in cod. Leid. et Juniano *disparibus* exstat, quod mihi fere ad sensum facilius et expeditius esse videtur. Nempe paullum temporis intererat, quum

Hæc viret angusto foliorum tecta galero;
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi fastigia celsa obelisci,
Mucronem absolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
Jam meditans foliis se numerare suis.
Nec mora, ridentis calathi patefecit honorem,

se nascentes rosæ ita *dividerent* paullatim, ac magis magisque explicarent, ut pro *disparibus spatiis* temporis, quibus singulæ processissent, dispares etiam incrementi gradus et formas ostenderent. Hæc sententia videtur sequentibus versibus declarari, tum etiam cum alius carminis, quod deinceps pag. 121 proponemus, versu convenire: « Nascebantur adhuc, neque erat par omnibus ætas ».

25. *Hæc viret angusto*, h. e. principio rosa *viret* tantum, viridem colorem habet, dum adhuc sub angusto et viridi foliorum tegmine, tamquam *galero* tecta, latet. Quod *galerum* hic vocat auctor, in aliis carminibus *nodus* est, Apuleio *spineum tegmen* dicitur lib. X, p. 232 edit. Pric.

26. *Hanc tenui folio*. Vossianus scriptus: *Hanc tenus et folio*. Heinsius et Burmann. conjecerunt *Hanc tenui filo*, quod sane placeret, si auctoritas suppeteret. Sed et vulgata lectio elegans est. Alius quippe gradus incrementi rosæ est, quando tenuis folii purpura, velut nota aliqua, e viridi tegmine emicat.

27. *Fastigia celsa obelisci. Obelisco* et metæ similis est rosa, ubi nata est, priusquam tota aperiatur. Vin. — Similiter *pyramidas* adpellat carmen Flori de Rosis, *papillatos corymbos* aliud. Plane aliter hunc versum legit in Vossiano libro Tollius, et in Leidensi Burmannus invenit: « Hæc aperit primæ florens præludia formæ »: sed hæc interpolata videntur.

28. *Mucronem absolvens*, fastigium, *verticem* et quasi cuspidem *solvens*, laxans, aperiens. Vin. — Heinsius emendare voluit *Mucronem evolvens*: sed hoc non opus est, et vulgata lectio idem vult, quod Heinsius, resolvens, relaxans: quo sensu *absolvere* occurrit in Lucilii Ætna v. 344. *Mucro* idem est, quod ante fastigium. In alio carmine *spicula florum* dicuntur.

29. *Illa exsinuabat*. Ita bene ediderunt Scriv. Toll. Burm. Willichiana editio et aliæ vetustiores habent *exinuabat*, quod idem sonat. Est autem *exsinuabat*, explicabat, quasi sinu expanso. In epigrammate proxime proponendo: « Huic dum virgineus pudor extenuatur amictu », ubi Scriverius post Salmas. emendat *exsinuatur*. Quem hic auctor *amictum* rosæ, Perv. Ven. v. 22 nominat « humentem peplum ».

30. *Foliis se numerare suis*, h. e. folia sua ita laxare et explicare, ut numerari possint.

31. *Ridentis calathi*. Læti, jucundi, exhilarantis contemplantes oculos calycis. Rosæ enim se pandentis

Prodens inclusi semina densa croci.
Hæc modo, quæ toto rutilaverat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam;
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.
Ecce et defluxit rutili coma punica floris,
Dum loquor, et tellus tecta rubore micat.
Tot species, tantosque ortus, variosque novatus
Una dies aperit, conficit una dies.

calycem videtur dixisse Plinius, quem hic poeta *calathum*, eodemque tropo. Vin. — *Ridentem* calathum interpretor solutum et explicatum, quemadmodum ridentium vultus solvi et explicari dicitur. Similiter carmen, mox sequuturum, de rosis: « Tertia non totum calathi patefecerat orbem ».

32. *Semina densa croci*, folia crocei coloris dense conferta: infra vs. 37, « coma punica floris ». *Luteos apices* vocare Plinius videtur lib. XXI, 4, s. 10: « Paullatim rubescens debiscit, ac sese pandit, in calycis medio sui stantis complexa luteos apices ».

33. *Hæc modo*. Sic omnes scripti et editi: tantum Leid. MS *Nec modo*. Et Scriverius edere maluit *Ac modo*, nulla caussa. — *Toto igne comarum*, i. e. omnibus comis, foliis igneo colore rubentibus. Ovid. Met. XI, 385: « Prosilit et nondum totos ornata capillos ».

35. *Fugitiva ætate rapinam*. Legendum *ruinam* vult Burm. quasi innuat rosæ subito marcescentis interitum, illustratque loco Ovidii ex Pont. I, 4, 6: « Ætatis facta est tanta ruina meæ ». Sed hæc emendatio plane superflua, et *rapina* aptius vocabulum rosæ intereunti describendæ, quia interitus ejus fit *rapina* et abscessu foliorum decidentium, quæ et *defluere* dicuntur v. 37, et *rapi* v. 42. *Cordis rapinam* dixit Cato, Dir. v. 182.

37. *Defluxit rutili coma punica floris*. *Punica* pro punicea, purpurea, rubra. *Defluxit*, id est, decidit, hoc elegantius, quia proprie *defluere capillus* dicitur a Plin. X, 67, et *defluvium capillorum* ab eodem, XXVIII, 11.

38. *Dum loquor*. Hæc solennis formula, ad signandum breve temporis momentum. Horat. Carm. I, 11, in fine: « Dum loquimur, fugerit invida Ætas, carpe diem, quam minimum credula postero ». Ovid. ex Pont. IV, 3, 58: « et quæ tibi læta videntur, Dum loqueris, fieri tristia posse puta ». Plura adfert Burmann.

39. *Variosque novatus*. *Varias* et *novas* mutationes ac formas. Verbum satis novum *novatus*, verbale quartæ inflexionis. Vin.

40. *Una dies aperit*. In vetustis edd. Vicet. Brix. Ven. et Junt. (ut in Willich.) *Ipsa dies aperit, conficit ipsa dies*: sed recte in Aldinis, Ascens. et Tornæs. *Una dies aperit, conficit una dies*, ut edidit Scriver. et a codice Juniano firmatur. *Con-*

Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florum est:
Ostentata oculis illico dona rapis.
Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum;
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.
Sed bene, quod, paucis licet interitura diebus,
Succedens ævum prorogat ipsa suum.

ficit eleganter pro enecat, prosternit. Sic Lucretio, lib. I, 905: « ignes Conficerent vulgo silvas, arbusta cremarent, etc. » Burm. — Mihi *conficit* hoc loco simpliciter est finit, absolvit. Sensum enecandi non admittunt *species*, *ortus*, *novatus*.

41. *Brevis quod gratia florum est.* Suaviter Valer. Flacc. VI, 492: « Lilia per vernos lucent velut alba colores Præcipue, queis vita brevis, totusque parumper Floret honor, fuscis et jam Notus imminet alis ». Hinc Horatio, Carm. I, 36, 16, « breve lilium », et « nimium breves flores rosæ » Carm. II, 3, 13 dicuntur.

42. *Ostentata oculis*, h. e. Quin, quum vix ostenderis tua dona oculis nostris, illico rapis. Verbo *ostentare* utitur ad eum sensum, quo Virgilius brevem Marcelli gloriam notat Æn. VI, 870: « Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra Esse sinent ».

44. *Juncta senecta premit*, pone sequitur, inhæret et opprimit. Hor. Carm. I, 4, 16: « Jam te premet nox, fabulæque manes ». Aliter idem expressit Sal. Bassus, Carm. ad Pison. 138: « Ver fugit æstates, æstatum terga lacessit Pomifer autumnus ».

45. *Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous.* Burmannus hic manifestam ait imitationem adparere fragmenti ex Smyrna Helvii Cinnæ, quod profert Serv. ad Virgil. Georg. I, 288: « Te matutinus flentem conspexit Eous, Et flentem paullo vidit post Hesperus idem ». Sed et similis sententia Ovid. Met. V, 440: « Illam non rutilis veniens Aurora capillis Cessantem vidit, non Hesperus ». — Hunc locum et hos ipsos versus expressit inter recentiores Basil. Zanchius, Poem. lib. VI, pag. 158: « Me matutino flentem conspexit Eoo, Et flentem sero vespere vidit Amor ». Ed.

46. *Hanc rediens*, scil. Eous, vel Lucifer. Loquitur ex opinione vulgi, quam admittunt poetæ, stellam, quæ ortum solis antecedat, ejusdem occasum subsequi, quando fortasse majorem stellam aliam, vespere præ aliis conspicuam, pro Veneris astro accipiunt imperiti. *Anum*, senem, vetulam. Vin. — Inverso modo Horatius, Carm. II, 9, 10: « nec tibi Vespero Surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente Solem ».

48. *Succedens ævum prorogat ipsa suum*, id est, reflorescens, denuo germinans, succedanea prole extendit ævum suum.

Collige, virgo, rosas, dum flos novus, et nova pubes,
Et memor esto, ævum sic properare tuum.

49. *Collige, virgo, rosas.* Virginem adloquitur, quia virgines maxime delectari floribus, iisque colligendis operam dare solent; vid. Ovid. Met. V, 393: tum quia rosæ imaginem virginalis tum pudoris, tum ævi præbent. — *Dum flos novus.* Elegantius forte in cod. Juniano *dum ros novus*: ut *ros* referatur ad rosam, et *pubes* ad virginem. Sic apud Claudian. Epithal. Honor. et Mar. 249: « Ceu geminæ Pæstana rosæ per jugera regnant: Hæc largo matura die, saturataque vernis Roribus indulget spatio, latet altera nodo »; ubi Oxon. codex *Floribus* habebat. In Anthol. III, ep. 279: « Marcent post rorem violæ, rosa perdit odorem »: vel colligendas monet rosas matutino tempore, dum rore madescunt, ne solis calore conficiantur. Sic *ros* de matutino tempore apud Calpurn. Ecl. VIII, 8: « viridique greges permittere campo Et ros, et primi suadet clementia cæli ». Supra in Ausonii Ros. vs. 17: « Ros unus, color unus ». Ed.

EPIGRAMMATA.

I. INCERTI, DE ROSIS*.

O QUALES ego mane rosas procedere vidi!
Nascebantur adhuc, neque erat par omnibus ætas.
Prima papillatos ducebat.... corymbos;

* Ita inscripsi, licet in schedis Salmasianis et Divion. simpliciter *de Rosis*. Duobus enim sequentibus præfigunt eædem schedæ EJUSDEM, licet primo epigrammati non sit adpositum poetæ nomen. Unde patet, hæc tria priora eumdem habere auctorem, sed incertum. Quarto FLORI nomen præmittunt. Edidit primum et quartum ex codice Salmas. Scriverius ad Pervigil. Ven. 445 et 446; et ex eo Almelovenius in Epigr. vett. p. 12 et 13; et tertium primumque nuper Jod. Joh. Struchtmeyer. in Animadv. Crit. pag. 88 et 89: secundum ac tertium sub Luxorii nomine profert idem Scriverius, p. 453 et 454: sed inter Luxurii Epigrammata non inveni, ex Salmasiano et Divionensi codice descripta. Quartum, cui FLORI nomen præfigitur, ex suo codice dedit Salmas. ad Spartiani Hadrian. cap. 16, p. 155, et post Palladium, sub titulo FLORI ROSA, aliis incertorum vett. poetarum Epigrammatibus inseruit Rivinus, licet male Floro tribui, et ἄδηλον esse, sed errorem natum, quia de floribus ac præsertim rosis agat, existimet ad Pervig. Ven. pag. 74, ubi primum epigramma etiam adfert, et illud FLORI ab Opitio Germanice versum notat. BURM.— Burmannus autem quatuor sequentia epigrammata exhibet Anthol. Lat. lib. III, epigr. 288-291.

1. *O quales*. In Divionensi cod. *Æquales* exstabat, quod a manu recentiori in margine Salmas. et Leid. erat adscriptum. BURM. — Sed hoc *Æquales* quum vim sententiæ debilitat, tum contrarium est ei, quod sequitur: « neque erat par omnibus ætas ». Æquales enim revera sunt, quibus par ætas est.

3. *Prima*, scil. rosa, ut deinceps *altera*, *tertia*. Lacunam hujus versus Burmannus implet *fronte corymbos*, Oudendorpius implebat *tecta corymbos;* idque mihi placet, quia hic versus convenire cum Elegiæ Ausonii v. 25 videtur: « Hæc viret angusto foliorum tecta galero ». *Papillatos corymbos* vocat corticem rosæ nondum apertæ viridem, in mucrones vel spicula exeuntem, forma *papillæ*, siquidem hos ipsos auctor Pervigilii Ven. vs. 14 *surgentes papillas* vocat, et *papillatum*

Altera puniceos apices umbone levabat;
Tertia non totum calathi patefecerat orbem,
Quarta simul nituit, mutato tegmine floris.
Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum,
Huic dum virgineus pudor extenuatur amictu,
Ne pereant, lege mane rosas; cito virgo senescit.

corymbum etiam Hieronymus epist. XXVI ad Pammachium.

4. *Umbone levabat*, in vertice vel fastigio paullum aperto adtollebat. *Umbo* proprie est clypei pars media editior, apicem acutum habens.

5. *Calathi patefecerat orbem.* Vid. supra Auson. Ros. v. 31.

6. *Simul nituit.* Id mihi videtur esse *tota nituit*, singulis rosæ partibus pariter conspicuis, quia *Tertia non totum*. Ita enim *simul* interdum exprimere totam rem videtur, respectu habito plurium ejus partium, quas totum simul complectitur. Livius VI, 4: « Roma quum frequentia crescere, tum tota simul exsurgere ædificiis cœpit ». *Nituit* splendorem rosæ plenæ et adultæ exprimit, ut *lucere* flores dicuntur in Colum. Hort. v. 293. — *Mutato tegmine floris. Nudato* legendum monuit Cannegieterus ad Avian. fab. 38, pag. 222; Oudendorpio placuit *mutati* vel *nudati germine floris*, ut refert Burmannus: sed lectio vulgata recte se habet, et sensus ejus verus quærendus est. *Mutato tegmine* est ablato, remoto, deposito, siquidem Gronovius, Observ. lib. III, cap. 1, pluribus locis Veterum probavit, *mutari* sæpe idem esse, ac moveri, auferri de loco, quoniam hoc ipso rei situs ac status mutatur, vel desinit. Quando *tegmen* floris ita mutatur, vel ita amovetur et separatur a nodo, ut tegmen floris esse desinat, tum rosa tota nitet.

8. *Extenuatur amictu.* E Salmasii emendatione, quam Scriverius probat, haud dubie legendum est *exsinuatur*, i. e. exsolvitur. Hoc confirmant, testante Burmanno, schedæ Divionens. tum versus plane similis Elegiæ de Rosis, 29: « Vertice collectos illa exsinuabat amictus ». Pervig. Ven. v. 21: « Mane virgines papillas solvit humenti peplo ». Et v. 25: « Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea, Uvido marita nodo non pudebit solvere ». Qui illic *rubor*, hic *virgineus pudor*. Conf. Colum. Hort. 261.

9. *Cito virgo senescit.* In cod. Salm. et Leid. lacuna erat inter *rosas* et *virgo*, et *cito* tantum margini adscriptum a manu recentiore. Hoc tamen a Scriverio editum magis placet, quam codicis Divion. scriptura *sic virgo senescit*, licet hanc præferat Burmannus. *Virgo* quidem *senescens* proxime intelligitur *rosa*, siquidem similiter Ausonius de Ros. v. 36: « Et dum nascuntur, consenuisse rosas ». Sed tamen respicitur simul virgo puella, et admonetur fragilitatis suæ, ut fecit Ausonius in fine. — Familiaris ea comparatio poetis veteribus. Vide Pantini notas ad Apostolii Parœm. Centur. XVII, 21. Et confer Eleg. in obit. Mæcen. v. 113. Ed.

II. EJUSDEM, DE ROSA.

Aut hoc risit Amor, aut hoc de pectine traxit
Purpureis Aurora comis, aut sentibus hæsit
Cypris, et hic spinis insedit sanguis acutis.

10. *Aut hoc risit Amor.* Quod rosa tam pulchrum ridet et nitet, hoc aut Amor effecit, qui ei tantum nitorem risu et osculo adflavit; aut Aurora, quæ aliquid purpuræ, comis suis purpureis pectine detractum, rosis adjecit; aut denique Venus, sanguine ejus spinis rosæ, quibus inhæserat, adfuso. Tres hasce ortæ in rosa purpuræ caussas etiam Pervig. Ven. v. 23 conjungit: «Facta Cypris de cruore, deque Amoris osculis, Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris». *De pectine traxit* præter morem dictum videtur pro *detraxit pectine*, aut *de* abundat, quod sæpius fit in Pervig. Ven.

III. EJUSDEM, DE ROSIS.

Hortus erat Veneris, roseis circumdatus herbis,
Gratus ager dominæ, quem, qui vidisset, amaret.
Dum Puer hic passim properat decerpere flores,
Et velare comas, spina libavit acuta
Marmoreos digitos: mox ut dolor adtigit artus,
Sanguineamque manum, tinxit sua lumina gutta*:

* Videtur hoc Epigramma ab auctore ad exemplar carminis Anacreontici XL, cui simile Theocriti Idyll. XIX exstat, esse compositum, quo Amor ab apicula inter rosas cubante in digito punctus, et doloris ex vulnere impatiens, questum it ad matrem.

2. *Quem, qui vidisset, amaret.* Sic in Petronii descriptione loci amœni, quam statim dabimus: «Dignus amore locus». Videtur eo dicto adludi ad ἔτυμον *amœni*. Nam Isidor. Orig. XIV, 8: «Amœna loca Varro dicta ait, eo quod solum amorem præstent, et ad se amanda adliciant».

5. *Marmoreos digitos*, marmoris instar nitentes. Sic *marmoreus pollex* Ovid. Met. XIII, 746; *marmorea manus* Martial. VIII, 56, 14; *marmoreum pectus* Lucilius apud Non. Marcell. in *stare*, p. 391. — *Digitos eburnos* dixit Propert. II, 1, 9. Ed.

6. *Tinxit sua lumina gutta.* Suavius Virg. Æn. I, 228: «lacrymis oculos suffusa nitentes Adloquitur Venus». Pariter Ovid. ex Pont. II,

Proruit ad Matrem frendens, defertque querelas :
Unde Rosæ, Mater, cœperunt esse nocentes?
Unde tui flores pugnare latentibus armis?
Bella gerunt mecum. Floris color et cruor unum.

3, 90 : « Gutta per adtonitas ibat oborta genas ».

7. *Proruit ad Matrem.* Unde sic ediderit Scriverius, ignoro : nam in cod. Salm. Leid. et Divion. *Pervenit.* Burm. — Certe *Proruit* significantius est, magisque accedit ad Anacreonticum illud l. c. Δρακὼν δὲ καὶ πεταcθεὶς Πρὸς τὴν καλὴν Κυθήρην.

9. *Pugnare latentibus armis.* Scriverius e conjectura sua, temere corrigens scripturam codd. edidit : « Unde tui flores pungunt latitantibus armis ». Sed in cod. Salmas. et Leid. est « Unde tui flores pugnant latentibus armis », et in margine utriusque correctum *pugnare*, nempe *cœperunt*, quod præcessit : in Divion. *pugnare nocentibus*, ubi quidem *nocentibus* vitiosum, quia *nocentes* modo præcessit, sed *pugnare* confirmatur; quod verbum hoc magis aptum et necessarium est, quod sequentia ad hoc respiciunt *Bella gerunt mecum.* Et Palladius de Insit. v. 69 *pugnacia membra* tribuit arbori, quæ corticem asperum et spinosum habet. E scriptura memorata codicum sponte emergit lectio, quam ipse edidi.

IV. FLORI, DE ROSIS.

Venerunt aliquando Rosæ : proh veris amœni
Ingenium! una dies ostendit spicula florum,
Altera pyramidas, nodo majore tumentes;
Tertia jam calathos : totum lux quarta peregit
Floris opus : pereunt hodie, nisi mane legantur.

1. *Veris amœni Ingenium*, quam mirabilis natura, ratio et varietas in procreatione et incremento rosarum. Sic *ingenia cœnarum*, *noctium*, a Plinio et a Tacito pro variis commentis et generibus ciborum et libidinum ponuntur.

3. *Altera pyramidas.* Pyramidas vocat, quas Ausonius *obeliscos*, superius carmen *papillatos corymbos*, Plinius *alabastros* lib. XXI, 4, s. 10, cujus verba et nostrum poetam explicant : « Germinat omnis (rosa) primo inclusa granoso cortice. Quo mox intumescente, et in virides alabastros fastigato, paullatim rubescens dehiscit, ac sese pandit ».

5. *Mane.* Cf. sup. ep. 1, 9 Ed.

V. INCERTI, DE ROSA.

Est rosa flos Veneris, cujus quo furta laterent,
Harpocrati matris dona dicavit Amor.
Inde rosam mensis hospes suspendit amicis,
Convivæ ut sub ea dicta tacenda sciant.

1. *Est rosa flos Veneris.* Burmannus, Anthol. Lat. lib. V, ep. 217, unde ipse huc transtuli, hos versus in marmore repertos proferri ait a Cerda ad Virgil. Æn. I, 734, tom. II, p. 134. Recitat etiam, auctore non nominato, Stuckius, Antiquit. Convival. lib. III, cap. 16, fol. 352 b. ex eoque Almelovenius Amœnit. Theol. Philol. p. 159. Qui ex eo epigrammate docent, poetas finxisse Cupidinem, Veneris filium, rosam Harpocrati silentii Deo apud Græcos (ut et Angerona apud Romanos) consecratam esse voluisse, eoque munere eum decorasse, ut rosa loquacibus exhiberetur, veluti silentii symbolum. Atque hinc morem illum profectum, ut multis in locis Germaniæ in cœnaculis rosa lacunaribus supra mensæ verticem adfixa conspiciatur, atque ut proverbio apud Germanos pervulgato dicatur : « Hæc sunt sub rosa acta *vel* dicta ». Equidem scio, hoc etiam apud Romanos in conviviis observatum, ut hospes curaret, « ne fidos inter amicos Sit, qui dicta foras eliminet », ut Horat. ait Epist. I, 5, 25. Mart. X, 48, 21 : « nec mane timenda Libertas, et nil quod tacuisse velis ». Etiam hoc vulgatum, tantum rosarum usum in conviviis fuisse, ut non modo convivæ corollis roseis caput cincti adcumberent, sed ipsæ etiam mensæ rosis injectis cumularentur. Docet Ovid. Fast. V, 335 : « Tempora sutilibus cinguntur tota coronis, Et latet injecta splendida mensa rosa ». Conf. Salmas. ad Spartian. Æl. Verum, c. 5. Unde proverbium ex ipso more Romano nasci potuit, ut *sub rosa dicta* dicerentur, quæ inter convivandum, sub fide silentii in conviviis servandi. Neque tamen ipsius proverbii memoriam in antiquitate exstare, neque morem rosæ e lacunari suspendendæ satis antiquum esse arbitror. Poeta hunc morem celebratiorem reddere cupiens, caussam ejus finxit, rosam Harpocrati dicatam. Unde is auctor an inter antiquos referendus sit, adhuc dubito.

30. *Suspendit amicis.* Burmannus edidit *amici*, sed Stuckius rectius *amicis*.

ALIORUM AUCTORUM

CARMINA MINORA

DE

HORTORUM ET RURIS AMOENITATE.

I. PETRONII DESCRIPTIO LOCI AMOENI *.

Nobilis æstivas platanus diffuderat umbras,
Et baccis redimita daphne, tremulæque cupressus,
Et circumtonsæ trepidanti vertice pinus.
Has inter ludebat aquis errantibus amnis
Spumeus, et querulo versabat rore lapillos.

* Ita edidit Scaliger lib. II Catalect. p. 255, ex Petronio cap. 131: sed forte præstat *luci* pro loci. Burm. Anthol. Lat. lib. III, ep. 54.

1. *Nobilis æstivas... umbras. Nobilis* platanus, quia præcipua dignitate inter arbores erat, et singulari cura nutriebatur. Vid. not. nostr. ad Palladii v. 87 et 124, et conf. Heins. Advers. I, 10. *Umbræ* platanorum inprimis celebrantur, hinc Palladio *Insignes foliis* v. 123, et *umbrantes* v. 145 dicuntur.

2. *Redimita daphne*, i. e. laurus. In vulgatis Petronii editionibus hic versus tertio subjicitur.

3. *Et circumtonsæ trepidanti vertice pinus*, quæ, ramis circum æqualiter in orbem expansis, quasi circumtonsæ videntur. Hoc sensu *teretem malum* a Palladio dici, notavi ad ejus v. 59.

4. *Has inter ludebat aquis errantibus.* Hanc lectionem vindicat Burmannus in notis ad Petron. nam alii *trepidantibus*, alii *ludentibus*. *Ludere* amnis dicitur, undis tremulo motu subsultantibus, ut explicat Burm. ibidem. Unde *ludias undas* Scaliger ad Catulli Carm. XXXII interpretatur. Christius in Villat. p. 268 putat legendum esse *currebat aquis ludentibus*, aut, ut alii, *ludebat aquis errantibus*.

5. *Querulo versabat rore*, jactabat, volvebat susurrante lympha. In epi-

Dignus amore locus: testis silvester aedon,
Atque urbana procne: quæ circum gramina fusæ,
Ac molles violas, cantu sua rura colebant.

gram. 63 libri III Authol. « Ecce recurrentes qua versat fluctus arenas, Discolor adtrita calculus exit humo ». Auctor Copæ: « Est strepitans rauco murmure rivus aquæ ». Ovid. Met. II, 456: « Ibat et adtritas versabat rivus arenas ».

6. *Silvester aedon.* Sic primæ editiones et Tragur. cod. Petronii, quod servandum putat Burmann. sed *silvestris* edidit Scaliger, et probavit Heins. ad Ovid. Met. VI, 468. Vespa Jud. coc. et pist. v. 53: « Tu facis, in lucis ut cantet tristis aedon ».

7. *Urbana procne.* Ita recte dicitur hirundo, quia urbem maxime frequentat, eoque distinguitur a *silvestri* aedone: quomodo etiam explicat Barth. Advers. XXIII, 24. Atque hanc diversitatem naturæ in utraque avi diserte notant poetæ, ubi fabulam Prognes et Philomelæ adtingunt. Ovid. l. c. « quarum petit altera silvas, Altera tecta subit ». Et Lucil. Jun. Ætn. 582: « Philomela canoris En volat in silvis, et tu, soror, hospita tectis Acciperis ». — *Procne,* prima correpta, ut *Daphne,* v. 2. Ed. — *Circum gramina fusæ,* i. e. sparsæ per gramina temere et passim vagantur. Val. Flacc. I, 252: « molli juvenes funduntur in alga ».

II. ITEM.

Idæo quales fudit de vertice flores
Terra parens, quum se confesso junxit amori
Jupiter, et toto concepit pectore flammas.

1. *Idæo quales.* Scaliger hoc epigramma eodem loco, quo superius, protulit ex Petron. cap. 127; unde ultimum versum addidi, qui in illius Catalectis desiderabatur, et in codice ejus Petroniano male inserebatur inter quartum quintumque versum epigrammatis, quod apud Petron. cap. 128 legitur, et incipit *Nocte soporifera,* ubi in margine notaverat vir illustris, se in duobus aliis veteribus codd. illic eum non invenisse. Burm.

2. *Confesso junxit amori.* Alii, ut ipse Scaliger, *vinxit,* sed vulgatam lectionem præferunt uterque Burmannus. *Confessus amor* est non furtivus et occultus, sed apertus, declaratus, legitimus. Auctor Eleg. in mortem Drusi, v. 305: « Tu confessus amor, tu solus et ultimus illi », quomodo ibi legendum videtur Burmanno. Et *amor* hic pro conjuge, ut *apertum conjugem* Propertius vocat IV, 3, 49. De Jove etiam Statius, Theb. I, 257: « illam odimus urbem Quam vultu confessus adis ». Pari sensu *professum* dici notavimus ad Calpurn. I, 55, et X, 22.

Emicuere rosæ, violæque, et molle cyperon,
Albaque de viridi riserunt lilia prato.
Talis humus Venerem molles clinavit in herbas,
Candidiorque dies secreto favit amori.

4. *Molle cyperon.* Τὸ κύπειρον dicitur Græcis et ἡ κύπειρος, herba odorifera, quæ, ut *rosmarinus*, in nostris hortis vulgaris, et retento Græco nomine Cyperis dicitur, barbaris etiam Cypria. Alia est *cupressus* arbor, κυπάρισσος. Erhard. ad Petron.

6. *Clinavit*, pro *clamavit*, ut in Catalectis Scaligeri et codice MS, pro quo conjeceram « molles Venerem inclinavit in herbas » ; sed quod postea vidi occupasse Hadrianidem. Burm.—Composito usus est Cato in Dir. v. 117 : « Aut inter varias, Veneris stipendia, flores Membra reclinarit, teneramque illiserit herbam ». Fortasse *clamavit* servari potest, idque positum est pro *vocavit*, *invitavit* in herbas, quamvis hoc sensu id verbum seriore demum latinitate usurpatum esse norim. Inscriptio epigrammatis 39 Luxorii sic habet : « De eo, qui amicos ad prandium clamabat, ut plura exposceret xenia ».

III. E PRIAPEIIS, EPIGR. LII.

PRIAPUS.

Quid hoc negotii est, quave suspicer caussa,
Venire in hortum plurimos meum fures?
Quum quisquis in nos incidit, luat pœnas,
Et usque curvos excavetur ad lumbos?
Non ficus hic est præferenda vicinæ,
Uvæque, quales flava legit Arete :
Non mala truncis adserenda Picenis,

3. *Quisquis in nos incidit.* Quædam editt. *incidat.* Cod. Voss. *incidit in nos.* Heinsius, probante Burmanno, legendum duxit « Quum quisque, ut in nos incidit, luat pœnas ».

6. *Flava legit Arete.* In edit. Vicent. Brix. et utraque Aldi legebatur : « Uvæque quales flava non legit Crete », quod et in aliis, et in Scioppiana. Sed emendationem certam confirmant plerique codices, quos recenset Burmannus. Intelligitur autem Arete, Alcinoi Phæacum regis uxor, ex Hom. Odyss. VII, 54; cujus etiam meminit Orpheus, Argon. v. 1312, et Apollon. IV, 1013.

7. *Non mala truncis adserenda.* Alii scripti vel editi *Non poma truncis adservanda* vel *observanda.* In cod. secundo Heinsii et Wittiano legebatur. *Non poma esse ruenda.* Avancius legebat *inserenda.* Optime,

Pirumve tanto quod periculo captes:
Magisque cera luteum nova prunum,
Sorbumve ventres lubricos moraturum.
Præsigne rami nec mei ferunt morum,
Nucemve longam, quam vocant Avellanam,
Amygdalumve flore purpureo fulgens.
Non brassicarum ferre glorior caules,
Betasve, quantas hortus educat nullus,

inquit Burmannus, sed tamen *adserenda* non ejiciendum videtur, quod notat mala vel poma nobilia, quæ *adserenda*, vindicanda, *truncis Picenis*, vel habenda pro pomis Picenis videantur. Nam poma Picena Veteribus laudatissima. Hor. Serm. II, 4, 70: « Picenis cedunt pomis Tiburtia succo, Nam facie præstant ».

9. *Magisque cera luteum. Cerea pruna* sæpissima dicuntur, ut in Copa, v. 18, et infra in ep. VIII, v. 5; *cereola* Colum. Hort. 404.

10. *Ventres lubricos moraturum*, i. e. quod alvum fluidam sistit, propter austeritatem. Sic Martial. XIII, 116, de vino Signino: « Potabis liquidum Signina morantia ventrem ». De sorbis similiter Martial. XIII, 26: « Sorba sumus, molles nimium durantia ventres ».

11. *Præsigne rami.* Nonnullæ editiones, ut Scioppiana et Lugdun. 1560, *prœpingue* habent, quod repudiat Heins. ad Ovid. Her. V, 125.

12. *Quam vocant Avellanam.* E vestigiis plurium MSS, in quibus *quæ vocatur alva*, *alna* vel *alana* scribitur, Scaliger legendum putavit *quæ vocatur et calva*, vel *quæ vocatur Albana*. Albana vero nux secundum Glossas Isidori est Prænestina, quæ et Avellana, auctore Macrobio, Sat. II, 14, atque ex arbore est, quæ dicitur corylos. Hanc autem nucem Græci Ponticam vocant. De calvis et Avellanis nucibus pluribus agit Salmas. ad Solin. p. 424.

13. *Flore purpureo.* Scaliger συνίζησιν agnoscit in *purpureo*, ut *villo spectabilis aureo*; id tamen durum putat Burmannus, ideoque mavult *flore purpuræ fulgens*.

14. *Non brassicarum ferre.* Dedi hunc versum ex emendatione Burmanni, quæ mihi omnium facillima, et vetustis Msptis bene insistere visa est. Nam in scriptis et editis corruptissimus exstat. Ipse Burmannus cum Scaligero edidit: « Non brassicæ fero gulosior caules ». Sic pariter in utraque Aldina, Scioppii, aliisque. Vetustæ Vicent. Brix. et Ven. habebant « Non brassicarum fero gulosior caules », Mediceus pr. duo Heinsii, et Vossianus: « Non brassicarum fero gloriosior caules ». In primo Fabric. « Non brassicarum gloriosior ». Wittianus « Non brassicarum fero gloriosior caulæ ». In aliis « Non brassicarum ferculum prius caulis », quod interpolatum videtur Burmanno. Emendationes varias ab eodem recitatas brevitatis caussa omitto. *Caules* brassicæ inprimis tribuuntur. Colum-

Crescensve semper in suum caput porrum.
Nec seminosas ad cucurbitas quemquam,
Ad ocymumve, cucumeresve humi fusos
Venire credo, sessilesve lactucas:
Nec ut salaces nocte tollat erucas,
Menthamque olentem, cum salubribus rutis,
Acresque cæpas, alliumque fibratum.
Quæ cuncta quamvis nostro habemus in septo,
Non pauciora proximi ferunt horti,
Quibus relictis, in mihi laboratum
Locum venitis, improbissimi fures.

Hort. 129: «Frigoribus caules, et veri cymata mittit»; et v. 325: «Sed quum jam valido pinguescit lurida caule Brassica».

16. *In suum caput porrum.* De porro capitato loquitur. Colum. Hort. v. 167 (huj. t. p. 54): «Nunc capitis porri longo resoluta capillo Lætetur», sc. tellus. Auctor Moreti, v. 74 (nost. ed. tom. I, p. 628): «et capiti nomen debentia porra». Ad utrumque locum vid. not.

17. *Nec semin. ad cucurbitas. Prægnantem* cucurbitam dicit Colum. Hort. v. 380, et de seminibus ejus legendis deinceps agit.

18. *Ad ocymumve.* De ocymo, vel ozymo egimus ad Colum. Hort. v. 319. *Cucumeres humi fusos* amplius describit idem v. 378: «more chelydri Sole sub æstivo gelidas per graminis umbras Intortus cucumis».

19. *Sessilesve lactucas. Sessilesque lactucas* in utroque cod. Heinsii et Holsten. *scissilesque* in Wittiano, *fissilesque* in edit. Ven. sed perperam: nam sic *sessiles lactucæ* etiam Martial. III, 46, 8: «Illic videres frutice nobili caules, Et utrumque porrum, sessilesque lactucas». Ab eodem *lactuca sedens* vocatur lib. X, 48, 9.

20. *Ut salaces nocte tollat erucas.* Martialis loco jam citato vs. 10: «Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax». *Herba salax* est eruca, quomodo et Ovid. Art. Am. II, 422. *Libidinosæ erucæ* in Priap. ep. 48. Alia vide adnotata ad Columell. Hort. 109. Quæ Martiali est *mentha ructatrix*, eam *olentem* Noster vocat.

22. *Alliumque fibratum.* Sic verissime emendavit Scaliger, nam in MSS et edd. vetustis exstabat *furatum*. Moretum v. 88: «cum spissis allia fibris»; et Colum. Hort. 112: «jam teneris frondens lactucula fibris, Alliaque infractis spicis». — Idem, v. 187, de lactuca: «Candida fibrato discrimine, candida thyrso est». Sed quia exstabat olim *furatum*, quidam legunt *furatum*, quum manifeste *fibratum* legendum esset. Veteres editiones suffragantur: habent enim: «alliumque phullatum», quod scriptum fuisset *phibratum*. Ed.

26. *Locum venitis.* In codice Holsteniano *Hortum* pro *locum*.

Nimirum apertam convolatis ad pœnam,
Et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat.

27. *Convolatis ad pœnam.* Quidam codd. et edd. vett. *prædam.* Sed nihil frequentius in Priapeiis, quam pœnam indici furibus, atque eadem plane sententia occurrit Ep. 65 : « Furatum venit huc amore pœnæ ». — Et Epigr. 68 : « Hac pœna culpa luenda tua est ». Ed.

28. *Et vos hoc ipsum.* Syllabam in *hoc* correptam notavit Faernus ad Terent. p. 7, qui Virgilio vel Ovidio hoc epigramma male adscribit. Burm. — Poterat scribere *Et vos id ipsum.*

IV. EX IISDEM, EPIGR. XV, DE MALIS PULCHERRIMIS, AD PRIAPUM *.

Qualibus Hippomenes rapuit Schœneida pomis,
Qualibus Hesperidum nobilis hortus erat :
Qualia credibile est spatiantem rure paterno
Nausicaam pleno sæpe tulisse sinu :
Quale fuit malum, quod litera pinxit Acontî,
Qua lecta cupido pacta puella viro est :

* Sic inscripsit Rivinus in Collectione de re herbaria.

1. *Rapuit Schœneida pomis.* Atalantam dicit, Schœnei, Scyri regis, filiam, quam Hippomenes cursu superavit, pomo aureo objecto. Ovid. Met. X, vs. 575 seq. Hygin. fab. 185. Claudian. Laud. Sereni, vs. 170 : « Hippomenes trepidus cursu ferroque sequutam Aurato volucrem flexit Schœneida pomo ». Mentionem ejus faciunt quoque Ovid. Her. XXI, 123; Virg. Eleg. ad Mess. v. 25. *Rapuit*, quod omnes codd. et edd. vetustæ servant, expono *movit, ad se convertit*, et *a cursu vi quasi abstraxit.* Claudianus *flexit.* Ovid. Am. II, 19, 19 : « Tu quoque, quæ nostros rapuisti nuper ocellos ».

4. *Nausicaam pleno.* Nausicaa Alcinoi, Phæacum regis, cujus hortos laudat Homerus, et Aretes filia. De hac etiam Martial. XII, 31 : « Si mihi Nausicae patrios concederet hortos, Alcinoo possem dicere, malo meos ».

5. *Quod litera pinxit Aconti.* Fabula de pomo, quo inscripto et in sinum Cydippes conjecto Acontius eam jurare fecit, sibi nupturam, exposita ab Ovidio est duabus epistolis inter Heroid. XX et XXI. Idem, Art. Am. I, v. 457 : « Litera Cydippen, pomo perlata, fefellit : Insciaque est verbis capta puella suis ».

6. *Cupido pacta puella viro est.* Burmannus pro *pacta* forte substituendum *capta* putat, quod eo ver-

Taliacumque puer dominus florentis agelli
Imposuit mensæ, nude Priape, tuæ.

bo Acontius et Cydippe apud Ovidium sæpe utantur. Sed si hæc sufficiens ratio mutandi est, æque multa earum epistolarum loca pro lectione *paeta* militabunt, e. g. XX, 7: « Conjugium pactamque fidem, non crimina, posco »; et vs. 157: « Hæc mihi se pepigit, pater hanc tibi »; XXI, 4: « nisi, ut ipse fateris, Promissam scires me satis esse semel »; v. 185: « quod adhuc tibi pacta puella Non tua fit ».

7. *Taliaeumque puer. Talia quinque* in edit. Ald. 1534, sed *Talia cumque* in ejusd. ed. an. 1517, et in illis, quæ Aldum præcesserunt. BURM.—De more poma Priapo ufferendi conf. Hor. Epod. II, 17. ED.

V. DE MALIS MATIANIS *.

HÆC poterant celeres pretio tardare puellas,
Hæc fuerant Veneri judice danda Phryge.
Nam sic ingenuo flavescunt mala colore,
Ut superent auro vera metalla suo.

* Exstat apud Pithœum, lib. IV, 150, et Scalig. lib. II Catalect. p. 251, qui inscribunt *de Malis Matianis*, ut in schedis Salmas. *Mala Matiana* videntur in proverbium abiisse, pro egregiis et delicatis; eaque Romæ venalia maximo in honore fuisse, advecta e quodam pago, in Alpibus sito prope Aquileiam, testatur Athenæus lib. III, cap. 7. Et hinc memorantur Veteribus non semel, ut Columellæ libro V, cap. 10, 19, et Macrob. lib. II, cap. 15, ubi de diversis malorum et pirorum generibus agit; eaque a *Caio* vel *Cneo Matio* nomen habere indicat Plinius lib. XV, cap. 14; quem ex equestri ordine, Augusti amicum, et arborum serendarum studiosissimum fuisse tradit lib. XII, cap. 2. BURM. qui hoc et tria sequentia epigr. recenset Antholog. Lat. lib. III, epigr. 208-211. De *Caio Matio* rei rusticæ scriptore, et mali Matiani inventore, agit Wernsd. (hujus editionis t. III, p. 476. ED.)

1. *Celerem puellam* malebat Heinsius, et probat Burm. ut Atalantam (non Hippomenen, ut ille) innuat. Vide supra carm. IV, 1.

2. *Judice Phryge*, in judicio Paridis Phrygis.

3. *Ingenio* pro *ingenuo* in codice Voss. ut in schedis Salmas. perperam.

4. *Vera metalla*. Metallum sæpe simpliciter pro auro. Val. Flacc. V, 231: « vellera... ardenti quercum complexa metallo ». De horto Hesperidum Lucan. IX, 364: « Robora..... rutilo curvata metallo ». Calpurn. IV, 140: « Et date perpetuo cælestia fila metallo ».

VI. DE MALIS MATIANIS.

LAUS.

His constat Veneri prælatæ gratia formæ,
Hæc moriente sacrum perdidit angue nemus.

1. *His constat Veneri.* His malis, vel ejusmodi malis, a Paride traditis, Veneri constitit, testatum, certum factum est, formæ ejus reliquis prælatæ summam gratiam esse. — *Gratia formæ.* Eleganter, ut apud Maximian. Eleg. II, 32: « Nec veteris formæ gratia tota perit ». Et sic in epigr. Petron. quod inter ejus fragmenta legitur, p. 113, ed. Patiss. « Condit enim formam quidquid consumitur artis, Et, nisi velle subest, gratia tota perit ». Et adposite *forma* tribuitur Veneri, quemadmodum in Epitaphio Homonœæ, vs. 5: « Cui formam Paphie, Charites tribuere decorem »; ubi eleganter distinguitur *forma*, seu pulchritudo naturalis, a Venere Homonœæ data, et *decor*, i. e. venustas ac gratia, munus Charitum, quæ formam perficit et amabilem reddit. Hæc autem una in Venere cumulari exprimere videtur *gratia formæ*. Ed.

2. *Hæc moriente sacrum.* Talia fuerunt mala, quæ nemus vel hortus Hesperidum amisit, ab Hercule ablata, angue ejus custode interfecto. Breviter hanc fabulam poetarum narrat Lucanus lib. IX, vs. 357 seqq.

VII. ALITER.

VITUPERATIO.

His contempta Deum genuit discordia mensa,

1. *His contempta Deum.* Versus obscurus, et fortasse corruptus. In schedis Salmas. Burmannus lectum esse dicit *tenuit discordia mensam.* Qua e lectione, si Discordia majore litera scribatur pro nomine Deæ Eridis, hic sensus erui potest: *His* malis projectis *Discordia*, licet *contempta* a Diis, nec ad epulum admissa, tamen *Deûm mensam tenuit*, occupavit et turbavit. Oudendorpius conjiciebat *Deûm genuit*, quo nihil effici video ad sensum. Sed vulgata lectio explicari posse videtur, si *discordia* pro neutro plurali nominis *discordium* accipiatur, hac sententia: *His* pomis in medium projectis ab Eride, *mensa Deum contempta*, epulum Deorum, quod se contemnere præ pomis istis a se missis ostendebat, *genuit discordia*, lites et contentiones inter Deas concitavit. *Discordium* pro discordia cadente latinitate usitatum fuisse, demonstravi ad Calp. Ecl. I, vs. 56: « Publica diffudit tacito discordia ferro », Excursu II ad Calpurn. (huj. op. t. I, part. 2, pag. 409 seqq. Ed.) Fabulam de Eridis pomo narrat Hyginus fab. 92.

Prodidit atque urbem his Briseida suam.

2. *Urbem his Briseida suam.* Nota hanc vocem duabus primis correptis syllabis, tertia producta : et in primo casu *Briseida* pro Briseis, ut *Chalcida* pro Chalcis, quæ sequioris ætatis indicia sunt. Vide Munckeri notas ad Hygin. fab. 184. Sic *Gorgona*, *Amazona*, et similia. Burm. — *Urbem* intelligit auctor Lyrnessum, patriam Briseidis quam evertit Achilles Briseide abducta. Sed pomo proditam a Briseide, a quo scriptore vetere memoretur, nondum, quærens licet, inveni. Et prudenter de eo tacuit Burmannus.

VIII. ALCIMI.

DE DONIS A LESBIA MISSIS *.

Lux mea puniceum misit mihi Lesbia malum,
Jam sordent animo cætera poma meo.
Sordent velleribus hirsuta Cydonia canis,
Sordent hirsutæ munera castaneæ.
Nolo nuces, Amarylli, tuas, nec cerea pruna :
Rusticus hæc Corydon munera magna putet.

* Et sic in epigr. Anthol. Lat. III, 207, De dono ab amica misso, quod hic comparationis caussa subjicere placet. « Aurea mala mihi, dulcis mea Marcia, mittis, Mittis et hirsutæ munera castaneæ. Omnia grata putem; sed, si magis ipsa venires, Ornares donum, pulchra puella, tuum. Tu licet adportes stringentia mala palatum : Tristia mandenti est melleus ore sapor. At si dissimulas multum mihi cara venire, Oscula cum pomis mitte, vorabo libens ». Ed.

1. *Lux mea puniceum. Alcimi* vel *Alcinoi* nomen huic epigrammati, certe non ineleganti, inscribitur a nonnullis, et inter Petroniana Catalecta relatum est in edit. Patisson. pag. 164, et in edit. J. P. Lotich. p. 88. Sub titulo *Alcimi* etiam edidit Binetus p. 10, et Frellon. p. 227. Burm.

3. *Velleribus hirsuta Cydonia canis.* Expressit e Virg. Ecl. II, 51 : « cana legam tenera lanugine mala ». Calpurn. II, 91 : « Cerea sub tenui lucere Cydonia lana », i. e. lanugine, quæ hic *vellera*. Conf. Pallad. de Insit. v. 65.

4. *Hirsutæ munera castaneæ.* Sic dicuntur Virg. Ecl. VII, 53. Vid. Pallad. v. 67.

6. *Rusticus hæc Corydon munera magna putet.* Respicit illa Virgilii, Ecl. II, 52 : « Ipse ego cana legam tenera lanugine mala, Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis

Horreo sanguineo male mora rubentia succo,
Heu! grave funesti crimen amoris habent!
Misit dente levi paullum libata placentæ
Munera, de labris dulcia mella suis.
Nescio quid plus melle sapit, quod contigit ipsa,
Spirans Cecropium dulcis odore thymum.

amabat; Addam cerea pruna, et bonos erit huic quoque pomo».

7. *Sanguineo male mora rubentia succo. Sanguineo cruore* dicit Colum. vs. 402. Et Pentadius, Eleg. de fortuna, vs. 9: «Sanguine poma rubent tristi nece tincta repente». Vide notata ad utrumque locum.

12. *Cecropium dulcis odore thymum.* Burmannus inficetum hunc versiculum putat, ubi, quo illud *dulcis* referas, non adpareat. Ergo corrigit *Spirans Cecropium dulcius ore thymum*, vel *Cecropio dulcius*, ut Galatea Corydoni erat «thymo dulcior Hyblæ» apud Virgil. Ecl. VII, 37. Similiter Statius, Silv. II, 1, 48: «blandis ubinam ora arguta querelis, Osculaque impliciti vernos redolentia flores». Ego non refragor, quominus sic legatur. Sed vide an scribendum sit *dentis odore*, quia præcessit *dente levi libata*. Cecropius favus, ros, mel, thymum, frequentia admodum poetis pro dulcedine loquelæ, et suavitate oris. Martial. VII, 68: «Cujus Cecropio pectora rore madent».

IX. TRIA EPIGRAMMATA DE CITRIO *.

1.

Septa micant spinis felicis munera mali,

* *De Citrio.* Hæc tria epigrammata suppeditarunt codex Salmas. Leidensis, et Divionensis. Duo priora protulit Salmas. ad Solin. tom. II, pag. 956 edit. Paris. (et pag. 671 edit. Traj.) ubi multa de malis citreis: et ex illo primum adfert Emmenes. ad Virg. Georg. II, 126. Burm. qui hæc epigrammata repetiit Anth. Lat. lib. V, 184-186.

1. *Septa micant spinis.* Sic in cod. Salmas. *Lapsa* in schedis Divion. in quibus etiam *felicis munera mali*, quod rectum est, atque etiam a Salmasio ad Solin. l. c. receptum. Burmannus *tempora*, quod est reliquorum codd. edidit. Citrium esse, quod alias malum Medicum, confessa fere inter eruditos res est. *Septa spinis* dicuntur, quod spinæ multæ et acutæ et robustæ in citreo malo, ut ait Salmas. p. 672. *Felix* malum etiam a Marone, Georg. II, 127 dicitur Medicum: quod quidem (verba hæc sunt Heynii ad eum locum) de arbore si dicitur, ad fecunditatem proprie respicit. Et sane citri fetus perpetua successione succrescunt. Nunc tamen ad salubritatem potius epitheton spe-

Quæ tulit ut Circi aureus ora tumor.
Hippomenes tali vicit certamina malo,
Talia poma nemus protulit Hesperidum.

ctare videtur, ut contra infelix, infaustum, est, quod nocet. Pro veneni antidoto habitum esse pomum Medicum, etiam exTheophrasto, Dioscoride, Plinio, constat; nec forte injuria, in certis saltem venenorum generibus.

2. *Ut Circi aureus ora tumor.* In cod. Salmas. vitiose scriptum erat *aureus orat umor.* Explicat Salmasius, p. 671: Ut circi ora vel ambitus est, ita tumor aureus in citro. Circi ambitum ovata, non orbiculata facie fuisse, qualis et citrei forma est, norunt eruditi. Nihil tamen Salmasius de sensu verbi *tulit*, quod mihi difficile intellectu est: nisi accipere velis pro extulit in fastigium, vel extendit, quia ovata ejus forma.

3. *Vicit certamina malo.* Emmenes. ad Virg. Georg. II, 126, male dedit *certamine.* De Hippomene diximus supr. ad carm. IV, 1, p. 131.

4. *Nemus protulit Hesperidum.* Athenæo teste lib. III, p. 83, Juba docuit, quod apud Libyes vocetur Hesperidum, malum citri esse, atque ejus arboris mala inde ab Hercule in Græciam translata, aureaque vocata esse ob coloris speciem. Atque, ut aliunde constat, arbor citri maxime in monte Atlantico vicinaque Mauritania nascitur, qua in regione etiam horti Hesperidum ponuntur. Vid. Virg. Æn. IV, 480 seqq. Plin. V, s. 1, et XIII, 15, s. 29; Martial. XII, 66, 6, XIV, 89, et quæ notavimus ad Petron. Bell. civ. 28, nost. ed. t. II, p. 93. Ed.

ALITER.

2.

Stat similis auro Citri mirabilis arbor,
Omnibus Autumni anteferenda bonis.
Hæc ornant mensas, hæc præstant poma medelam,
Quum quatit incurvos tussis anhela senes.

3. *Hæc præstant poma medelam.* Plinius, XXIII, 6, s. 56: « Citrea contra venenum in vino bibuntur, vel ipsa, vel semen. Faciunt oris suavitatem, decocto eorum colluti, aut succo expresso ». Idem eleganti carmine Virgil. Georg. II, 127: « Felicis mali, quo non præsentius ullum, Pocula si quando sævæ infecere novercæ, Auxilium venit, ac membris agit atra venena ».

4. *Quum quatit incurvos tussis anhela senes.* Hanc etiam mali Medici salubritatem adtingit Maro l. cit. vs. 135: « animas et olentia Medi Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis ». — Hic vs. expressus videtur e Virg. Georg. III, 496. Ed.

ALITER.

3.

OMNE genus mali dignum est adsurgere citro,
Vis cui multa subest corticis, et medii.
Unumquemque suum referunt pomuscula succum,
Ternus ab hoc semper carpitur ore sapor.

2. *Medii*, i. e. medullæ. ED.

4. *Ternus ab hoc semper.* Videtur respicere locum Virgilii, Georg. II, 126: « Media fert tristes succos, tardumque saporem Felicis mali ». Nam per *tristes succos* videtur amaritudinem, quæ præcipue in cortice et granis est, intelligere, et per *tardum saporem* diu inhærentem palato. Posses hic e Virgilio legere *Tardus ab hoc semper*, pro *Ternus*, nisi auctor superius *vim corticis* et *medii* distingueret. Unde, *ternum* pronuntians saporem citri, videtur præter corticem amarum, in medio diversam granorum a cortice amaritudinem, et carnis vel medullæ dulcorem acrimoniæ mixtum statuere. Nisi hoc respexit auctor, quod Palladius, IV, 10, 17, docet, posse mali citrei, quod medium est, cura dulce fieri: « Feruntur, inquit, acres medullas mutare dulcibus, si per triduum aqua mulsa semina ponenda macerentur, vel ovillo lacte, quod præstat ».

X. DE VITA TRANQUILLA.

PARVULA securo tegitur mihi culmine sedes.
Uvaque plena mero fecunda pendet ab ulmo.

* Habet Pith. lib. I, p. 35; Scalig. lib. I Catalect. p. 193, qui in schedis suis ex antiquo codice descripserat, et Petronii esse notaverat. Edidit etiam H. Stephanus in Virt. Encom. p. 172; Christius Excurs. ad Villat. p. 271; Burman. Antholog. Lat. lib. III, epigr. 61. Inscriptionem *de vita tranquilla* dedi huic epigrammati, quam Pithœus toti classi.

1. *Securo tegitur mihi culmine*, sub quo satis munito adversus tempestates securo mihi vitam agere licet. In Priap. carm. 86: « Villulamque palustrem Tectam vimine junceo, caricisque maniplis ».

2. *Fecunda pendet ab ulmo.* Burmannus forte legendum putat *feta dependet ab ulmo*, ut apud Nemesian. Ecl. IV (Calpurn. XI), v. 48: « hic et ab ulmis Purpureæ fetis dependent vitibus uvæ ». Sed *fecunda* totidem locis confirmari potest. In Vomani Hort. v. 15: « Fecunda vitis conjuges ulmos gravat ».

Dant rami cerasos, dant mala rubentia silvæ,
Palladiumque nemus pingui se vertice frangit.
Jam qua deductos potat levis area fontes,
Corycium mihi surgit olus, malvæque supinæ,
Et non sollicitos missura papavera somnos.
Si vero alitibus fraudem contexere præter,
Seu magis imbelles libuit circumdare cervos,

4. *Palladiumque nemus*, arbor oleæ, *pingui vertice*, densis confertisque baccis onusto, *se frangit*, inflectit se et gravat. Illustravi hunc versum supra, comparans cum illo Palladii, 59: « Nunc teretem pingui producit acumine malum »; qui videndus. Sic etiam Colum. Hort. v. 393, « cucumerem pingui semine fartum » dicit.

5. *Jam qua deductos*. De usu hujus verbi jam egi ad Vomani v. 10. Vid. præterea not. ad Moret. v. 71. Calpurn. II, 49: « irriguo perfunditur area fonte, Et satiatur aqua ».

6. *Corycium mihi surgit olus*, i. e. cultum educatumque more illius senis Corycii, e Coryco oppido Ciliciæ oriundi, quem a singulari cura rei hortensis laudat Virgil. Georg. IV, 127 seqq. quem locum plane respexit Noster. Quamquam hic *Corycium senem* ita videtur accepisse, quasi ille patriæ suæ, olerum cultu insignis, more et opibus adductus, rei hortensi præcipue studuisset. Nam *Corycium olus* ita sonat, ut alias *Corycius crocus* solet celebrari. Horat. Serm II, 4, 68; Lucan. IX, 809. Sic Martiali, VIII, 14, *Cilicum pomaria* dicuntur ad morem Ciliciæ culta et adornata.

7. *Missura papavera somnos*. Usitatius dixisset *factura somnos*, quemadmodum Ovid. Metam. VII, 153: « Verbaque ter dixit, placidos facientia somnos ». Sed fortasse, ut *somnia mitti* dicuntur (vid. carm. Petron. a nobis prolatum t. III, pag. 297, v. 2. Ed.), hic etiam *somnos* voluit. Colum. Hort. 104: « profusos vinctura papavera somnos ».

8. *Si vero alitibus fraudem*. Scaliger et Pithœus ediderunt *contexere præterea*, adposito asterisco, ad indicium mendosæ lectionis. In margine primæ editionis Scaligeranæ *opertam*, unde id utrinsque Pithœanæ editionis marginem etiam occupavit: quod probat Christius ad Villaticum, p. 271, et ita *Pelletier* in Comite Rustico, pag. 208, qui edidit sub nomine Pentadii. Burm. — Nolo repetere conjecturas eruditorum, quas Burmannus pro emendatione mendosæ lectionis *præterea* factas narrat. Ego non tam voce ista *præterea* offendor, quam aliis sequentium versuum nævis. Vere enim *præter* ab auctore scriptum fuisse puto, idque adverbium, pro *præterea* positum, quia rarius occurrit, librarii *præterea*, quod notius erat, scripserunt. Scribo igitur: « Si vero alitibus fraudem contexere præter », quemadmodum eadem de re in epitaphio venatoris alicujus, quod apud Pith. lib. III, pag. 131, et Burmann. Anth. IV, p. 236, exstat, legitur: « Aucupium

Aut tereti lino pavidum subducere piscem :
Hos tantum novere dolos mea sordida rura.
I nunc, et vitæ fugientis tempora vende
Divitibus cœnis! me, si manet exitus, idem
Hic, precor, inveniar, consumptaque tempora poscar.

calamo præter studiosus agebat ». Quia vero secundo versu ad *circumdare cervos* requiri videtur adpositum aliquod, *lineis*, *retibus*, aut quod tertio versu occurrit, *lino*, hoc insereudum videtur pro *libuit*, idque transferendum in tertium versum, ubi *lino* exstat, *tereti* mutato in *reti*, hoc modo : « Si vero alitibus fraudem contexere præter, Seu magis imbelles lino circumdare cervos, Aut reti libuit pavidum subducere piscem ». Parum distat hæc emendatio ab ea, quam Burmannus dedit.

11. *Mea sordida rura*, ad imitationem Virgilii, Ecl. II, 28 : « O tantum libeat mecum tibi sordida rura, Atque humiles habitare casas ». Et sic *sordida otia*, *sordida rura* Martiali, quod recte de agresti et rustica simplicitate, respectu lautitiarum urbanarum, dici notat Barth. Adv. XXV, 17. Burm. — Idem observavimus nos ad Vestritii Spur. verba, II, 6 : « Sordida quum quies, Lautis nuda tumultibus, Ambit se patria fertilis in domo ».

12. *I nunc, et vitæ fugientis.* Sic bene edidit Pithœus, quod firmat Vossianus codex, nisi quod in eo *fugiendis*. Vide Tollium ad Auson. Mosell. vs. 48. Vitiose enim edidit Scaliger *In e et vitæ fugiendis*, quod ex schedis ejus derivatum est, pro quo in margine primæ ejus edit. Gallicanæ *Sinceræ vitæ* notatum est; quod male probat Christius in Villat. p. 272. Burm. — *Vitæ tempora vende Divitibus cœnis*, h. e. magno temporis, et vitæ fugientis, impendio cœnas tibi lautiores para, vel tempora vitæ consume et disperde cœnis lautis et luxuriosis parandis et frequentandis. Tale est Petronii Bell. civ. vs. 35 : « Lucrinis Eruta litoribus vendunt conchylia cœnas ».

14. *Hic precor inveniar, consumptaque tempora poscar.* Ita distinxit Pithœus : et sic fere Scaliger, nisi quod *inveniat*, exitus nempe, in utraque ejus editione, et schedis MSS. In Voss. cod. *inveniat* et *poscat*. Opitius distinguebat « me, si manet exitus, idem Hic precor inveniar » ; et sic Oudendorp. Burm. — Præfero lectionem *inveniar* et *poscar* : nam *exitus me inveniat* mihi quidem inepte dici videtur. Admitto tamen Opitii distinctionem : *si* quando *me manet exitus*, *precor*, ut tum *idem*, qui adhuc vixi, et eumdem vitæ frugalis et placidæ tenorem *hic*, hoc in tuguriolo meo, ad extremum servasse *inveniar*, *et* sic *consumpta tempora* finire (fatis concedere, spiritum reddere) *poscar*. Respondere huic voto videntur, quæ Claudian. Epigr. 2, de sene Veronensi cecinit : « Felix, qui patriis ævum transegit in agris, Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem, etc. » ubi idem sibi fere argumentum proponit.

XI. ITEM *.

Est mihi rus parvum, fenus sine crimine parvum,
  Sed facit hæc nobis utraque magna quies.
Pacem animus nulla trepidus formidine servans
  Non timet ignavæ crimina desidiæ.
Castra alios operosa vocent, sellæque curules,
  Et quidquid vana gaudia mente movet.
Pars ego sim plebis, nullo conspectus honore,
  Dum vivam dominus temporis ipse mei.

* *De vita tranquilla* ioscripsit Pith. lib. I, pag. 32, et Scalig. in Catalect. lib. I, pag. 190. *De bono vitæ humilioris* vetus Vossii codex, et schedæ MSS Scaligeri. Edidit etiam Christius in Excurso ad Villat. pag. 265. Burmannus profert Anth. lib. III, epigr. 60.

1. *Est mihi rus parvum*, nt apod Martial. IX, 19: « Est mihi, sitque precor longum, te præside, Cæsar, Rus minimum, parvi sunt et in urbe lares ». Stat. Silv. IV, 5, 1: « Parvi bestus ruris honoribus ». — *Fenus parvum* est parva pecuniæ summa, in fenore posita. — Vid. tom. V, huj. edit. p. 523. Ed.

4. *Non timet ignnvæ criminn desidiæ*. Loca similia, hanc sententiam illostraotia adduximus ad Spurinnæ III, 8: « Ni te desidia sancta qoies levet, etc. »

5. *Sellæque curules*. Corrupta est lectio, quæ io textu editionis Scalig. et Pith. excusa est, atque adeo in Vossiano cod. et schedis Scaligeri habetur, *sillæque rurales:* sed rectior, quam hic damus, io margioe primæ editionis Scaligeranæ et Pith. adposita est, eademque Heinsio et Christio probata.

6. *Vana gaudia mente movet*. Heinsius eioendavit *fovet*, idque Bormanous adprobans tribus poetarum locis firmat. Sed *fovere gaudia* dicontur hooines, hic subjectom est *quidquid*, quod certe *movere* gaudia potest, ooo *fovere*.

7. *Conspectus honore*, i. e. insignis, clarus, nobilis. Ovid. Metam. XIII, 794: « Nobilior pomis, platano conspectior alta ».

8. *Dum vivam dominus*. Commode hoc illustrat Burmannus loco Ausonii, Epist. X, vs. 31: « Dulcia secreti repetaotur ut otia ruris, Nugis aoiica et seriis, Tempora disponas ubi tu tua, jusque tuum sit, Ut nil agas, vel quod voles »; ubi vulgo *Nugis amœna* sioe sensu. Ed. — Similia plane leguotur apud Senec. in Thyest. v. 391 seqq.

POETÆ LATINI MINORES

TOMI SEPTIMI,

QUI WERNSDORFII SEXTUS,

CARMINA

DE RE HORTENSI ET VILLATICA

ITEM

AMATORIA ET LUDICRA

COMPLECTENTIS

PARS POSTERIOR

CARMINA QUÆ HAC POSTERIORI PARTE CONTINENTUR:

DE

MAXIMIANO ETRUSCO

EJUSQUE AC CÆTERIS

QUÆ HAC PARTE PROPONUNTUR CARMINIBUS.

In classe hac Amatoriorum et Ludicrorum carminum componenda sequor fere aliorum, qui ante me talia ediderunt, exemplum, atque iis me carminibus contineo, quæ dudum sic conjuncta exhibuerunt tum editores quidam Operum Ovidii, pseudepigrapha nonnulla Amatoriis ejus adnectentes, tum in primis M. H. Goldastus, qui inter Erotica et Amatoria Opuscula Ovidii, Francofurti an. 1610 edita, *Maximiani Amores*, *Ofilii Sergiani Pulicem*, *Albi Ovidii Juventini* et *Julii Sperati Philomelam* una serie proposuit. Quæ ab eo porro subjunguntur opuscula, Pamphili Mauriliani de Arte amandi, et Pseudo-Ovidii de Vetula, merito abs me rejecta sunt, ut infimæ sordidæque ætatis deliramenta. Nec ignoro, multa aliunde abs me colligi potuisse, melioris etiam ætatis, carmina, ob lascivius argumentum hunc in censum referenda, cujus generis poematiis nemo nescit abundare Romanam antiquitatem; sed ea quum alios editores habuerunt non indiligentes, tum non videbantur esse ejusmodi, quibus recensendis vel ornamentum quærere operi meo, vel occupare hoc ætatis meæ deberem. Adquievi igitur in iis carminibus, quæ supra memoravi, quæque, ab aliis jam tradita, servari utcumque mea collectione, et correctius edi merebantur. Addidi tamen *Cælii Symposii Ænigmata*, opus ingeniosum, et lusuum ingenuorum farra-

ginem non illepidam exhibens, quod quia jam dudum a P. Pithœo in veterum poematiorum Syllogen receptum est, et plurium eruditorum singulare studium meruit, nec nostra collectione et opera indignum haberi poterat. Sed nunc ad eorum carminum auctores nos convertamus.

Maximianus Etruscus, quia jam pluribus a sæculis falso Cornelii Galli, antiqui et celebris poetæ, nomine insignitus est, hoc ipso quasi obtectus et obscuratus ita delituit, ut, quis homo, quave ætate fuisset, nemo vel sciret, vel valde anquireret; sed postquam fraude magis patefacta vero nomini suo restitutus est, diligentius de eo quæri cœpit, et exstiterunt docti viri, qui, quantum distaret a Cornelio Gallo, et quis qualisque fuerit hic poeta, accuratius ostenderent. Primus hac opera defunctus est M. H. Goldastus in Epistola dedicatoria, Ovidii Eroticis et Amatoriis Opusculis, Francofurti an. 1610 editis, præmissa: multa de Maximiano tradidit Bern. Moneta in Menagianis, tertiæ editionis Paris. 1715 tomo I, pag. 336 seqq. nec pauca de eo protulit Abb. Souchayus, ubi vitam Corn. Galli exposuit, in Dissertatt. Academiæ Regiæ Inscriptionum et literarum elegantiorum, (*Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, etc.) tomo XVI, anni 1751. Omnium vero diligentiam superavit Justus *Fontanini*, qui Historiæ literar. Aquilei. (editæ Romæ 1742, in-4) libro I, cap. III, postquam de Cornelio Gallo Forojuliensi digna quæque notatu persequutus est, de Elegiis illi suppositis Maximiani, hujusque gente, ætate et rebus gestis luculente et copiose egit. Jo. Albertum Fabricium in Bibl. Lat. libr. I, cap. XIV, de Corn. Gallo et Maximiano agentem, vix nominare opus est rei literariæ peritis. His auctoribus in consilium adhibitis accurate nunc omnia exponemus, quibus et rerum Maximiani notitia, et de ejus Elegiis judicium adjuvetur.

Atque ut de nomine Maximiani incipiamus, Goldastus quidem hunc auctorem inter Ovidii Erotica opuscula, e novi Critici, ut ipse ait, sententia *Cornelium Maximianum*

Gallum Etruscum proscribendum putavit; sed certum est, quum in pluribus manuscriptis libris, quos eruditi nonnulli se adfirmant inspexisse, tum in vetustissimis et primis exemplaribus impressis solum nomen *Maximiani* prostare (1). Accedit auctoritas Cassiodori, epistolam Theodorici Regis ad Maximianum datam, Variar. lib. I, 21, exhibentis, tum aliorum medii ævi scriptorum, qui Maximianum adlegantes, solo hoc ejus nomine utuntur. Et fortasse, qui Cornelium Maximianum inscribendum censuerunt editores, nullum ineptius ei nomen tribuere potuerunt, quam Cornelii, siquidem, ut Reinesius, Epist. LXXIX ad Daumium, p. 203, observavit, Maximiani in lapidibus leguntur gentilia nomina habere *Acilii*, *Arrii*, *Aurelii*, *Barbii*, *Cerellii*, *Fabii*, *Ingenui*, *Publicii*, nusquam Cornelii. Broukhusius quidem *Longinum Maximianum* aliquoties in notis ad Tibull. et Propertium citat; sed unde hoc habuerit, et qua auctoritate dixerit, neque ipse indicavit, neque ego adhuc, studiose licet quærens, indagare potui (2). Idem Fontaninus, Histor. liter. Aquilei. lib. I, cap. III, p. 51, se nescire fatetur; hoc unum se scire ait, in codice Neapolitano Vallettæ A. D. 1400 exarato *L. Maximianum* dici, nota prænominis addita, quæ *Lucium*, non *Longinum*, designat (3). Si qui vero Cornelii

(1) Theod. Pulmannus in edit. Catulli Tib. Prop. Antverpiensi 1569, et Gryphiana 1573, ad principium Elegiarum Maxim. in margine adnotat, veteris libri inscriptionem habere *Maximiani liber.* Delrius in comment. ad Senecæ Hippol. p. 93, testatur, in tribus codicibus MSS auctorem Maximianum inscriptum se reperisse; et Goldastus in præf. ad Ovid. Erot. pag. 13, quinque codices Msptos sic habere memorat. In bibliotheca Heinsiana, part. II, p. 121, Maximiani poetæ quædam cum Boetii Consolatinue conjuncta tenet codex MS membran. Exemplarium impressorum inscriptiones infra adducemus.

(2) Broukhusium seqûutus *Longinum Maximianum* vocat Marklandus, Epist. Crit. ad Franc. *Hare*, p. 34.

(3) Jacobus *Magni* aliquo loco Sophologii videtur *Maximianum Julium* citare. Nam lib. II, cap. 2, *quomodo natura cupit virtutes*, scribit : « Teste Maximiano Julio virtus auro pretiosior est : nec putrescit, sed in

Galli et Maximiani nomina in Elegiarum inscriptionibus conjuncta adprobarunt, id fortasse ea caussa fecerunt, quod sic titulum, quem Pomponius Gauricus corruptæ ab se editioni præposuisset, cum eo, qui in vetustioribus inveniretur, Maximiani, commode conciliari et combinari arbitrarentur; vel quod revera putarent, Gauricum in libro suo conjuncta Cornelii Maximiani Galli nomina invenisse, solum Maximiani, fraudis tegendæ caussa, suppressisse (1).

Sed ipse Pomponius Gauricus (2), qui has Maximiani Elegias sub titulo *Cornelii Galli Fragmenta* Venetiis an. 1501 fraudulenter edidit, nullum mangonii sui prætextum ab auctoritate alicujus codicis manuscripti petit, sed cur Cornelio Gallo tribuerit, alias plane rationes in præfixa Cornelii Galli vita adfert: « Ejus scripta, inquit, penitus interciderunt, præter hunc libellum, quem paullo ante mortem in Ægypto visus est perscripsisse. Nam quum ibi

adversis creseit ipsa virtus». Sed ita legitur in vetustissimo exemplari, in Biblioth. Ducali Guelferb. servato, quod multis mendis scatet. Unde et hic mendum latere suspicor, et pro *Julio* legendum esse *fulvo virtus auro*, quomodo exstat in versu Maximiani, quem Jacobus respexit, Eleg. I, 19: «Quin etiam virtus fulvo pretiosior auro, etc. »

(1) Sic Aldus Manutius in præfatiuncula ad Elegiam Asinii Cornelii Galli adfirmat, librum se scriptum habere, in quo Elegiæ istæ *Galli Maximiani* nomine legantur. Sed hic codex, si vere apud Manutium fuit, dubitare non possum, quin corruptus, et fortasse ad Gaurici exemplum correctus fuerit. Nam tot aliorum codicum, quos a se visos docti viri testantur, et quorum ipse nonnullos inspexi, nullus omnino repertus est, qui Galli nomen præferret.

(2) Pomponius Gauricus, Neapolitanus, famosi Astrologi, Lucæ Gaurici, frater, eo anno, quo Pseudo-Gallum Venetiis edidit, annum ætatis suæ XIX egit, atque una cum Rhamnusio, qui tum epigrammate adplausit Gaurico, et tribus annis eo minor fuit, Patavii studiis operam dedit. Hæc curiosius adnotavit Fontaninus l. c. pag. 54, ut juvenilem hanc fraudem et lusum duorum adolescentulorum fuisse demonstret, cujus etiam Gauricum postea pœnituisse verisimile existimat. Sed idem Fontaninus, pag. 42, Pomponium Gauricum vocat *Geophonensem*, quod nomen est oppidi prope Salernum in Sicilia citra Pharum.

Græcam quamdam puellam adamasset, nec propter ingravescentem jam ætatem ejus libidini satisfacere potuisset, materia satis opportune oblata est, ut senectutis incommoda describens, juveniles suos amores recenseret, seque suis carminibus multo melius, quam in nummo spectandum effingeret. Nam quod fuerit Etruscus, quod orator, quod poeta, quod etiam vinolentus, quod Lycorida adamarit, quod Legatus Ægypto præfuerit, hinc manifestissime colligitur. Quæ si quis diligenter animadvertat, fatebitur, hunc libellum Cornelii Galli, non alterius fuisse, ut quidam parum prudenter existimarunt ». Videmus singula momenta ex ipsis Elegiis peti, et ad veterem Cornelium Gallum adplicari, quamvis pleraque perverse et male interpretando. Luculentior quidem ratio videri ea potest, quam ab usurpato puellæ Lycoridis nomine, ex Elegia II, petit, quo sub nomine Corn. Gallus Cytheridem amasse et libris IV Amorum celebrasse ferebatur. Sed neque sola hæc Lycoris est, cujus amores Maximianus deflet, nec nomen illud, a pluribus poetis antiquis adhibitum, ad solum Cornelium Gallum referri poterat. Et qui senectutem extremam in amore lascivæ puellæ perditam queritur Maximianus, minime convenientia Amoribus Cornelii Galli scripsisse censendus est, qui senectutem invalidam haud expertus tertio et quadragesimo ætatis anno vitam finivit. Alia pervertit et torquet Gauricus, ut Corn. Gallum ex Elegiis extundat. Etruscum carmu auctorem agnoscit ex El. I, 59; V, 5, licet Cornelium Gallum gente Forojuliensem fuisse in principio fateatur, atque adeo perverse Forum Julii in Etruriam migrare facit. Legatum Ægypto præfuisse, e versu 1 Elegiæ V exsculpsit :

Missus ad Eoas legati munere partes,

sed duplici errore, vel fraude potius. Etenim Orientis partes temere interpretatur de Ægypto, quum certum sit, alias provincias Orientis nomine ab antiquis signari solere. Legati

vocabulum, quo Maximianus utitur, in significationem detorquet, quam antiquitus habuit, Legatorum Cæsaris, qui exercitus regunt, vel eorum, qui Proconsulibus in provincia regenda vicaria potestate adjuncti sunt. Quod Legati nomen ne olim quidem Cornelio Gallo proprie convenit, quandoquidem primus ab Augusto ad Ægyptum regendam non Legati, sed Præfecti Augustalis nomine missus est. Legatus Maximiano simpliciter est, qui recentiore ætate Missus dicebatur, qui mandata Principis perfert ad alios, vel ad exsequenda negotia ablegatur. Præterimus alia argumenta fraudis in oratione Gaurici observanda, quibus non contentus ille sustinuit etiam fraudem furto cumulare, et integrum distichon, quo nomen auctoris Maximiani continetur, e textu tollere, quod legitur Eleg. IV, v. 25:

> Atque aliquis, cui cæca foret bene nota voluptas;
> Cantat, cantantem Maximianus amat.

His tamen fallaciis suis Gauricus ita gavisus confisusque est, ut in subjecto Elegiaco, sibimet ipsi, et Gallo suo de inventis ejus fragmentis gratularetur:

> Et quamvis tua scripta olim, divine poeta,
> Ac versus tulerint sæcula longa tuos;
> Orbe quidem toto vivet tua, Galle, Lycoris,
> Vivet et ingenium, Galle poeta, tuum.

Testem adeo laudatoremque sui facinoris adsumpsit Jo. Baptistam Rhamnusium, qui calce libelli hæc subjungit: « Lector, quod has Corn. Galli Poetæ reliquias legeris, Pomponio Gaurico, adolescenti optimo, gratias habeto ». Ubi et ejusdem Rhamnusii epigramma adscriptum est tale:

> Si quis sensus inest, si qua est mens ulla sepultis,
> Pomponi, pietas hæc tua grata satis.
> Qui sparsos cineres proprio componis acervo,
> Qui titulum proprio restituis tumulo.
> Ipse tuo tandem Gallus nunc munere gaudet,
> Spe penitus dextra non cecidisse sua.

Memorat hæc et e prima Gaurici editione ducit Melch. Goldastus in Epist. dedicat. Ovidii Eroticis præmissa, quæ deinde ipse vidi cuncta repeti in exemplaribus editionum, quæ Pomponianam proxime insequutæ expresserunt, Parisiensis et Ascensianæ, 1503, Argentoratensis ex officina Schureriana, 1509.

Etsi omnino pauci eruditorum fuerunt, qui fuco Gaurici se induci paterentur, et Elegias serio esse Corn. Galli crederent, quæ erant Maximiani, inventi tamen nonnulli, qui non nihil concederent ei opinioni, et quodammodo mediam de auctore earum sententiam amplecterentur. Lil. Greg. Gyraldus, etsi valde detestatur eorum impudentiam, qui tralatitios et ementitos versus sub Galli poetæ nomine venditarunt, subjicit tamen : *Unam vero vel alteram ipsius Galli esse non abnuerim.* J. A. Fabricius in Bibl. Lat. opinatur, Gyraldum iis verbis forte respicere Elegiam, sub Asinii Cornelii Galli nomine ab Aldo Manutio Florentiæ editam, quæ incipit : *Non fuit Arsacidum tanti expugnare Seleucen.* Sed Moneta in Menagianis, pag. 343, contra monet, Gyraldum duo de quadraginta annis ante editionem ejus Elegiæ, nempe anno 1552, esse mortuum, atque adeo nullum ei conjecturæ locum esse. Difficile tamen est judicare, quas Elegias in animo habuerit Gyraldus, quas existimaret Gallo dignas esse. Similia fere sentit J. Cæs. Scaliger, et universe quidem Gallum auctorem denegare Elegiis istis non videtur, sed tantum de una subdubitare, in qua canitur Aquilina, quam dicit hominis esse Græcæ literaturæ ignari, et quem ratio fugerit syllabarum. (Vid. Testimonia.) Sed quum idem vitium in cæteris Elegiis observetur, non videtur Scaliger satis adtente omnes Elegias perlegisse, ut ejusdem omnes coloris esse intelligeret. Casp. Barthius pluribus locis eam sententiam profitetur, ut Galli æque ac Maximiani partes aliquas in iis Elegiis esse statuat, dicatque, esse eas, certe unam vel alteram, e Corn. Galli Elegiis a quodam Maximiano contractas et interpolatas, et in sen-

sum ipsius detortas. (Vid. Testimonia.) Quæ sententia pro vera accipi in tantum potest, ut Maximianum censeamus carmina sua pæne tota ad genium veterum poetarum, et in his forte Galli, atque ex eorum phrasibus et sententiis composuisse, quod ipsa Elegiarum lectio unumquemque facile docet. Alii porro Maximianum quidem, Gallo penitus excluso, auctorem habent, sed eum cum alio recentioreque confundunt. Th. Reinesius, Epist. LXXXI ad Daumium, pag. 207, Maximianum opinatur confinio sæculi sexti et septimi fuisse ex Abbate Monasterii S. Gregorii Romæ Episcopum Syracusanum, carissimum Gregorio M. et familiarem literatorem. Quod Reinesium sensisse magnopere indignatur Justus Fontaninus, Hist. lit. Aquil. pag. 57, et mendacissimum commentum vocat. Enimvero, inquit, hic Maximianus fuit vir sanctissimus, ita ut absque fœda calumnia illi adsignari nequeant elegiæ omnino profanæ, ineptiis et turpissimis amoribus ad nauseam refertæ, quæ dedeceant non solum Abbatem, Episcopum et virum sanctum, qui fuit idem Maximianus, sed quemcumque honestis et christianis moribus paullo deditum. Hactenus Fontaninus. Sed tantam indignationem vix meruit Reinesius, qui si Maximianum Episcopum temere auctorem Elegiarum pronuntiavit, non malignitate, sed errore et imprudentia sic fecit, quod carmina ea non accurate perlegerat. Quod si eorum argumentum recte cognitum habuisset, haud dubie fuisset futurum, ut tanti Vir judicii, quam indigna hæc auctore essent, sacris muneribus fungente, ultro perspiceret et profiteretur. Recentiori adhuc ætati Maximianum adsignat Bernardus Moneta in Additionibus ad Menagiana, tom. I, p. 338; ubi eum conjicit aliquot annis sæculo decimo, et fortasse undecimo, posteriorem fuisse, hac tantum ratione ductus, quod ante annum 1240 non reperiat ejus mentionem ab ullo scriptore factam esse. Nempe circa hunc annum Alexandrum de Villa Dei, indignatum quod Maximiani nugæ in scholis legerentur,

has expellere scripto ab se *Doctrinali puerorum* conatum esse. Sed hæc ratio definiendæ Maximiani ætatis levis admodum et inepta est, siquidem multos scriptores veteres nominare possumus, quos certo scimus antiquis temporibus floruisse, neque tamen videmus ante ævi medii aut recentiora tempora a quoquam alio scriptore citari. Neque illud plane admittere possumus, quod Moneta adfirmat, Maximiani Elegias ab Alexandro damnatas esse. Nam alium ab eo Maximianum indicari, versificatorem grammaticum, natione Gallum, qui an. 1200 vixerit, Fontaninus idoneis e testibus probavit. De quo alio loco dicemus uberius.

Sed accedimus nunc ad ætatem Maximiani Elegiographi definiendam, et potiora vitæ ejus momenta consideranda, quæ ex ejus carminibus eruere et cognoscere licebit. In Etruria natum educatumque fuisse, pluribus locis significat, ut Eleg. I, 59; V, 5 et 40 (1). Studiis exercitiisque omnibus, quibus juvenes Romæ erudiri solent, vacavit; oratoriæ ac poeticæ arti se dedit adolescens, atque in utraque palæstra, declamatoria et gymnica, exercitus pro palma certavit: Eleg. I, 9, seqq. gratia, venustate, agilitate, cantu, venatu, valetudine et corporis viribus, vigilia, temperantia; sed etiam temulentia æquales se suos dicit superasse. Casto et duro ingenio se adolescentem jactat fuisse, ut quamvis pluribus a puellis desideraretur, nullius tamen amore illigari vellet, El. I, 74 seq. Quod autem artibus et exercitiis memoratis decertavit cum aliis, id plane ostendit, vixisse eum juvenem Romæ, et multis sæculis ante duodecimum, in quod eum detrudere Bernardus Moneta in Menagianis conatur, floruisse, iis nempe temporibus, quibus Romana juventus hisce artibus etiamnum exerceri solebat. Vegetius sæculi V scriptor, libro I de Re milit. cap. 3, scribit: *sudorem cursu et campestri exercitio collectum nando*

(1) Sed quo sensu Etruria, Etruscus et Tuscus ævo Maximiani dicatur, indicavi in adnot. ad Eleg. V, 5.

juventus abluebat in Tiberi. Hoc ipsum fecisse se Maximianus, Eleg. I, v. 37, testatur : *Innabam gelidas Tiberini fluminis undas.* Urbem patriam Maximiani propius indicare tentat Fontaninus pag. 55, atque ex ipso versu ejus, quem modo adduximus, suspicatur, ortum altumque esse in Tusciæ Suburbicanæ quopiam oppido, Tiberi adjacente, puta Hortana Colonia. Sed hoc indicium admodum tenue est, idemque versus probare potest, Romam fuisse adolescentiæ ejus locum, quod clarius adfirmat versus 63, præsertim quum et caussis in foro agendis et poematibus pangendis operam se dedisse adfirmet Eleg. I, 9 seq. et 129, quod Romæ fieri solenne erat. Inde honores publicos gessisse videtur, quamquam eorum diserta mentio non fit. Sed quum Elegiæ V principio memorat, missum se aliquando in Orientem legati munere functum esse, quin eo tempore jam dignitate et honoribus domi gestis illustris fuerit, dubitari nequit. Et exstat in Cassiodori Variarum libro I, Epistola XXI a Theodorico Rege Gothorum ad Maximianum data, qua ei ratiocinia fabricarum urbis Romæ et operarum publicarum a Rege commendantur, et cujus inscriptio hæc est : THEODORICVS REX MAXIMIANO V. ILL. ET ANDREÆ V. SENATORI (1). Idem Maximianus memoratur et Viri Illustris titulo insignitur libri IV epistola XXII. Seve-

(1) Sic retulit hunc titulum Goldastus in præfatione ad Ovid. Erot. Sed in ipsis exemplis Cassiodori exstant tantum literæ V. S. de quibus Reinesius, Epist. 81, ad Daumium, p. 207, Goldastum refutans, ait : V. S. id est, *Vir Spectabilis*, nota axiomatis in Rep. proximi Illustribus et Clarissimis, auctore Constantino A. proprius Advocatorum fisci, Referendariorum, aliorumque magnis officiis impositorum titulus. Præfectum annonæ *Sabinum* V. S. vocat inscr. Rom. in Basilica Ostiensi, quam notavit Sirm. ad Ennod. VI, ep. 29. Goldastum contra defendit vel excusat Fontaninus, p. 55, atque monet, eum notas compendiarias V. S. minime exposuisse, sed retulisse verba integra Cassiodori, penes quem prostant bene multa hujusmodi exempla, ut lib. I, Epist. XIX : « Saturnino et Verbusio Viris illustribus Senatoribus »; Epist. XXII : « Marcello Viro Senatori »; Epist. XXIV : « Sabiniano Viro Senatori »; et hujusmodi alia

rino Boetio, Viro Consulari, familiariter usum esse, ex istis Elegiæ III versibus liquet:

Hic mihi magnarum scrutator maxime rerum,
Solus, Boheti, fers miseratus opem.
Nam quum me curis intentum sæpe videres,
Nec posses caussam noscere tristitiæ,
Tandem prospiciens, tali me peste teneri,
Mitibus adloquiis pandere clausa jubes.

Ex his indiciis Delrius in notis ad Senecæ Hippolytum, pag. 93, Goldastus præfat. ad Catalecta Ovidii, cum eoque Daumius epist. ad Reines. LXXX, haud temere colligunt, Maximianum nostrum σύγχρονον Theodorici Regis et Boethii fuisse. Sed quod ad familiaritatem ejus cum Boethio adtinct, dubium adversus eam Moneta in Menagianis, pag. 338, movet, quum ex variatione nominis Boethi, in exemplaribus vulgatis reperiunda, quæ ut plurimum habeant *Bobeti*, tum exinde etiam, quod verisimile non sit, viro tam docto et sapienti, et, quod hic maxime adtendendum est, etiam optimo poetæ, qualis fuerit Boethius, arctam adeo amicitiam intercedere potuisse cum miserabili versificatore, homine indocto et fatuo, qualem ipse habet Maximianum. At vero monet Goldastus, duo scriptos codices et veterem editionem Parisiensem legere *Boheti*, et, quod in vulgatis est, *Bobeti*, esse a manu Pomp. Gaurici. Atque ego adfirmare possum, in antiquissima editione Germanica, quæ ad manus est, et in duobus manuscriptis, quorum collationes habui, clare perscriptum exstare *Boeti*; neque dubium est mihi, inter plures fraudes Gaurici, quibus Maximianum auctorem tollere voluit, etiam hanc fuisse, ut nomen *Boeti* in obscurius et ignotius *Bobeti* corrumperet, eoque ætatis, qua vixisset auctor, vestigium deleret. Ad alterum quod adtinet, Boethium illum magnum philosophum et poetam

sexcenta. Ipse video in margine exemplaris mei Variarum Cassiodori notari lectionem veteris membranæ: « viro illustri et Andreæ viro Senatori ».

a Maximiano significari, ex elogio, quod illi tribuit, satis adparere arbitror: *Magnarum scrutator maxime rerum.* Eruditionis et facultatis poeticæ in Boethio et Maximiano tantum discrimen, ut quidem Moneta vult, non est, ut propterea familiaris inter eos consuetudo esse non potuerit. Neque Maximianus tam fatuus et abjectus homo, aut Boethius tam incivilis censendus est, ut posset hominem studiosum sui, a vultu adituque suo rejicere. Quin ipsum Boethium, virum gravem et doctum, quum amicitia dignatus Maximianum est, haud vanum ei testimonium perhibere existimo eruditionis et ingenii non absurdi. Quum multæ adesse caussæ potuerunt amicitiæ inter eos contrahendæ, quas hodie ignoramus, tum inprimis studiorum atque honorum gestorum similitudo, par dignitas et communis rei publicæ administratio familiaritatem inter eos conflasse videtur. Quantacumque etiam fuerit Boethii dignitas, non minorem fuisse Maximiani existimo, qui Vir Illustris apud Cassiodorum audit, et quum a Rege Theodorico in Orientem missus splendido Legati munere functus est, haud dubie plures antea honorum gradus permeavit. Legatio autem ea, Goldasto et Fontanino recte judicantibus, jussu Theodorici regis suscepta est ad Anastasium, Imperatorem Orientis. Nam Maximianus dicit El. V, 1 missum se esse ad *Eoas partes pacis nectendæ caussa*, et apud Cassiodorum Variarum libro I, epistola prima, quæ est Theodorici Regis ad Anastasium Imp. pacem et amicitiam inter utrumque imperium confirmandam offert et commendat, quæ, Goldasto recte judicante, ipsum diploma legationis, quam Maximianus obiit, esse videtur. Igitur *ad Eoas partes* notat Constantinopolim, ubi dum Maximianus legationis caussa morabatur, contigit, quod ille mox subjicit El. V, 5:

Hic me suscipiens Etruscæ gentis alumnum
Involvit patriis Graia puella dolis.

Quum se *susceptum* dicit a Graia puella, videtur Copam,

aut Copæ servientem puellam, intelligere, quæ tabernariam exercebat, et peregrinos hospitio excipiebat. Nam in πανδοχείοις et diversoriis tabernis inventas esse ejus generis feminas, quæ meretriciis artibus hospites adtraherent et irretirent, ex antiquitate satis constat (1). De eadem Copa, Eleg. IV, v. 54, videtur conqueri, eamque *lenæ* vocabulo significare, ubi sic scribit:

> Hoc etiam meminisse decet, quod serior ætas
> Intulit, et gemitus, quos mihi læta dedit.

Etsi enim hic omnes scripti et excusi libri legunt *læta* vel *leta*, vix tamen mihi videor sensum sanum et expeditum e versu isto posse eruere, nisi *lena* legam. Loquitur enim de seriore ætate sua, quam postea narraturus est insanis puellæ lenociniis succubuisse, quam propterea minime convenit *lætam* dicere. At *lena* si legatur, videmus mulierem designari, quæ eum, seriorem ætatem quum ageret, meretriciis artibus circumvenit, et puellam istam Graiam, de qua sequente Elegia loquitur, subornavit, cujus illecebris et amoribus periret. Hanc sibi vere dicit *gemitus dedisse*, hoc est, caussam sibi malorum fuisse, quibus ingemiscere necesse esset. Atque hos gemitus ipse mox insequente Elegia decantat. Magna tum temporis ganearum et lupanarium licentia Constantinopoli erat, copiosaque lenonum et lenarum familia, unde submitti et venditari libidinum mancipia poterant ad illaqueandam advenarum imprudentiam. Probari hoc e pluribus locis scriptorum illius temporis, et maxime e Procopio de ædif. Just. et Anecd. hist. potest. Sed legatio illa Maximiano a Theodorico mandata, quænam et quo tempore suscepta fuerit, paullo accuratius videtur quærendum. Nam si historicos ea de re consulimus, plures legationes legimus a Theodorico ad Orientis Imperatores missas esse, et in his alios memorari legatos, nullum Maximianum.

(1) Amplius hoc exposui (huj. edit. t. I, part. 2, pag. 615. Ed.)

Excerpta incerti auctoris, quæ Valesius Ammiano Marcell. adjunxit, memorant, victo Odoacre missum a Theodorico Festum ad Zenonem Imp. de purpura et regia dignitate sumenda : « Et mittens legationem Theodoricus Festum caput Senati ad Zenonem Imperatorem, et ab eodem sperans, vestem se induere regiam ». Idem auctor paullo post alium legationis ejus principem nominat *Faustum Nigrum*, et scribit, quum per idem tempus mors Zenonis cognita esset, et legatio nondum revertisset, Gothos sibi Theodoricum Regem confirmasse, non exspectantes jussionem novi Principis Anastasii (1). Anno demum primo aut secundo Anastasii hanc legationem revertisse, colligimus ex epistola Gelasii Papæ ad Anastasium data, qui *Faustum* et *Irenæum* legatos nominat: « Famuli vestræ pietatis, filii mei, Faustus magister, et Irenæus, Viri Illustres, atque eorum comites publica legatione fungentes, ad urbem reversi, etc. (2) ». Si Gelasius de eadem legatione, de qua auctor Excerptorum, loquitur, quod equidem credo, videtur hic e Gelasio corrigendus, ut pro *direxerat Faustum Nigrum* legatur *Faustum et Irenæum* (3). Sam. Basnagius ad hanc legationem refert epistolam Theodorici apud Cassiodorum, eamque

(1) « Theodoricus in legationem direxerat Faustum Nigrum ad Zenonem. At ubi cognita morte ejus antequam legatio reverteretur, ut ingressus est Ravennam, Gothi sibi confirmaverunt Theodoricum regem, non exspectantes jussionem novi Principis ».

(2) Adfert hæc verba Sam. *Basnage*, Annal. Polit. Eccles. tom. III, ad ann. 493, p. 584, num. III.

(3) Sic statuere, mihi probabilius videtur, quam quod Fontaninus, p. 56, opinatur, quum nomen Irenæi nusquam occurrat apud Cassiodorum, hunc fortasse fuisse multinominem, ex illius sæculi more, quem egregie explicuit Jac. Sirmondus in notis ad Sidonium, adeo ut, quemadmodum Anonymus Valesianus *Faustum Nigrum* adpellat, quem Gelasius *Faustum* adpellaverat, sic Maximianus Cassiodori fuerit Irenæus Gelasii. Ego vero hac in sententia omnium minime concoquere possum, Maximianum, si Irenæus Gelasii est, ab eo inter filios suos numerari, qui nullam adeo speciem Christianæ pietatis præbet.

adeo creditam his legatis putat, ut ad Anastasium Imper. perferretur. Idemque sentit Fontaninus, cap. III, § V, p. 56. Sed falsi esse ea in re videntur. Nam hæc legatio non ad Anastasium, sed ad Zenonem primum directa erat, sed Anastasio demum regnante revertebatur, nec omnino de pace et amicitia cum Imperatore Orientis firmanda, quod quidem epistola Theodorici vult, egit, sed tantum de concedenda sibi regia dignitate. Et fortasse eventus legationis ejus non plane ad spem et votum Theodorici responderat. Succensuisse primum Theodorico Anastasius videtur, quod regium nomen inconsulto Imperatore adripuisset, et iniquius respondisse; mox autem Theodoricum tollere subortas contentiones, et nutantem inter utrumque imperium concordiam confirmare, novis oratoribus missis, studuisse, colligere e verbis licet, quæ in Excerptis Valesianis porro leguntur: « Facta pace cum Anastasio Imperatore per Festum de præsumptione regni, et omnia ornamenta palatii, quæ Odoacher Constantinopolim transmiserat, remittit ». Ad hanc legationem per Festum peractam recte Car. Sigonius (1), et Henr. Valesius (2) epistolam Theodorici adcommodant. Nam in illa diserte profitetur Theodoricus: « Proinde illum et illum legationis officio ad serenissimam pietatem vestram destinavimus, ut sinceritas pacis, quæ caussis emergentibus cognoscitur esse vitiata, detersis contentionibus, in sua deinceps firmitate restituta permaneat: quia pati vos non credimus inter utrasque Respublicas, quarum semper unum corpus sub antiquis Principibus fuisse declaratur, aliquid discordiæ permanere ».

Ad hanc pacem adludens Senatus Romanus, Anastasium Augustum adfatur verbis, quæ Hormisdæ literis intexuntur apud Baronium an. 515, § XLIV: « Proinde, piissime Imperator, hæc suo nomine Senatus serenitatis tuæ clementia

(1) De Occident. Imp. lib. XVI, p. 269.
(2) In not. ad Excerpta.

provocatus adjunxit, ut qui animo quam benigno in utraque Republica concordanda fuisti, tam esse pio in Ecclesiæ redintegrandæ unitate noscaris. Nam ut pax illa Regnorum tantum scitur prodesse subjectis, sic hæc religionis, cum populo suo proficit imperanti ». Plures eo legationis officio ornatos fuisse, verba Theodorici recitata significant. Festus igitur, qui nominatur, præcipuus legatorum fuit, quem etiam missum Theodorus Lector meminit (1), et Senatorem nominat (2), sigillatimque de eo refert, postquam mandata, quorum caussa missus erat, peregerat, proprio nomine Anastasium obsecrasse, ut Constantinopoli sanctam Apostolorum Petri et Paulli memoriam eadem, qua Romæ, veneratione ac magnificentia celebrandam indiceret; idque obtinuisse. Istius igitur legationis, cujus princeps Festus Senator erat, comitem sociumque Maximianum fuisse credo (3). Plane enim eamdem missionis suæ caussam, quæ Festi fuit, memorat:

> Missus ad Eoas legati munere partes,
> Tranquillum cunctis nectere pacis opus,

(1) Hist. Eccl. lib. II, pag. 560: Φῆστός τις τῶν τῆς συγκλήτου Ῥώμης, πρὸς βασιλέα σταλεὶς Ἀναστάσιον διά τινας χρείας πολιτικάς, ἐλθὼν εἰς τὴν βασιλίδα, etc.

(2) Sigonius etiam Ex-Consulem vocat, sicut Anonymus supra *caput Senati*, Fasti Consulares Flavium Festum cum Fl. Marciano Consulem an. 472, adeoque duodeviginti annis ante Theodorici regnum, produnt. Ad Festum multæ sunt epistolæ Theodorici Regis in Variis Cassiodori, ubi semper inscribitur *Festo Viro Illustri atque Patricio*. Hunc Festum, unaque Symmachum, Boethii socerum, per *Principes civitatis* apud Boethium, de Consol. Phil. lib. II, pr. 3, intelligi, Ren. Vallinus in adnot. ad eum locum existimat, ubi Boethius dicitur *in adfinitatem principum civitatis delectus*, ex eoque probabiliter colligit, Elpidis, prioris Boethii uxoris, patrem, qui vulgo ignoretur, fuisse Festum, sicut Symmachus fuerit secundæ uxoris Rusticianæ.

(3) Ratio aliqua adsumpti a Festo Maximiani in societatem legationis adparere videtur, si Festus fuit Boethii socer. Hujus enim amicitia quum floreret Maximianus, potuit etiam hujus caussa commendatus esse socero Boethii.

Dum studeo gemini componere fœdera regni,
Inveni cordis bella nefanda mei.

Nec mirum est, ei legationi adhibitum Maximianum, qui et gestis ante muneribus, et oratoriæ facultatis fama, ut ipse profitetur, inclaruerat:

Orator toto clarus in orbe fui. (Eleg. I, 10.)

Sed minores tamen partes ejus in ea legatione fuisse, easdemque per socordiam et libidinem Maximiani vel negligenter actas, vel desertas plane, ipso fatente credere licet, El. V, 43:

Muneris injuncti curam studiumque reliqui,
Deditus imperiis, sæve Cupido, tuis.

Diversissimum adeo duorum legatorum ingenium fuit. Festus enim præter exacta rei publicæ negotia, per se de rebus ecclesiæ et ordinandis cærimoniis cum Imperatore egit; Maximianus deserto officio publico domi delituit, amoribus puellæ irretitus. Neque igitur mirandum est, si Maximiani in publica illa legatione nulla mentio ab historicis facta est. Cæterum ex illo casu, quem doli et lenocinia Graiæ puellæ seni Maximiano adtulerant Constantinopoli, materia ei et caussa enata videtur, ut querelas de senectutis suæ ingravescentibus molestiis carmine singulari exponeret. Nam vitam suam ante modestius actam respiciens, et senectutem nunc turpi meretricis nequissimæ amore debilitatam sentiens, pudore pariter atque indignatione commovetur, ut hoc libello calamitatem suam deploret, et vitiis suis convicium faciat, plane ut Tibullus, Amorem incusans, de se profitetur, lib. II, 6, 17:

Tu miserum torques; tu me mihi dira precari
Cogis, et insana mente nefanda loqui.
Jam mala finissem leto; sed credula vitam
Spes fovet, etc.

Prima igitur Elegia, quæ longissima juxta atque optima

est, ad deploranda senectutis suæ incommoda descendit, ita quidem, ut memoratis prius artibus, exercitationibus, virtutibus, quibus enituerit juvenis, mox his contraria senii sui vitia ostendat, et generatim senum deformitatem, miseriam, imbecillitatem, socordiam et ineptias vivis coloribus depingat. Proximis Elegiis senectutem suam infelicem ex amoribus minus prosperis demonstrat, nominatque tres, quas amaverit, puellas, Lycoridem, Aquilinam, et Candidam, et singulis eas carminibus, II, III et IV, decantat. Cum Lycoride se ait multos annos indivisum vixisse, nunc provecta ætate despici ab ea et irrideri conqueritur. Adjungit sequentibus Elegiis, III et IV, præteritæ juventutis amores in Aquilinam et Candidam inceptos, eosque ita narrat, ut juveniles quosdam lusus, et irritos levis animi æstus fuisse adpareat. Sed hoc magis dolet deinceps, quod extrema senectute eo dementiæ sit prolapsus, ut vesanis puellæ Graiæ lenociniis irretiri se pateretur, et voluptatibus olim spretis se dederet, quibus sufficere per ætatem non posset. Quum hujus puellæ lasciviam et illecebras extrema Elegia tam aperte et impudenter describit, vix conciliare hoc possumus cum superiorum Elegiarum modestia, nisi statuere velimus, consilium ei hoc fuisse, ut Graiæ nequitiæ et lasciviæ exemplum, ad corrumpendum tam potentis et ingeniosæ depingeret. Nec diffitendum est, abreptum quoque et corruptum videri lascivorum veteris ævi poetarum studio et lectione, quorum quum sententias et elegantias multis locis imitari conatus est, tum etiam nequitiæ exemplum ab iisdem petere non dubitavit (1).

Argumentum Elegiarum Maximiani diverse admodum diversis temporibus acceptum et intellectum est, atque inde varii earum tituli et inscriptiones discrepantes factæ, e qui-

(1) Qui Ovidii Amorum libro III Elegiam septimam legerit, non dubitabit, eam a Maximiano Elegia V expressam esse. Taceo alia Catulli et Tibulli carmina multo turpiora.

bus simul, quam diversa ejus poetæ existimatio diversis sub ætatibus fuerit, colligere licet. Goldastus in quinque veteribus codicibus, quos possedit, hanc ferme inscriptionem fuisse testatur: « Facetum et perjucundum poema de Amoribus Maximiani, Poetæ doctissimi, Oratoris suavissimi ». Idem in Parisiensis editionis, omnium primæ, frontispicio inscriptum esse dicit: « Perjucundus, juvenum quoque mirum in modum demulcens animos libellus, quem Nugarum Maximiani immitis Alexander intitulat, etc. » In vetustissima editione, quæ certe prima in Germania fuisse videtur, et in publica Academiæ nostræ bibliotheca exstat, hic titulus præfigitur: « Maximiani philosophi atque oratoris clarissimi ethica suavis et perjocunda incipit feliciter ». Quum Maximianum olim medio barbaroque ævo in scholis prælectum esse, testimonia nonnulla antiquiorum doceant, tum etiam multitudo exemplarium manuscriptorum, quæ hodienum exstat, testetur, adparet sane doctorum et monachorum adeo, qui tum scholas habebant, insignis non inscitia modo et barbaries, sed et impudentia, qui libellum, vetitos ubique amores spirantem, et bonis moribus noxium, tantis ornare et commendare elogiis, iisque juventutem adlicere ad legendum sategerunt. Quod ipsum pluribus verbis exponit et indignatur Goldastus in Præfat. ad Catalecta Ovidii.

Qui iis temporibus paullo severius sentiebant, *nugas* ea carmina et nugatorem Maximianum adpellabant, ut fecit Alexander Grammaticus (1). Plerique ex antiquioribus, qui Maximiani carmina citant, argumentum eorum et titulum fecisse videntur *de incommodis senectutis*. Ita certe describit

(1) Etsi hoc in dubium vocat Fontaninus, *Hist. lit. Aquil.* p. 50, et ab Alexandro Maximianum alium, Grammaticum versificatorem, intelligi putat, eodem tamen elogio Maximianum nostrum ornat liber manuscriptus Luneburgensis, quem J. N. Niclasius V. C. possidet, ubi ad finem subscriptum est: « Explicitus est Maximianus nugax ».

Eberhardus Bethuniensis, in Labyrintho, quo poetas in scholis prælectos recenset :

> Quæ senium pulsant incommoda maxima scribit,
> Et se materiam Maximianus habet.

Idem fecerunt alii (1). Nec inepta talis inscriptio et libelli argumento minus conveniens videtur, siquidem querela senectutis, in prima quidem Elegia præcipue regnans, per totum opus decurrit, et post interjectas aliquot de amoribus narrationes, ultima Elegia denuo repetitur. Alii, in quibus Goldastus, majorem libelli partem spectantes, argumentum ejus posuerunt *Amores Maximiani;* plurimi autem, inde usque a Gaurico inscribere *Elegiarum libellus* maluerunt, quod sane in ista materiæ et mixti argumenti ambiguitate optimum factu esse videtur. Quam autem diversa de argumento libelli et auctore existimatio pro diversis temporibus fuerit, vel ex hoc intelligi potest, quod qui olim *philosophus clarissimus*, *poeta doctissimus*, *orator suavissimus*, audiebat, nunc a nonnullis recentioris ætatis eruditis *pessimus nebulo* et *nugator*, *scriptor barbarus*, *lutulentus*, *ac tantum non stercoreus*, nominetur (2). Quæ quidem judicia, si quid ipse judicare possum, duriora mihi, quam pro merito Maximiani, videntur. Etsi enim in Maximiano nullum virtutis exemplum, nec veræ honestatis studium agnosco, nebulonem tamen, sceleribus et nequiter factis gloriantem, non reperio, sed querulum senem, vitia sua et molestias imbecillo ferentem animo, simul tamen a jocis et nequitiis minus temperantem. Barbaries et sordes styli nescio an satis æque Maximiano objiciantur. Vitia ejus sermoni insunt multa et gravia, quæ tamen ætatis potius, qua vivebat au-

(1) Carmen Maximiani *super senectute* memorat Labbeus Bibl. nova MS, pag. 63. Fontaninus l. c. pag. 48 refert, in codice Urbinate 832, fol. 133, bibliothecæ Vaticanæ prostare hunc titulum : « Vetuli Maximiani de incommodis senectutis libellus ».

(2) Vide testimonia Gyraldi, Jani Dousæ, Bronkhusii.

ctor, in barbariem prolapsæ, quam ipsius scriptoris sunt, communiaque adeo multis aliis ejus ævi poetis, præsertim Christianis, quos nemo propterea barbaros et lutulentos vocaverit (1). Atque ea vitia sermonis Maximianus multo ingenio, meliorum poetarum imitatione nutrito, sententiarum lepore, aliisque styli virtutibus compensat, quibus merito videatur captum et ingenium sui sæculi superasse.

Quæ hodie in vulgatis Maximiani exemplis reperitur divisio libelli ejus in Elegias VI, valde inæquales, a Pomponio Gaurico primum videtur introducta, qui eas pro fragmentis Amorum Cornelii Galli vendidit. Ipse auctor unum et continuum libellum, ut Ovidius Remedia amoris, et Diras in Ibin, perscripsisse videtur, unde et in Msptis veteribus inscriptus est *Maximiani liber*, et antiquissima exemplaria, impressa ante Gauricum, divisionem plane nullam habent, aut diversam, quamvis nec hanc aptiorem. Sic e. g. in vetustissima Germanica, quæ ad manus est, Elegiæ I nova sectio rubro notata incipit v. 227: *Suscipe me genitrix;* et rursus v. 267: *Non queror heu!* Elegia II cum tertia conjuncta est usque ad v. 35: *Tunc me visceribus;* sed cætera prætereo. In codice Ecclesiæ Patavinæ, quem indicavit Jac. Phil. Tomasinus in Bibliothecis Patav. pag. 8, Maximiani liber in tres Elegias divisus, sicut etiam in antiqua

(1) Jo. Hildebr. Withofius in Encæniis Criticis, p. 296, plane aliter nebulonis et scriptoris barbari crimen Maximiano impactum accepit, aliaque idem ratione ab eo defendit. Nebulonem et nugatorem a Gyraldo dictum esse existimat, quod cum putaverit, nomine Cornelii Galli falso usurpato, imposturam fecisse, omnem autem hanc culpam in stolidissimos librarios conferendam censet, qui opusculum hoc Corn. Gallo impudentissime adscripserint. Ita vero sentiens Withofius nec mentem Gyraldi satis cepisse videtur, nec notitiam habuisse Gaurici falsarii, qui solus Maximianum in Corn. Gallum transformavit. Falso idem barbariem sermonis in Maximiano inveniendam librariis deberi, eorumque mendis et erroribus orationem impuram, metrum vitiosum redditum, arbitratur. Etenim hanc culpam non librariorum, sed ipsius Maximiani esse satis constat.

Parisiensi edit. de qua mox dicemus, reperitur. Et primæ Elegiæ inscriptio est: « Maximiani, poetæ illustris, opusculum de ejus vita et senectute »: Secundæ: « Maximiani, poetæ illustris, de Lycori ejus amica, quæ ipsum deseruerat, quum esset senex »: Tertiæ hæc: « Maximiani, poetæ illustris, de quadam puella Græca, cujus amore captus fuit, et de nonnullis aliis (1) ». Operæ pretium est hoc loco mutationes crebras cum Maximiani impressis exemplaribus factas, sive classes editionum diversas enarrare. Primæ et incorruptæ editiones ante Gauricum factæ sunt paucæ. Primam omnium, post Goldastum in Præfat. ad Ovid. Catalecta, Bernardus Moneta in Menagianis, tom. I, p. 339, esse censet Parisiensem, cujus exemplum in bibliotheca Mazariniana exstitit, Gothicis literis impressum, in-4, et cujus inscriptionem lepidissimam dignam judicavit, quam integram opponeret: « Perjucundus, juvenum quoque mirum in modum demulcens animos, libellus, quem nugarum Maximiani immitis Alexander intitulat, impressus Parrhisii, opera exactissimaque diligentia Stephani *Jehannot*, et Petri *le Drou*, Artium magistrorum et vigilantissimorum impressorum. Hunc si parvo nummismate comparare cupis, venalem in vico sancti Jacobi reperies in domo quadam ante Mathurinos sita, juxta Carnificem sanissimas, humano pro corpore, carnes vendentem ». Fontaninus l. c. pag. 49 de hac editione judicat, deesse quidem annum impressionis, sed characterem aliosque libros ab iisdem typographis an. 1496 et 1497 impressos, evincere factam esse circa an. 1500. Ex hac sententia Fontanini Parisiensis hæc editio minime prima omnium habenda videtur, sed recentior esse ea, quæ in codice aliquo Bibliothecæ Academicæ Helmstadiensis pluribus libris antiquis innexa exstat, et sine anni locique notatione quidem, sed tamen, ut ex libris conjunctis colligere licet, intra annos 1470 et 1480, et in Germania

(1) Refert hæc Fontaninus, Hist. lit. Aquil. lib. I, cap. 3, p. 49.

quidem, impressa videtur. Nam in eo codice primo loco sunt Plinii Epistolæ manuscriptæ a Georgio *Breuz* anno 1477, et in calce adjunctus liber Jo. Boccacii de claris mulieribus, impressus Ulmæ per Joannem *Czeiner de Rentlingen*, anno 1473. Inscriptio libelli est : « Maximiani philosophi atque oratoris clarissimi ethica suavis et perjocunda Incipit feliciter ». Finis libelli versus quatuor alienos, eosque vitiosos, habet adjunctos, e poeta nescio quo huc temere illatos :

> Præmia tot formæ numeres quis voce fatenda,
> Quodque potest laudes dicere lingua tuas.
> Quamvis nocivas intendere dicere voces,
> Destituunt verba pectus hanela meum (1).

Subjunguntur 1° Epitaphium Nicolai Papæ V a Maphæo Vegio (2) poeta Laudensi editum; 2° Epitaph. Eugenii Papæ IV; 3° Epitaphium Laurentii *de Valla*, poetæ atque oratoris famosissimi; 4° Epitaphium Ovidii poetæ : *Ille ego, qui fueram*, etc.; 5° Epigramma ridiculum : *Devorat agricolam rex*, etc. Præter has duas Maximiani editiones nescio an alia sæculo XV exeunte prodierit. Nam initio statim sæculi sequentis sequuta est Pomponii Gaurici, Neapolitani, corrupta et Corn. Gallo supposita editio, cujus titulus perscribitur : *Cornelii Galli fragmenta, per Bernardinum Venetum de Vitalibus. Venet.* 1501, *die XII Januarii.* Hæc editio, quæ rarissima est, Lutetiæ in pluteis regiis servatur, exstititque in bibliotheca Heinsiana, ut legitur in ejus part. II, pag. 75. Alterius editionis Venetæ anni 1503 exemplar cum codicibus Msptis collatum recenset Paullus Colomesius, Oper. p. 891, inter libros Is. Vossii, qui postea transierunt in pu-

(1) Hi quatuor versus paullo correctiores, atque etiam quatuor aliis auctiores pariter subjiciuntur codici Vossiano, cujus collationem habeo, tam etiam Luneburgensi Niclasii, quos tamen hic neque repetere, neque emendare operæ pretium putavi. — Vid. infr. p. 173. Ed.

(2) De Maphæo Vegio vid. Virgil. nost. ed. t. IV, p. 405. Ed.

blicam bibliothecam Leidensem (1). Gaurici editionem plane expressit et cum omnibus adnexis repetiit, quæ Parisiis eodem anno 1503 ex officina Ascensiana prodiit in-4. Titulus est: « Cornelii Galli, poetæ memoratissimi, quæ recolligi potuere fragmenta: Ascensiana accuratione reimpressa. Venundantur Parrhisiis in vico sancti Jacobi, sub Leone argenteo ». In fine legitur: « Impressum Parisiis accuratione Ascensiana. Anno Domini MCCCCCIII, Die XXI Julii ». Memorat eam Catalogus bibliothecæ publicæ Lugduno-Batavæ, pag. 250: servat etiam bibliotheca Academiæ Georgiæ Augustæ, unde cum aliis pluribus Maximiani exemplis notabilioribus benevole usui meo concessam habui. Fabricius ignorasse videtur, nisi fortasse ea est, quam Bibl. Lat. vol. II, p. 348 dicit Parisiis 1523, in-4, prodiisse, anno eo per errorem typographicum posito pro 1503. Similis repetitio Gauricianæ editionis est, quæ paullo post Argentorati, in collectione variorum poematum adparuit, cujus hæc est inscriptio: « P. Gregorii Tipherni poetæ illustris Opuscula: Francisci Octavii Elegiæ et Epistolæ amorum: Sulpitiæ Carmina LXX (quæ fuit Domitiani temporibus) nuper Georgii Merulæ opera in lucem edita: Cornelii Galli poetæ tum clarissimi, tum vetustissimi Elegiarum Fragmenta: Pomponii Gaurici Neapolitani Elegiacon ». Argentorati ex officina Schureriana, mense Julio MDVIIII, in-4 (2). Denuo secundum Gaurici recensionem Maximiani Elegiæ una cum lyrica cantiuncula ad Lydiam excusæ dicuntur post Pindarum Thebanum de bello Trojano Fani editum a Francisco Polyardo, apud Hieronymum Soncinum, 1515, in-8. Quibus fraudibus Gaurici hæ editiones corruptæ sint, superius jam memoravimus. Ex eo tempore nomen Maximiani plane disparuit, et in omnibus editioni-

(1) Hæc Fontaninus, Hist. lit. Aquil. p. 42.

(2) Vid. *Maittaire*, Annal. Typogr. t. II, p. 202; Catalogus biblioth. Roloffianæ, part. I, p. 122, n. 967.

bus regnavit Cornelius Gallus. Ob id ipsum nomen cœperunt Elegiæ hæ operibus Catulli, Tib. et Propertii adjungi, quia his poetis Corn. Gallus ætate par fuit, cum iisque comparatus a Quintiliano. Prima editio, quæ Maximianum sub Corn. Galli nomine tribus istis poetis adjungeret, fuit, nisi fallor, Basileensis per Henricum Petrum, 1530, in-8, quæ inscribit: *Cn. Cornelii Galli, poetæ clarissimi, ex iis quæ colligi potuere fragmenta.* Sequutæ sunt aliæ, ut Gryphiana 1531, et Basileensis 1539, in-8, quæ similiter inscribunt. Plures Cornelii Galli vitam, a Gaurico compositam, præmittunt, ut Gryphiana Lugdunensis 1534, in-8; Basil. 1546, in-12; Venet. 1549, in-8; Plantiniana Antverp. 1560, in-12; Gryph. 1561, in-12; Basil. 1569, in-8. Quum interim fraus in falso Corn. Galli nomine præposito magis detecta ab eruditis esset, cœpit Maximiani nomen in Elegiarum fronte revocari, aut certe adjungi Gallo. Id primum factum est a Theodoro Pulmanno, qui in editione Catulli, Tib. Prop. Antverpiæ 1569, in-12, quæ repetita est Lugduni apud Anton. Gryphium 1573, præfationem vel epistolam ad lectorem Galli Elegiis præmisit, qua Maximiani librum falso hactenus Cn. Cornelio Gallo inscriptum admonet, et titulum hunc præfigit: *Maximiani liber, qui falso hactenus sub nomine Cn. Cornelii Galli editus est.* Ad principium quoque in margine notat: «Veteris libri inscriptio *Maximiani liber*», et porro Varias lectiones e veteri codice descriptas adponit, tum etiam Elegia IV, 25, distichon, quod Maximiani nomen continet, et a Gaurico ejectum erat, e manuscripto restituit. Primus igitur fuit Pulmannus, qui aliquam curam recensendo et resarciendo texto Maximiani adhibuit (1). Sed sequuti eum sunt pauci. Pe-

(1) Editio Catulli, Tib. Propert. cum Corn. Gallo, Parisiensis 1743, in-12, qua, ut editor in præfat. profitetur, Maximiani Elegiæ ad editionem Plantinianam 1569, e secundis curis Theod. Pulmanni collatæ sunt, textum quidem Maximiani a corruptelis Gaurici vindicatum habet, sed præfationem aliquam Pulmanni non exhibet, neque titulum Elegia-

trus Pithœus inter Epigrammata et Poemat. vetera, Paris. 1590, pag. 423, plane ita inscripsit et integravit, uti Pulmannus fecerat. Et Goldastus, inter Ovidii Erotica et Amatoria Opuscula, Francof. 1610, pag. 48, textum integrum Maximiani dedit, sed sub nomine *Cornelii Maximiani Galli Etrusci*, quod ille in manuscriptis codicibus legi existimavit, ego verum non puto. Sequentes editores, semel moniti, Maximianum Triumviris poetis adjungentes, plerumque inscribunt hac formula : *Cn. Cornelii Galli, vel potius Maximiani, Elegiarum libellus* (quomodo invenio, in ea, quæ Brageraci anno 1611 prodiit); idque hoc diligentius ab iis servandum fuit, postquam in editione Hanoviensi, 1608, Triumviris poetis, præter adhuc creditas Corn. Galli Elegias, alia sub Asinii Cornelii Galli nomine ab Aldo Manutio prodita accessit, et unus Corn. Gallus spurius ab altero discernendus fuit. In plerisque autem hisce editionibus plane mirandum est, quamvis inscriptio Elegiarum de vero auctore Maximiano moneat, ipsum libellum tamen ad formam et recensionem Gaurici falsarii dari, et non solum vitam Galli a Gaurico scriptam, quæ Maximiano abrogat, præponi, sed etiam cæteras corruptiones in texto factas retineri. Sic factum video in exemplo Catulli, Tib. Prop. quod opera Jani Gebhardi, cum notis ejus et indice Horatii Tuscanellæ editum est Hanoviæ, 1618, in-8; iterumque Francof. 1621, in-8. Plures aliæ editiones ejusdem notæ obviæ sunt, quæ a priorum consuetudine non recedunt, ut Amstelodamenses Jansonianæ, in-16, et recentissima Bipontina, 1783. Universe mihi ex comparatione editorum exemplarium, et manuscriptorum observare licuit, ista quidem parum differre in lectionibus, et multa habere similia, pariter autem

rum iisdem verbis conceptum præponit. Cæterum in hac recenti edit. Parisiensi video singulis Elegiis breve argumentum præpositum : Elegia I, *Senectutis descriptio;* II, *Non despicienda senectus ;* III, *Narrat facta juventutis;* IV, *Initia sui narrat amoris;* V, *Mulier fingens amorem ;* VI, *Consilium senibus datum.*

manuscripta, ubi diversa ab istis proferunt, in iis ipsis convenire inter se, ita quidem ut adhuc diversa utrorumque recensio reperiatur. At ex his intelligitur, quam negligenter habitus sit Maximianus ab editoribus, qui nihil aliud, quam textum a superioribus traditum repetentes, de emendando et ad incorrupta exemplaria reformando non cogitarunt.

Ex omni numero eorum, qui Maximianum ediderunt post Gauricum, neminem reperio, quoad recordari possum, qui textum a Gaurici defraudatione integrum dederit, præter hos quatuor, Theodorum Pulmannum, et, qui eum expressit, recentiorem editorem Parisiensem, tum Pithœum et Goldastum (1). Est adhuc solitaria quædam et a reliquis poetis sejuncta editio Maximiani, quæ nullum neque impressionis locum, neque annum notatum, et pro titulo hæc tantum verba proscripta habet : *Maximiani (sæculi ut creditur XII) Elegiæ.* Quam ego aliquando visam Luneburgi in lucem prodiisse suspicatus sum, ubi plures poetas minores hoc sæculo seorsum editos novi. Et confirmavit me hac in sententia J. N. Niclasius V. C. qui Maximianum a Christ. Friderico Schmidio, Joannæi Luneburgensis Rectore, et plurium editore poetarum, putat editum esse Luneburgi intra annos 1714 et 1726, typis Ortmannianis. Quod Maximianum editor in titulo sæculo XII adsignavit, hoc ex errore est, quo Maximianum versificatorem artis Grammaticæ cum Elegiographo confudit, perperam intellecto Gangii testimonio, quod Fabricius in Bibl. Lat. med. ævi et Fontaninus adducunt, et quod ipsi proferemus alio loco. Prætereundum denique non est, Maximiani Elegias inter *Opera et Fragmenta veterum Poetarum Latinorum*, a Mich. Maittario edita, exhiberi, ad calcem voluminis II

(1) In editione Propertii ex Museo Simonis Abbes Gabbemæ, Trajecti ad Rhen. 1659, in-8, ubi inscribitur *Maximiani Elegiarum libellus, perperam Cornelio Gallo adtributus*, videtur editor recensionem Theod. Pulmanni sequutus esse. Sed hoc suspicor tantum ; nam librum ipsum nunc inspicere non possum.

subjectas; neque minus in *Collectione Pisaurensi omnium poematum et fragmentorum Latin.* tom. IV, p. 195.

Alia Maximiani carmina, nescio unde cognita, Labbeus Bibl. nova Manuscriptorum, pag. 63, memorat, *super senectute, regulam metricam, carmen de virtute et invidia, de ira, patientia atque avaritia.* In quibus quidem illud, quod super senectute scriptum dicitur, facile credam esse idem cum libello Elegiarum, cujus summa est querela de senectute, cætera tamen non alia videntur, nisi exercitia Grammatici vel scholastici poetæ, cujus generis etiam sunt versus, qui in Pithœi Epigramm. veter. sub Maximiani nomine inter XII poetarum scholasticorum carmina leguntur, « de ratione tabulæ, in tumulum Ciceronis et Virgilii, descriptio Iridis, imaginis in unda, amnis glacie concreti, de ortu solis, de signis cælestibus, de quatuor tempestatibus ». Falli credo J. A. Fabricium in Bibl. med. et inf. Latin. tom. V, p. 179, qui hæc carmina brevia pariter Maximiano Elegiarum auctori adscribit, diversumque ab hoc puto poetam illum scholasticum, siquidem Maximianum nostrum, quem scimus sub Theodorico rege mature honores publicos cepisse, et liberiorem vitam in juventute gessisse, non credibile est, in umbra et exercitamentis scholasticis tempus consumpsisse. *Regula metrica*, quam Labbeus inter carmina Maximiani refert, manifeste auctorem professione Grammaticum prodit, et puto, talem librum scholastici poetæ, olim lectum in scholis, fuisse, quem Alexander de villa Dei *nugas Maximiani* adpellavit, et e schola expulsum suo Doctrinali compensare voluit. Nam si Maximiani Etrusci Amores respexit, disparis plane ingenii et argumenti librum, nulla ratione eum comparare cum suo, aut reprehendere adeo potuit, ut ejus loco suum librum, mere Grammaticum, reponendum putaret. Igitur satis probabile esse arbitror, duo fuisse Maximianos scriptis versibus claros. Hæc postquam scripseram, Justi Fontanini Historiam liter. Aquil. qua de Maximiano fuse agitur, legens, reperi

ab eo auctore eamdem sententiam de duobus Maximianis proponi. Sic enim ille cap. III, § III, pag. 50 : *Maximianus*, quem spernit Grammaticus Alexander, nec fuit *Etruscus*, neque *Elegiographus ;* sed natione Gallus, et versificator grammaticæ artis, in Academia Parisiensi olim perlegi solitæ, quem vixisse an. 1200, auctor est Carolus Cangius in Nomenclatore ad Glossarium Latinum, ejusque regulas metro concinnatas, alicubi forte *nugas*, usque ad eumdem Alexandrum invaluisse, palam fit non minus ex versibus jam recitatis, quam ex Cæsare Egassio Bulæo in Historia Universitatis Parisiensis, tom. I, pag. 517. Hæc sententia vero etiam propius accedit, quod puerorum manibus libri de arte grammatica feruntur, non turpissimæ Elegiæ de amoribus et ebrietate, cujusmodi hæ sunt, quæ Maximianum Etruscum, vitiis inquinatissimum senem, auctorem habent. Hæc Fontaninus. Revera tamen Maximianum Elegiographum in scholis lectum, ex aliis testimoniis constat, et fortasse communio nominis fecit, ut Maximiano uno Grammatico recepto, etiam alter poeta, quod sententiis creber, et de vita humana nonnulla non inepte monere videbatur, proponeretur. Cæterum etiam Maximianus aliquis, severior poeta, et disciplinæ adeo castigationisque asperæ commendator repertus lectusque medio ævo videtur, siquidem Jacobus *Magni*, qui in Sophologio Maximianum sæpius citat, quodam loco versus aliquot sub eodem nomine adducit, qui in Maximiani Elegiis hodie non leguntur, et stylo atque sensu, ut ita dicam, prorsus monachali concepti, cruciatus corporis commendare videntur, quos sibi homines religiosi ad coercendas libidines imponere solent. Nempe Sophologii libro II, cap. 2, *quomodo natura cupit virtutes*, hæc duo Maximiani disticha refert :

Amplecti mundum quorumdam vota laborant,
  Sed votis obstat verbere trita caro.
Nam nos a vitiis mundanis sæpe retardat
  Corporis anxietas, damna, flagella, fames.

Hæc quia plane a Maximiani Etrusci genio discrepant, in eam me sententiam adducunt, ut credam, aut exstitisse ævo medio Maximianum alterum et diversum ab Etrusco, cujus forte fuerint carmina, quæ Labbeus memorat, *de virtute et invidia*, *de ira*, *patientia atque avaritia*, aut Etruscum illum monachalibus præceptis valde interpolatum, et ab obscenis lascivisque locis purgatum fuisse, ut aptus scholarum lectioni et disciplinæ esset. Et interpolationes varias subinde expertum esse Maximianum, loca nonnulla manuscriptorum veterum etiam nunc ostendunt, siquidem in codice Luneburgensi, vel Niclasiano, post versum 234 Elegiæ I, versus hexameter alienus interponitur; et in eodem, tum in Vossiano et Rottendorfiano, quos collatos habeo, post versum 40 Elegiæ II distichon integrum inseritur, quod exemplaria impressa non agnoscunt. Referemus eos versus, suo quosque loco, inter Variantes lectiones.

Quamquam Maximianus frequenter est editus, beneficio quidem Triumvirorum poetarum, Catulli, Tib. Prop. quorum in consortium semel erat receptus, cæterum tamen neglectus despectusque jacuit in tantum, ut neminem eruditorum sciam, qui ejus Elegias singulari cura recensendas et emendandas susceperit, licet haud defuerint, qui loca nonnulla earum data occasione citarent, aut exponerent. Quo major mihi caussa adfuit, ut instituti mei legem sequutus poetam insulsum quidem, quod argumentum adtinet, facundum tamen et pro sæculo suo satis elegantem, a veteri situ liberarem, et repurgatum inter Poetas Minores proponerem, præsertim quum ea præsidia rei gerendæ mihi a viris eruditis suppeditata essent, quæ me hortari ad opus illud suscipiendum viderentur. Quorum præcipua ut nunc memorem, manuscripta exemplaria vetera Maximiani plura adfuerunt, quæ partim ipse contuli, partim collata et mecum communicata ab amicis, viris eruditis, accepi. Codicis Vossiani collationem, manu Nic. Heinsii factam

cum exemplo Pithœano in Epigr. et Poem. vet. pag. 423, descriptamque, uti titulus mihi præferre visus est, ab H. C. Hennio, D. benevole submisit mihi, cui et multa alia debeo, Laur. Santenius, V. C. qui et alias varietates lectionis adscripserat e Florilegio, quod ipse possidet, manuscriptorum antiquorum. Hæc collatio nonnumquam duplices lectiones, adeoque comparatas cum alio ignoto codice, offert. Quod similiter animadverti in codice MS, quem utendum mihi perhumaniter concessit J. N. Niclasius Gymnasii Joannei Luneburgensis Director gravissimus. Hoc exemplum scriptum, quia uno codice cum aliis libris et carminibus anno 1494 et serius scriptis continetur, hinc mihi visum est in fine sæculi XV, aut principio adeo decimi sexti exaratum esse. Qua in re ut dubius sim, facit inprimis distichon Elegiæ IV, v. 24, a Gaurico fraudulenter omissum, quod scriptor hujus exempli non in serie contextus, sed in margine adscripsit. Unde suspicio est, habuisse eum ante oculos exemplum Gaurici impressum, quod anno primo sæculi XVI vulgatum est, et scripturam suam ei accommodasse; in quo quia omissum videbat distichon, quod in scriptis exemplaribus inveniebat, putavit illud in margine ponendum. Ad finem libri, itidem in margine, adponit distichon, quod nomen librarii indicare videtur. Quod quia mendose et obscure scriptum est, adpono illud, sicut in codice Ecclesiæ Patavinæ lectum refert Fontaninus, l. c. pag. 49:

> Talibus infectæ deponis verba senectæ
> Scriptus ab Erimacho, Maximiane, Lupo.

Huic porro subjungit versus ex alieno carmine huc translatos, quos (1) etiam codicem Vossianum et antiquam editionem Germanicam habere dixi:

> Præmia tot formæ numerat quis voce fatenda, etc.

(1) Vide supra, not. 1 ad pag. 165, hoc tomo. Fu.

Santenius præterea suppeditavit mihi Collationem codicis Bern. Rottendorfii in membr. ad editionem Catulli, Tib. Prop. Paris. 1753; item Excerpta Variantium ex alio codice non nominato, quæ adscriptæ erant Gallo editionis Hanov. 1618 in exemplari, quod olim Gronovii fuit, et in ejus librorum auctione emptum. Addidit denique et mecum communicavit Cl. Santenius Richei *van Ommeren*, viri eruditissimi, Rectoris scholæ Amstelodamensis, Observationes et Conjecturas in Maximianum, singulari in scheda, nescio a quo, scriptas, quæ tamen admodum breves sunt, nec fere aliud quid, quam comparationem similium locorum, quos respexit vel imitatus est Maximianus, continent. Sed inprimis mihi hac in opera conferendus fuit Jo. Hildebr. Withofius, qui in *Encæniis Criticis*, Vesaliæ anno 1741 editis, libri III cap. 3 et 4 multa Maximiani loca emendandi et illustrandi studio perstrinxit; qui tamen, ubi plerumque liberiore crisi utitur, plura loca temere sollicitat, et audacius corrigit, inprimisque nævos omnes, scriptori isti ab ætate sua et latinitate corruptiore adhærentes, contra vetustorum exemplarium fidem tollere conatus, raro a nobis impetrare potuit, ut ejus consilio uteremur. Optimi manuscripti instar mihi fuit editio pervetusta Germanica supra luculente abs me descripta, quam recensioni meæ perpetuo adhibui. Ex editionibus reliquis maxime consului Plantinianam Theod. Pulmanni, Antverp. 1569, in-12, et varias lectiones ab eodem e veteri codice descriptas et margini adpositas, quem in præfatiuncula dicit se ex Joannis Goropii Becani bibliotheca habuisse; tum Pithœanam in Epigr. et Poem. veter. et Goldasti in Erot. et Amat. opusc. Ovidii. Fundum autem recensionis meæ posui recentissimam edit. Bipontinam, 1783. In ipsa recensione et explanatione nihil fere aliud agere necesse fuit, quam ut multifariæ lectiones librariorum incuria et temeritate invectæ, expenderentur recte, et textus poetæ, multum ea varietate distractus, lectione maxime probabili inducta componeretur; ad illustra-

tionem rerum verborumque sufficiet, loca veterum poetarum, quorum ingenio et verbis fere utitur Maximianus, opportune conquirere et indicare.

Maximiani Elegiis adjungi, atque hac in classe Amatoriorum proponi a nobis poterat, quæ a Goldasto inscribitur *Ovidii Junioris somnus*. Namque hanc Elegiam Aldus Manutius, qui eum vita Ovidii vulgavit Venetiis 1515, in-8, negavit ab Ovidio profectam esse, adsentiente Goldasto, et in antiquioribus editionibus, quæ e recensione Jac. Micylli et Greg. Bersmanni, et apud Gryphium prodierunt, ea ad calcem Heroidum et Amorum Ovidii, tamquam catalecton, rejicitur, ut fragmentum ex Epigrammatibus. Postquam vero a Dominico Mario, et duobus Heinsiis observatum est, in optimis et veterrimis codicibus Msptis eam Elegiam inter Amores Ovidii, lib. III, El. 5, exstare, cœpit deinceps ab editoribus, tamquam genuinum et indubitatum Ovidii Nasonis carmen, eo loco reponi. Quod inprimis a Petro Burmanno in duabus Ovidii editionibus, minore et majore, factum est. Igitur quia Ovidii esse, non dubitatur hodie, et in præstantissimis ejusdem editionibus vulgatum illustratumque est, nolui equidem, nec debui, tamquam singulare diversi poetæ carmen collectioni meæ inserere.

Poterant nonnulla alia Veterum carmina ad hanc Amatoriorum classem referri, ut Petronii *de muliere formosa* fragmentum, Arborii Elegia *ad Nympham nimis cultam*, et Incerti lyricum *ad Lydiam*. Sed hæc dudum locum in aliis classibus Operis mei invenerunt, et tom. II et III Poet. min. leguntur. In Codice MS bibliothecæ Guelf. Triumviris Amorum Catullo, Tib. Prop. adnexa legitur Elegia ad Deliam, antiqua manuscripta, quæ incipit: *Delia feminei specimen venerabile sexus.* Hanc quia elegantem planeque ad Veterum genium compositam reperiebam, parum aberat, quin his Amatoriis adjungerem. Sed intercedebat suspicio non levis, esse a recentiore poeta, fortasse Italo, sæculi XIV, vel XV, scriptam, quem curiosius investigare non vacabat.

Sed quæ prætcrea a quibusdam Operum Ovidii editoribus, et a Goldasto inter Erotica et Amatoria Opusc. relatæ sunt, Elegia de Pulice, et de Philomela, eæ licet nugaces et nullius ingenii sint, tamen, ut antiquitus tradita carmina pro nostro instituto adservemus, non omnino prætermittendæ videntur. *Elegia de Pulice* sub Ovidii nomine, quamvis Ovidio plane indigna, quum in quibusdam vetustis collectionibus carminum Ovidio impudenter suppositorum, tum etiam in nonnullis Operum Ovidii editionibus ad calcem Heroidum et amatoriorum librorum, ut in Micylli et Bersmanni exemplaribus, sæpius edita est. Exstat in Bibliotheca Ducali Guelferbytana codex recenter inventa typographia, sed sine loci et anni nota, impressus, qui egregios hosce libros in titulo venditat : « Ovidius Nasonis (sic) Sulmonensis poeta de tribus puellis : Ovidius Nasonis de sagaci nuncio : Ovidius Nasonis de pulice. Pamphilus poeta de amore : Epistola amatoria metrice conscripta ». Eumdem codicem se habuisse refert J. A. Fabricius, Bibl. Lat. lib. I, cap. 15, pag. 468, edit. Ern. Diversæ collectioni carmen hoc ludicrum inseruit Casp. Dornavius in Amphitheatro sapientiæ Socraticæ joco-seriæ, tom. I, pag. 27. Verum nomen auctoris, quod in Ovidium transierat, detexit Goldastus, et *Ofilium Sergianum* proscripsit. De quo ipse in Præfat. ad Erotica Ovidii, pag. 23 : « Quod hic auctor modo renascitur, beneficio debet veterum schedarum Illustrissimi Monasterii Campidonensis in Algovia. Qui Ovidio tribuerunt, scire licet, deceptos fuisse adfinitate nominum. Facilis enim migratio fuit τοῦ *Ofilius* in *Ovidius* ». Quicumque autem Ofilius ille Sergianus fuerit, certe lusu illo de Pulice leve et lascivum Ovidii ingenium exprimere voluit, et sigillatim Elegiam ejus XV libri II Amorum, qua de annulo, quem amicæ suæ dono miserat, ludit, manifeste imitatus est. Nam ut hic annulus, suum munus, fieri optat, sic ille in pulicem mutari, ut particeps fieri secretorum puellæ, et in sinum occultioraque ejus membra

subrepere queat (1). Mich. Marollesius hanc Elegiam Gallica prosa vertit, adjecta aliqua notula, ad calcem librorum de Arte amandi, inter opuscula reliqua Ovidii operibus adjungi solita, Paris. 1660, in-12. Ibi tale judicium de ea fert: *Quoique ce poëme ne fût pas d'Ovide, ce n'est pas à dire aussi qu'il soit si mauvais qu'on le doive juger indigne d'être lu. Les pensées en sont jolies, et ne peuvent avoir été imaginées que par un esprit enjoué qui faisait aisément des vers.* Gallicam metaphrasin *Pulicis* Ovidiani Fabricius refert, exstare in libello parum serio, et parum pudico, qui Amstel. 1720, in-12, prodiit sub titulo *les Tétons*, pag. 50. Præter hos neminem alium cognovi, qui ei poemati recensendo curam aliquam adhibuerit. Ipse ad manus habui duo exempla ejus, a Bersmanno et a Goldasto vulgata, quæ parum differre lectionibus comperi, sed eadem contuli cum textu, quem habebat vetustissima editio codicis Guelferbytani supra memorati, in quo quidem nonnullas lectionis varietates, sed plerumque deteriores, et barbarum sæculum redolentes inveni; quas etiam exscripsit et adnotavit Pol. Leyserus Hist. poet. med. ævi, pag. 269. Cæterum qui hic jocum ludumque lascivo poetæ suppeditavit Pulex, idem et gravibus viris materiam exercendi in ejus laude ingenii præbuit. Quippe encomium Pulicis scripsit Michael Psellus, et post eum Cælius Calcagninus,

(1) Idem jocularc votum in pulicem transeundi, fortasse hoc ipso e carmine delibatum, nuper in epistola amatoria illustris auctoris reperi, nempe in una earum, quas Æneas Sylvius, Pii II nomine Pontifex max. in libello, qui inter ejus opera exstat, de Euryali et Lucretiæ amoribus, quasi hos inter amantes missas, confinxit, quaque proposita in Schelhornii Amœn. liter. tom. I, pag. 265, probatur, epistolas amœbæas, quæ vulgo ferantur, Electoris Palat. Caroli Ludovici et Degenfeldiæ Baronissæ, ex istis Æneæ esse descriptas. In ea igitur epistola hæc verba leguntur: « Et si plures te amant, nullorum tamen ignis comparandus est meo. At tu non credis, quia loqui nequeo tecum: id si daretur, non me contemneres. O utinam fieri possem hirundo! sed libentius transformari in pulicem vellem, ne mihi fenestram clauderes ».

item Petrus Galissardus Araquæus, ut notavit G. J. Vossius, Instit. Orat. lib. III, pag. 333. Tum etiam plurium ejus argumenti auctorum monumenta protulit et recensuit Casp. Dornavius, Amphith. sap. Socrat. tom. I, pag. 21, seqq. Et in Biblioth. Luxtorphiana, part. II, pag. 331, leguntur *Tractatus varii de Pulicibus.* Utopiæ s. a. c. fig. Calcagnini encomium pulicis etiam in *Dissertationum ludicrarum et Amœnitatum* Syllogen receptum est, in qua alia similia encomia podagræ, formicæ, pediculi, anseris, asini, etc., a celeberrimis viris scripta leguntur. Quod opus Lugd. Bat. an. 1644, in-12, excusum nuper mihi in ornatissima bibliotheca S. V. Carpzovii videre licuit.

Quam duce Goldasto sequi jussimus, *Elegia* in vulgaribus quidem exemplis pseudepigraphorum Ovidii *de Philomela* inscribitur, sed re ipsa enarrationem nominum et verborum continet, quibus diversæ avium et quadrupedum voces in lingua Latina signantur. Incipit enim a laude Philomelæ, atque illam præstantiam vocis et varietatem cantus multiplicem prædicat, quæ mille vocum discrimina referre, et, quos aliæ aves sonos edant, uno veluti concentu et modulamine efferre valeat. Præterea cantum ejus continuum et non intermissum laudat, quod aliæ aves interdiu tantum, philomela nocte dieque canat. Hinc aliarum volucrum voces enarrare aggreditur. In antiquioribus Operum Ovidii edd., ut in Aldina utraque an. 1502 et 1515, in Parisina Colinæi, Gryphiana Lugdunensi, et Bersmanni Lipsiensi, aliisque, hæc Elegia inter pseudepigrapha Ovidii relata est, deinde a M. H. Goldasto inter Erotica et Amatoria opuscula, Francof. 1610, pag. 71, et a Casp. Dornavio in Amphith. sap. Socrat. tom. I, pag. 391, quorum exempla parum inter se differunt. Sed Andr. Schottus, Observatt. human. lib. II, cap. 51, pag. 101, multum ab istis diversum exemplum e vetustis membranis protulit, quod non modo plurima in verbis voces exprimentibus mutat, sed et initio integros versus

octo abjicit, eosque in diversos quatuor contrahit, nempe hos:

> Scribere me voces avium Philomela coegit,
> Quæ cantu cunctas exsuperat volucres.
> Nam Philomela canit vocum discrimina mille,
> Et cantare simul nocte dieque potest.
> Parrus enim, etc.

Hoc exemplum Petr. Burmannus Anthol. Lat. lib. V, num. 143, repetiit, quia vulgato antiquo magis genuinum et emendatum censuit. Quod mihi secus videtur. Quamvis enim hic illic lectiones meliores habeat, sunt tamen alia vulgarium editionum, quæ præferenda putem. Et quod initio nonnulli versus, qui laudem philomelæ et caussam suscepti argumenti continent, abjecti sunt, alia in brevius contracta, hoc auctorem aliquem aut librarium recentiorem prodit, qui carmen hoc ad primarium argumentum suum reducere, et ad formam glossarii de vocibus animalium, qualia multa in bibliothecis manuscripta etiamnum exstant, redigere voluit; adeoque, quæ in antiquo exemplari de laude philomelæ dicuntur, tamquam superflua rescidit. Ipsæ mutationes in exemplo Schotti factæ satis ostendunt, hoc ex illo antiquiore ductum et correctum esse. Nam qui versus initio carminis præponitur: *Scribere me voces avium*, etc. hic e medio antiquioris exempli, v. 45, ubi idem legitur, sumptus est; et qui hic sequitur v. 47: *Sed jam quadrupedum fari*, etc. in alium mutatus est, ut suo loco indicabitur. Quamobrem mihi satius visum est, textum vulgarium editionum sequi, cujus mihi duo exempla, nempe Bersmanni et Goldasti, ad manus sunt, eumque e Schotti exemplo, ubi opus fuerit, emendatiorem reddere. Auctorem huic Elegiæ Goldastus proscripsit *Album Ovidium Juventinum*, qui homo cujus fuerit, et quando vixerit, haud cuiquam facile ad expediendum fore arbitror. Ipse Goldastus de eo hic refert: « Hanc inscriptionem habet

exemplar a Jacobo Cujacio JC. collatum, quod ex bibliotheca Antonii Verderii, Nobilis Lugdunensis, nactus sum. Hominem in Longobardia natum, an versatum, indicat versus ille:

Dulce palara sonat, quam dicunt nomine drostam.

Nam *drostæ* vox, si non ab Herulis et Gothis, certe a Longobardis fuit Italiam illata. Est autem ea avis, quæ nobis hodieque *Drostel*.. Porro hunc scriptorem fuisse Christianum, satis arguit versus ille penultimus:

Cuncta suo Domino depromunt munera laudum,

Nam cuncta animalia, pennipotentia maxime, Deo laudes dicere, in Psalmis docemur». Eamdem sententiam de auctore profitetur Schottus. Nihil tamen certi ex eo loco decerni posse de religione auctoris, Burmannus censet ad versum penult. quia *suo domino* referri possit ad dominum seu possessorem animantium, ut supra de psittaco:

Atque suo domino χαῖρε sonat vel ave!

Sed neque omnes vel aves, vel feræ et quadrupedes suos dominos vel possessores habent, neque scriptor aliquis profanus hoc umquam dixit, vocibus suis animalia suos dominos laudare. Qui hic dicitur *cunctorum animantium dominus*, eorum creator est, qui quia voces suas omnibus dedit, hinc e formula sacrarum literarum ei omnia dicuntur munera laudis depromere, *sive sileant illa*, *sive sonare queant.* Neque omnino auctorem hujus carminis e vetustioribus esse existimo. Quippe copia illa et mira varietas verborum, quæ voces animalium exprimunt, quorum pauca lingua antiqua Romana habuit, hoc carmen docet ea ætate scriptum esse, qua lingua ea incursu peregrinarum gentium, et alienarum permixtione vocum, amplificata non minus, quam corrupta erat. Quamquam et veteres Romanos vocibus animalium discernendis et verbo exprimendis stu-

duisse, nonnulla auctorum testimonia probant. Terent. Varro, de Ling. Lat. lib. VI, pag. 81 Oper. multa verba recenset, quæ ab animalium vocibus dicit usu linguæ in homines translata. Spartianus in Geta, c. 5, memorat, familiare huic Cæsari fuisse, has quæstiones Grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, easque de veteribus adprobare; ubi exempli caussa undecim ejusmodi voces enumerantur. Cæterum in vocibus animalium, quas hoc carmen enarrat, colligendis et explicandis viri eruditi antiqua et recentiore ætate multam operam posuerunt. Glossaria, vel catalogi earum vocum, Græci et Latini, quum manuscripti, tum impressi passim exstant. Duo ejusmodi Latina bibliothecæ Leidensis Petr. Burmannus adnotationi suæ ad Anthol. lib. V, ep. 143, p. 424 et 434, integra inseruit: idem eodem numero carmen aliud voces animantium recensens, et versibus hexametris scriptum, subjicit; et in nostræ bibliothecæ Academicæ Mspto veteri, quod Cosmographiam Æthici cum Itinerario Antonini continet, inter alia fragmentum legitur carminis, quale nostrum est, de vocibus animalium, quod plures versus cum nostro communes habet, atque sic incipit:

Ut balatus ovis, sic est rugire leonis.
Ut latrare canis, barritus sic elephantis.
Est hinnitus equi, nec non ruditus aselli, etc.

Sed et nostro superioreque sæculo viri docti quam plurimi argumentum hoc scriptis suis, et singularibus adeo dissertationibus illustrarunt, quos quia omnes enumerare longum est, amandare meos lectores licebit ad auctores, qui eorum recensum egerunt, nempe Petr. Burmannum loco jam adlegato, et J. A. Fabricium Bibl. Græc. lib. II, cap. 11, § 4, ubi plures, eosque recentissimos auctores addidit Harlesius V. C. novæ edit. tom. I, p. 724. Versibus hoc argumentum explicasse videtur *Nic. Barii Ornithophonia*, carm.

lat. et germ. Bremæ, 1695, in-4, c. f. Cæterum ad constituendas vocum, nostro in carmine occurrentium, lectiones multa me fateor, immo plurima, e Petr. Burmanni adnotatione hausisse.

Quæ quarto loco sequitur, Elegia similiter quidem *de Philomela* inscribitur, sed dissimili argumento est. Nempe solam lusciniæ, ejusque cantus et moris descriptionem vel laudem continet. Edidit eam Pithœus in Prætermissis, pag. 485 edit. Paris. et pag. 607 edit. Lugd. post eum Goldastus in Eroticis et Amator. opusc. pag. 74; novissime P. Burmann. Anthol. Lat. lib. V, num. 149, qui Goldasti editionem ignoravit. De eo carmine Goldastus in Præfat. « Hujus quatuor habui scripta exemplaria : duo ex illustrissimo S. Galli apud Helvetios Monasterio, tertium ex bibliotheca Bartholomæi Schobingeri JC. quartum a Petro Roveriano, typographo Genevensi. Tria erant ἀνεπίγραφα· solus Sanctigallensis codex, in quo Claudiani, Fortunati, Paulini et Walafridi quædam poemata, hujuscemodi repræsentat titulum: *Versus Juli Sperati de Philomela*, cujus etiam scripturam et structuram versuum per omnia sequuti sumus». Goldastus tamen in ipsa inscriptione Elegiæ nomini *Julii Sperati* literas V. C. adposuit, quod nescio qua auctoritate fieri potuerit, si codex ipse non indicavit. In codice Bibliothecæ Leidensis titulum esse Burmannus refert : *Incipit versus de Filomela*. Mihi aptius visum est inscribere *De laude Philomelæ*. Idem Burmannus adnotavit, carmen hoc multis in locis imitatum esse Alvarum Cordubensem, monachum sæculi noni, in duobus de Philomela carminibus, sed mutilatis, quæ exstant inter ejus Opera in tom. XI Hispaniæ Sacræ Henrici Florezii, pag. 275 et 276. Ex hac imitatione Alvari colligas, auctorem nostri carminis satis antiquum esse.

Quinto hujus classis loco ponere placuit *Cælii Symposii Ænigmata*. Quum autem plura sint, quæ de auctore illo, tum ejus carmine novi generis monenda sunt, satius puto,

ea singulari præfatione, Symposii opusculo præmittenda, exponere.

Ausonii Griphum Ternarii numeri, qui inter ejus Idyllia locum undecimum occupat, Nic. Reusnerus, Ænigmatographiæ pag. 125, in Syllogen Ænigmatum veterum auctorum recepit; et propterea instituto meo consentaneum existimavi, si carmen hoc, per se admodum celebre, tum Ænigmatis Symposii genere et materia simile, et lusum æque convivalem exhibens, subjungerem his, nec abesse a classe *Ludicrorum* paterer. Caussa et occasio condendi hujus carminis, ut ipse Ausonius in præfatione memorat, eadem fuit, quæ ænigmatum Symposii, et facta super mensam ejus invitatione, ad exemplum et præceptum Eclogæ Horatianæ, in qua propter mediam noctem, et novam lunam, et Murænæ auguratum, *ternos ter cyathos adtonitus petit vates*, cepit ipse impetum loci illius de ternario numero singulari carmine per continua rerum ternarum exempla explicandi, quod ille extemporali plane opera effudit, et cœptos inter prandendum versiculos ante cœnæ tempus absolvit; hoc est, dum bibit, et paullo ante quam biberet. His narratis semetipsum ut *poetam male sobrium*, quemadmodum Symposius *ebriam Musam*, excusat. Singulari virorum eruditorum cura hoc Idyllium ex Operibus Ausonii selectum, et seorsum editum, et notis illustratum memorat Fabricius, Bibl. Lat. lib. III, cap. 10, pag. 143, ed. Ern. Quippe Franciscus Silvius, Ambianus, eruditam in Ausonii Griphum *enodationem*, ut adpellavit, Lutetiæ edidit a. 1516, quam laudat Vinetus, vilius æstimat Scaliger in Epist. Claudius item Minos Divionensis illustravit Paris. 1574, in-4, ac Franciscus Sanctius Brocensis una cum Ovidio in Ibin, Salmanticæ, 1596, in-8. Seorsum etiam editum illustratumque lego Ausonii Griphum de numero ternario per Jo. Kirchmannum, Rostoch. 1607, in-4. Græcis versibus expressit Federicus Morellius in Historia numerorum, Paris. 1609, in-8, in qua etiam Adriani Turnebi carmen de Bi-

nario, Paulli Huralti Hospitalii, Aquensis Archiepiscopi, Tetras, et ejusdem Morellii Pentas, seu Quinarius. Multa etiam hujus carminis castigavit et explicuit Jos. Scaliger Epist. 199, pag. 403. Nos in recensendo eo textum recentissimi editoris Souchæi sequemur, interpretatione autem griphorum brevi et succincta defungemur, adnotationibus nobiliorum interpretum in subsidium vocatis.

NOTÆ

QUIBUS VARIANTES LECTT. CODICUM MSPTT. ET EDD. VETUSTARUM MAXIMIANI SIGNANTUR.

V. Codex Vossianus, collatus cum exemplo Pithœano in Epigr. et Poem. vett.

R. Rottendorfianus, collatus cum edit. Catulli, Tib. Propert. Paris. 1753.

L. Cod. Luneburgicus, sæculo XV exeunte scriptus, quem possidet J. N. Niclasius.

GR. Variantes ignoti codicis exemplo Cornelii Galli Gronoviano adscriptæ.

G. Editio Maximiani vetusta Germanica.

A. Editio Maximiani (Corn. Galli) Ascensiana. Paris. 1503.

B. Antiqua Basileensis per Henr. Petrum, 1530, in-8.

Pu. Editio Maximiani Pulmanniana post Catull. et Tibullum. Antverp. 1569, in-12.

Pi. Pithœana in Epigr. et Poem. vett.

O. Inter Erotica et Amat. opusc. Ovidii a Goldasto edita.

DE

MAXIMIANO ETRUSCO

SIVE PSEUDO-CORNELIO GALLO

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. EBERHARDUS Bethuniensis (scriptor sæculi XIII), in Labyrintho, Tractatu III de Versificatione, apud Polyc. Leyserum in Hist. poet. med. ævi, pag. 826.

Quæ senium pulsant, incommoda maxima scribit,
Et se materiam Maximianus habet.

II. ALEXANDER de Villa Dei (sæculo XIII), in Doctrinali puerorum, initio.

Scribere clericulis paro Doctrinale novellis,
Pluraque doctorum sociabo scripta meorum,
Jamque legent pueri pro nugis Maximiani,
Quæ Veteres sociis nolebant pandere caris.

Et paullo post :

Quamvis hæc non sit doctrina satis generalis,
Proderit ipsa tamen plus nugis Maximiani.

III. JACOBUS Magni, Tolosanus (sæculo XV), in Sophologio (cujus exemplar antiquissimum, nullo anno et loco notatum, in fol. servat biblioth. Duc. Guelf.), pluribus locis libri I, II et III, versiculos Maximiani adducit; inprimis, lib. III, cap. 1, *de miseria et hujus vitæ brevitate*, quod fol. 67 edit. Parisiensis anno 1516 occurrit, aliquammultos ejus versus constipat, ut ex

Eleg. I, v. 113: *O quam dura premit*, etc. præterea ex Eleg. I, v. 265, 277, 289; II, 40, 51. Conf. Ger. Jo. Vossius, Instit. Orat. lib. V, cap. 13, pag. 417.

IV. ALBERTUS ab EYB, Cubicularius Summi Pontificis Pii II, plures versus Maximiani adducit in Margaritæ poeticæ cap. 13, fol. 86 editionis Basileensis an. 1503. Refert Fontaninus Hist. liter. Aquilei. pag. 47.

V. PETR. CRINITUS de Poetis Lat. cap. 42, ubi de Cn. Cornelio Gallo.

Leguntur ætate nostra Elegiarum libri sub nomine Corn. Galli, qua in re facile est imponere imperitis hominibus. Qui autem paullo diligentius antiquitatem observarunt, nihil minus censebunt, quam ut hæc referenda sint ad poetam Gallum.

VI. GREGORIUS Britannicus, Ord. Prædic. in sermonibus funebribus, excusis Venetiis an. 1505, in-8, hæc carmina sub vero nomine Maximiani profert (teste Fontanino in Hist. lit. Aquil. p. 48) Eleg. I, 221:

Ortus cuncta suos repetunt, matremque requirunt,
Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil, etc.

VII. DOMINICUS MARIUS NIGER in Enarrationibus Amorum Ovidii, lib. I, Eleg. XV, editionis Venetæ apud Jo. Tacuinum de Tridino an. 1518, in-fol.

Gallus Foro-Juliensis. Hujus nulla prorsus carmina exstant; nam qui nuper protulit in lucem Elegiarum quemdam libellum, cujus auctorem Gallum fecit, aut prudens sciensque, sperans aliquid inde emolumenti se aucupaturum, rudibus lectoribus imposuit, aut judicio penitus caruit. Carmina enim illa, quibus ut fides fraudi adhiberetur,

Fragmentorum titulum præposuit, ridicula sunt, nec digna, ut Galli (quem maximi semper fecerunt ejus temporis optimi poetæ) ingenio adtribuantur.

Refert Fontaninus, l. c. pag. 45.

VIII. FRANC. FLORIDUS SABINUS in Apologia Linguæ Latinæ, pag. 49 Operum.

Cornelii Galli scripta, quamvis durior plerisque visus fuerit, utinam non penitus intercidissent! Nam quæ illius nomine circumferuntur, nihilo minus, quam veterem antiquorum elegantiam leporemque sapiunt, ut ex primis quatuor versiculis quivis vel mediocriter in bonis poetis versatus, nebulonem aliquem illam nobis fæcem obtrusisse, acu, quod aiunt, tangere possit.

IX. LIL. GREG. GYRALDUS de Poetar. hist. dial. IV, tom. II Opp. pag. 210.

Miratus sum quorumdam impudentiam, ne dicam amentiam (1), qui tralatitios quosdam et ementitos versus sub Galli poetæ nomine ediderunt, quum in iis neque phrasis, nec tempus Gallo conveniant, qui tertio et quadragesimo suæ ætatis anno, sua sibimet manu mortem accersivit, in iis autem se senem describit. Sed nec in plerisque versibus purus et sincerus est sermo Latinus, quin et syllabarum moræ, et tempora metri leges nonnumquam excedunt. Maximiani vero, nugatoris cujusdam et nebulonis potius, eorum versus plurimi sunt. Et si hoc avetis nosse, ex ve-

(1) Gyraldum his verbis respexisse ad Crinitum, ejusque de Elegiis Maximiani judicium, perperam et perverse judicat Bailletus, *Jugement des Savants*, tom. III de Poet. Lat. num. 1147. Cui respondet Moneta, Adnot. ad Bailletum, et in Menagianis, pag. 342, dicens, Crinitum neque nominatum esse a Gyraldo, neque nominari potuisse inter eos, qui Maximiani Elegias Corn. Gallo tribuerint, quem sciverit paria secum sensisse, et plane rejecisse, quæ sua ætate sub nomine Corn. Galli adparuerint.

tustioribus adhuc quibusdam exemplaribus est videre, in quibus Maximiani ipsius nomen legitur, illius, inquam, Maximiani, cujus et insignis Grammaticæ nugator Alexander nugas irridet, quod nomen in editis et excusis nuper libellis per fraudem est prætermissum. Unam vero vel alteram ipsius Galli esse non abnuerim.

X. SEBAST. FOXIUS de Imitatione, seu formandi styli ratione, lib. II, p. 42, b. edit. Antverp. 1554.

Quibus (Ovidio, Tibullo et Propertio) non est inferior in eo genere Corn. Gallus, sed durior, et horridior, ut senile aliquid in ipso, quod idem quoque deplorat, et morosum adhuc agnoscas.

XI. JUL. CÆS. SCALIGER, lib. VI Poet. qui et Hypercrit. cap. 7, pag. 852.

Cornelius Gallus durior, sententiarum tamen lepore ac festivitate condivit asperitatem numerorum. Quod Lyricum inscribitur, illius sane non est, sed inepti cujuspiam. Ea vero Elegia, in qua canitur Aquilina, quamquam habet sententias elegiacas, tamen hominis est Græcæ literaturæ ignari, et quem ratio fugeret syllabarum. In sequenti *Atque sub exhausto pectore pingue femur*, Non est femur sub pectore; neque pectus exhaustum probaveris, quasi phthoe laboret: melius Ovidius: *Et castigato suberat sub pectore venter.*

XII. JANUS DOUSA in Præcid. ad Petron. lib. II, cap. ult.

Animadvertas licet barbariem ac sordes nescio cujus Maximiani, qui usque adhuc tamen pro principe illo Elegiographo Corn. Gallo, non dico mihi, *Nec bardo juveni, neque naris obesæ*, sed stolidæ imperitorum turbæ obtru-

sus, in cujus impurissimis, carminibusne, an criminibus, dicam? hic quoque inter cætera pentameter occursurus est tibi:

> Carnis ad officium carnea membra placent.

Ut enim *carnea membra* ista, pro carnosis et succiplenis, auctoritate Martialis, qui *carnarius sum*, eodem fere significatu princeps visus procedere, defensitare facultas sit nobis; illud tamen qua ratione ferri possit, non video, *carnis officium*, pro Veneria corporis oblectatione, reque voluptatum, positum esse, apud eos utique, qui Latine, quam barbare, loqui potius, vel scriptitare se student, etc.

XIII. HIER. COLUMNA ad Ennii fragm. pag. 178 edit. Hess.

Cornelius Gallus, cujus si germana sunt, quæ in manibus habemus, effeta jam Musa videtur cecinisse Eleg. I, 221:

> Ortus cuncta suos repetunt, matremque requirunt, etc.

XIV. MART. ANT. DELRIUS in Comment. ad Senecæ Hippol. Part. II Syntagm. Trag. Lat. pag. 93.

Maximianus, in querela senectutis, Eleg. IV, 26:

> Certe difficile est abscondere pectoris ignes,
> Panditur et clauso sæpius ore furor.

Furorem posuit pro amore, etc. Dixi autem Maximianus cum auctoribus Sophologii, et Poeticæ Margaritæ; non cum vulgo Cornelius Gallus. Ex tribus enim codicibus manuscriptis comperi, hunc Maximianum, qui temporibus Boethii vixit, versuum illorum non valde lepidorum auctorem esse. Unus codex penes me est dono Lud. Carrionis JC. alter penes Victorem Giselinum Medicum: tertius fuit Fr. Martinii Gandensis, amici mei intimi, etc.

XV. CASP. BARTHIUS, Adversar. lib. XVII, cap. 11, pag. 874.

Suspicatus sum aliquando, idque alibi demonstrasse inde puto, multa in his Elegiis esse ex Cn. Gallo descripta, sed in sensum hujus Maximiani detorta.

XVI. IDEM, Advers. lib. XXI, cap. 6, pag. 1029.

Teres collum in Elegiis, quas ex Corn. Gallo puto quemdam Maximianum contraxisse, unam certe vel alteram.

XVII. IDEM in not. ad Grat. Cyneg. v. 30.

In Elegiis, quæ Maximiani nomine inscribuntur (ego vero interpolatas plerasque, et in Epitomam sive ex Cor. Gallo, sive ex alio felicioris sæculi Poeta, pro captu ævi sequioris, arbitror), *Sicut in auricomis pendentia pluribus hortis*, etc.

XVIII. IDEM ad Stat. Silv. I, 2, 34.

Maximiani Elegiæ, ævi non optimi, nec tamen contemnendæ.

XIX. GER. JO. VOSSIUS de Poetis Latinis, cap. 2, p. 25.

Cornelius Gallus Forojuliensis Poeta, a quo primum Ægyptum rectam supra diximus, quadragesimo ætatis suæ anno propria se manu interfecit. (Donatus in vita Virgilii.) At Maximiani sunt, quæ Cornelio Gallo tribuuntur vulgo: etiam a Petro Crinito lib. de Poetis (1), Rob. Titio lib. I

(1) De Crinito (cujus verba superius adducta plane aliud docent) fallitur Vossius, inductus haud dubie a Jos. Scaligero, qui in Animadv. in loc. contr. Titii, pag. 22, adfirmaverat, Crinitum de Maximiano Cornelium Gallum fecisse. Qui ipse deceptus est vita Galli Elegiis Maxi-

locorum controversorum, cap. 15, et Sebastiano Foxio, lib. II de Imitatione, sive ratione styli, qui eum Tibullo et Propertio non inferiorem ait in carmine elegiaco. Quanto rectius Maximianum hunc Poetam barbarum vocat Yvo Villiomarus adversus Titium, quem dixi. Et sane in Mspto nostro non Gallo, sed Maximiano adtribuuntur.

XX. THOM. REINESIUS, Epist. ad Daumium LXXIX, pag. 203.

Feruntur ejus (Maximiani) carmina *de Senectute*, *Virtute*, *Ira*, *Invidia*, *Patientia*, *Avaritia*. Ejusdem Maximiani in Virgilium et Cicer. inter XII Scholasticorum Poetarum carmina versus; item *de 4 anni temporibus*, *de Iride*, et alii, meliores sunt, quam ut cum semibarbaris censeantur, ævi tamen non optimi... Ad Maximianum est Epistola 24 Symmachi l. VIII, verum illum ego potius sexti septimive sæculi esse dixero, etc.

XXI. OLAUS BORRICHIUS in Dissertat. Acad. de Poetis, pag. 853.

Addi Propertio solet Cornelius Gallus, sed carmen ejus præter alias ineptias non olet vetustatem, coque sequioris ævi fetus recte judicatur. Nam non nisi de fæce hæc ejus sunt, Eleg. I, 47:

> Hoc quoque virtutum quondam certamine magnum
> Socratem palmam promeruisse ferunt.

Item hi sequentes, quorum prior in Eleg. I, 113, posterior in Eleg. V, 20.

> O quam dura premit homines conditio vitæ!.....
> Efficior demens alter Ulysses ego.

miani a Gaurico præfixa, quam ille putavit Criniti auctoris esse. Observavit hoc Moneta in Menagianis novis, pag. 342; etiam Goldastus et Fontaninus.

Iterum El. V, 96:

Quo tibi fervor abit, per quem feritura placebas.

XXII. JANUS BROUKHUSIUS in notis ad Tibull. lib. I, Eleg. I, v. 86.

Lege sis Longinum Maximianum (quem pro Cornelio Gallo habent inficeti quidam mortales) malorum temporum haud omnino pessimum nugatorem.

Paria dicit ad I, 9, 50, et ad Propert. II, 12, 11.

XXIII. IDEM in not. ad Propert. lib. II, El. 25, v. 92.

De Cornelio Gallo nihil nobis restat, præter solam memoriam. Nam libellus ille, qui vulgo sub ejus nomine circumfertur, auctorem habet nescio quem Maximianum, scriptorem barbarum, lutulentum, ac tantum non stercoreum. Primus fucum studiosis hominibus facere ausus est, sub nomine tam bono, Pomponius Gauricus, et successit ei mangonium, quamquam contra starent viri eruditissimi, adplaudentibus inficeti vulgi suffragiis.

XXIV. JO. HILDEBR. WITHOFIUS, Encæn. Critic. lib. III, cap. 3, pag. 297.

Hoc verum est, auctorem illum (Maximianum) Ovidio quidem, Propertio, ac Tibullo minime comparandum, multis tamen sequentium sæculorum poetis, qui post Antoninorum tempora floruerunt, vel parem, vel sæpe longe anteponendum esse.

MAXIMIANI ETRUSCI

ELEGIARUM LIBER.

ELEGIA I.

ÆMULA quid cessas finem properare senectus?
  Cur et in hoc fesso corpore tarda sedes?
Solve, precor, miseram tali de carcere vitam :
  Mors est jam requies, vivere pœna mihi.
Non sum, qui fueram; periit pars maxima nostri :
  Hoc quoque quod superest, languor et horror habet.
Lux gravis.in luctu, rebus gratissima lætis :

1. *Quid cessas* V. R. Gr. L. G. Pu. *cur cessas* A. Pi. O. — *Æmula quid cessas. Æmulam* senectutem dicit, Virgilium sequutus Æo. V, 415. Ita vero dici arbitror, quasi invisam, ioimicam et nocentem, quia æmulationi vis adversaria et studium detraheudi adesse solet.

2. *Cur et infesso* G. *Cur in hoc fesso* V. R. Gr. *Cur et in hoc* L. A. Pu. Pi. O. *in hoc lasso* R. *tarda venis* V. R. Gr. L. G. *tarda sedes* A. Pu. Pi. O. — *Tarda sedes*, h. e. moraris, cessas, hæres quasi fixa et immobilis. Ovid. Fast. IV, 300 : « Sedit limoso pressa carina vado ». Cic. Epist. XVI, 7 : « Iis ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ uon sederemus ». Qood alia exemplaria habent *tarda venis*, contrarium sententiæ auctoris esse videtor, qui senectutem non venire, sed abire vult.

3. *De tali carcere* V. L.

4. *Mors est jam requies.* Sic in Eleg. de Spe, v. 5, dicitur « æterno mortis requiescere portu ». Ita et Ovid. Trist. I, 2, 52 : « Mors mihi munus erit », et Seneca Herc. OEt. 1021 : « Mors sola portus dabitur ærumnis meis ».

5. *Non sum, qui fueram.* Petiisse hoc, observante Rich. *van Ommeren*, videtur a Propertio, qui lib. I, 12, 11 : « Non sum ego, qui fueram ». Sic et Ovid. Trist. III, 11, 25 : « Non sum ego, quod fueram : quid inanem proteris umbram? » — *Maxima nostra* L.

6. *Languor et error* V. Gr. *habent* R. quod admitti potest.

7. *Mæstissima lætis* A. B. Pi. O.

Quodque omni est pejus funere, velle mori.
Dum juvenile decus, dum mens sensusque manebat,
Orator toto clarus in orbe fui.
Sæpe poetarum mendacia dulcia finxi,
Et veros titulos res mihi ficta dabat.
Sæpe perorata præcepi lite coronam,
Et data sunt linguæ præmia digna meæ;
Quæ quum defectis jam sunt immortua membris,
Heu! senibus vitæ portio quanta manet?

et al. sed *gratissima lætis* habent V. Gr. L. G. Pu. — Et hoc poscit mens auctoris, quam etiam repetiisse videtur infra v. 115. Hic *gratissima* τῷ *gravis* opponitur. Ed.

8. *Velle mori*, h. e. Tam misero statu esse, ut nihil optare, quam mortem, supersit, eoque sensu continuo cruciari, id vero pejus ipsa morte est. De formula *velle mori* egi olim ad Sev. Sancti carm. buc. vs. 76. — Hujus operis tom. I, p. 583. Ed.

9. *Maneret* V. L. G.

11. Hoc distichon cum sequente transponitur in cod. R. — *Poetarum mendacia dulcia finxi*, carmina lusi ficto argumento. *Dulcia mendacia*, quæ oblectandi caussa finguntur. Sic et alii de poetis, Ovid. Fast. VI, 253: « valeant mendacia vatum ». Lucilius Ætn. 566: « veteris mendacia famæ », quæ fabulis veterum poetarum celebrata sunt.

12. *Veros titulos*, h. e. laudem, honorem, famam, eam præsertim, quam quis auctor libri, nomine suo inscripto, consequitur. Similiter Ovid. Trist. I, 1, 53: « Donec eram sospes, tituli tangebar amore; Quærendique mihi nominis ardor erat ». —*Ficta dabat* V. R. L. G. Pu. reliqui *dedit*.

13. *Perorntam* G. *percepi* G. A. Pu. Pi. O. recentiores cum msptis *præcepi*. — *Perorata lite*, h. e. controversia bene acta in judicio: *præcepi coronam*, præripui aliis victoriam, qui mecum eamdem caussam agebant. Loqui videtur de vera actione forensi, non de ficta controversia, aut exercitatione scholastica apud rhetorem. Nam et infra versu 129 *fori* et *litium rabidarum* mentionem facit; et ipsi oratores caussa feliciter acta in foro, olim victoriæ signum et præmium referre solebant, palmam foribus adfigendam. Juvenal. VII, 117 (nostræ edit. tom. I, p. 547. Ed.): « rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso Figantur virides, scalarum gloria, palmæ ».

14. *Et merui linguæ* V. R. Gr. L. G. Pu. *Et data sunt linguæ* A. Pi. O. et recentiores: *præmia grata* V. R. G. Pu. *præmia digna* A. Pi. O. et al.

15. *Quæ eum defectis* R. Gr. L. Pu. Pi. *defunctis* V. A. O. et al. — *Quæ* quo pertineat, aliter intelligi nequit, nisi referatur ad remotiora versus 9 *mens sensusque*. Quæ, inquit, nempe mens sensusque, si defecto in corpore jam sunt mortua, quantula hæc vitæ, portio est, quæ in senibus manet? nam sine

Nec minor his aderat sublimis gratia formæ :
  Quæ, vel si desint cætera, muta placet.
Quin etiam virtus fulvo pretiosior auro,
  Per quam præclarum plus micat ingenium.
Si libuit celeres arcu intentare sagittas,
  Occubuit telis præda petita meis:
Si placuit canibus densos circumdare saltus,
  Prostravi multas non sine laude feras :

mente et seosu quæ vita esse potest ? et, ut infra v. 122 quæritur : « Sensibus expertem quis superesse putet ? » *Defectis membris* malo scribere, quam *defunctis*, ex illo Martialis XIII, 77 : « Dulcia defecta modulatur carmina lingua Cantator cycnus funeris ipse sui ».

17. *Nec minor his*, scilicet dotibus animi et studiis, de quibus dixi.

18. *Quæ vel si desit, cætera multa placent* V. Gr. *Quæ mihi si desit, cætera multa placent* R. L. *Quæ, vel si desint cætera multa, placet* Pu. Pi. O. et al. quæ rectior videtur lectio. Withofius in Encæn. crit. p. 298, adhuc corrigit *Quæ, vel si desint cætera, muta placet*, sane eleganter, quum poeta ante facultatem suam dicendi jactaverit. Sed ante Withofium sic scribendum jusserat Barthius, Adv. XVII, 11. Consentit P. Burmann. in notis ad Cat. Diras, Anthol. vol. II, pag. 651. — *Muta placet*, per se placet, licet nulla verborum et orationis gratia adjuvetur. Similiter Ovid. ex Pont. II, 7, 52, *gratiam mutam* vocat, quæ nulla deprecatione pro amico utitur : « Culpa gravis precibus donatur sæpe suorum : Omnis pro nobis gratia muta fuit ».

19. *Quin etiam virtus*. Virtutem corporis et vires bene exercitas intelligi, ex sequentibus patet. Adludere videtur ad sententiam Ovidii, Am. III, 8, 3 : « Ingenium quondam fuerat pretiosius auro ».

21. Duorum sequentium distich. hexametri alio, ac nos fecimus, ordine in vulgatis plerisque, tum et in cod. Vossiano, collocantur, ita, ut qui nobis versus 21 est, in istis sit vicesimus tertius, ubi tamen adpositi breviores versus hexametris suis non satis bene respondent. Quem nos prætulimus ordinem, constituunt cod. R. Gr. et L. tum edit. vetus G. Pulm. et Pith. *arcu tentare* vel *temptare* ponunt omnes, quos habeo, scripti et excusi, uno excepto Luneb. qui *intemptare* habet, quod verum et genuinum esse puto, adjuncta syllaba *in* imprudenter a librariis omissa, quod exemplis inf. facile patet.—*Arcu intentare sagittas*, h. e. intendere vel dirigere in prædam, quæ petitur. *Intendere sagittas*, quod idem est, dixit Virg. Æn. IX, 590. *Intendere spicula* Claud. Epith. Pall. v. 20, sicut *intentare manus* Petron. c. 108, *strictos gladios* Suet. Cæs. cap. 14.

23. *Canibus circumdare saltus*, phrasis Virgiliana, Ecl. X, 57, et Georg. I, 140, quem sequitur Nemesianus, Cyn. v. 303 : « Linea quin etiam, magnos circumdare saltus

Dulce fuit madidam si fors versare palæstram,
Implicui validis lubrica membra toris.
Nunc agili cursu cunctos anteire solebam :
Nunc tragicos cantus exsuperare meo.
Augebat meritum dulcis mixtura bonorum,
Ut semper varium plus micat artis opus.
Nam quæcumque solent per se perpensa placere,
Alterno potius vincta decore placent.
Has inter virtutis opes, tolerantia rerum

Quæ possit, volucresque metu concludere prædas ».

25. *Palæstram*, h. e. luctam et pugilatum, quæ versari dicitur, quod versato in omnes partes et flexus corpore, jactatisque brachiis exercetur. *Madida* dicitur palæstra propter sudores, tum quod oleo uncta corpora, unde et *uncta* et *nitida* poetis dicitur, quo spectant etiam *lubrica membra* v. s.

26. *Toris*, l. e. lacertis, qui nervorum ligamentis et nodis valent. Ovid. Am. II, 18, 9 : « Implicuitque suos circum mea colla lacertos ».

28. *Tragicos* vel *tragico contra exsuperore melos* cod. Voss. R. G. *cantu traicos... melos* L. *cantus exsuperare melos* G. Sed hæc male consistunt. Aptius ad sensum esset, si *melo* inveniretur. Nam hunc casum sextum ab inferioris ævi scriptoribus frequenter usurpari, notavi ad Epith. Laur. (huj. op. t. III, p. 401. Ed.) Nunc illud *melos* a librariis corruptum puto ex *meo*, quod rectum videtur, et inde ab Ascensiana edit. in omnes impressos migravit. — *Tragici cantus* hoc loco non accipiendi sunt de iis, qui fiunt in scena ab actoribus fabularum tragicarum, quasi Maximianus se dicat serviisse scenæ, et reliquos histriones cantu superasse; sed generalim sunt maximo clamore et sono editi, quoniam tragici induebant personas e ligno cavato et ore hiante factas, per quas sonus multo grandior solitu emittebatur. Quo pacto auctor vim vocis et laterum suorum extollit, eaque maximos etiam clamores, quales tragicorum sint, se vicisse adfirmat. Declarant hi Prudentii versus contra Symm. II, 646 : « Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato, Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet ». Hinc *bacchari* et *boare* tragœdi dicuntur. Juvenal. VI, 635 : « Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu ». Et Apulei. Flor. lib. III : « Tragœdi ni quotidie proclamant, claritudo arteriæ obsolescit : igitur identidem boando purgant ravim ».

30. Pro *Ut semper* L. *Et* habet. — Set *ut* rectum est, nam vult auctor sententiæ hexametro conclusæ rationem adferre. Ed.

32. *Juncta decore* habet V. Gr. G. *vincta* reliqui, quod et mihi præferendum videtur, licet *juncta* malit Burmann. ad Anth. Lat. tom. II, p. 533, qui ibi per errorem *vincta dolore* scribit.

33. *Tolerantiam rerum humanarum* tribuit sapienti Cicero Parad.

Spernebat cunctas insuperata minas.
Vertice nudato ventos pluviasque ferebam :
Non mihi solstitium, nec grave frigus erat :
Innabam gelidas Tiberini gurgitis undas,
Nec timui dubio credere membra freto.
Quamvis exiguo poteram requiescere somno,
Et quamvis modico membra fovere cibo.
At si me subito vinosus repperit hospes,
Aut lætus fecit sumere vina dies;

IV, qua quidquid inciderit, æquo et constanti animo fert. Sed hic est durities et firmitas corporis, quæ varias aeris et vitæ mutationes sine offensa valetudinis subit.

34. *Insuperare minas* cod. L. inepte, quem nullus sequitur.

35. *Vertice nudato ventos*. Sic Sil. Ital. I, 250, de Hannibale : « tum vertice nudo Excipere insanos imbres, cælique ruinas ». Quem ad locum Dausqueius, pag. 29, verba nostri poetæ, aliorumque scriptorum similia adducit.

36. *Solstitium* pro calore solis æstivo. Virg. Ecl. VII, 47 : « Solstitium pecori defendite ». Horat. Epist. I, 11, 18 : « Pænula solstitio, campestre nivalibus auris ». — *Non grave frigus* V. L. Pu. *non mihi frigus erat* G. cæteri *nec grave*.

37. *Et nabam* R. *Tiberini fluminis* plerique *vel hiberni* superscribunt V. et Gr.: quæ vox facile ex ignotiore nomine proprio, eoque corruptius scripto *Tiberini* exsculpi potuit. Nam antiqua Germ. habet *Tybrini gurgitis*. Et *gurgitis* etiam præferunt R. L. Pu. quod mihi præstare videtur. — *Innabam gelidas undas*, pro *undis* vel *in undas*. More serioris latinitatis verbum compositum *innabam* construit cum casu, quem præpositio extra compositionem poscit. Quod in Avieno frequenter observavimus, ut *incubat oram* Descr. Orb. 529 ; « gentes incumbunt Istrum », 457; « pelagi invehit undas », 795. Idem Avienus *succedunt habenas* dicit pro *cedunt sub habenas*, v. 329 et 1213. Cæterum natare in gurgite Tiberino est inter crebras exercitationes juventutis Romanæ, cujus inprimis mentionem facit Horat. Carm. I, 8, 8 ; III, 7, 28; III; 12, 7.

38. *Nec timui dubio* vel *tumido* V. L. G. Pu. *Non timui* R. reliqui scribunt *Nec metui dubio*.

39. *Exiguo poteram requiescere somno*, ut Catull. LXIX, 5 : « molli requiescere somno ». Van Ommer.

41. *Ac si* V. Gr. *Et si* R. *Aut si* G. quibus omnibus melius est, quod reliquæ vulgatæ habent, *Ac si*.

42. *Sumere vina*. Ovid. Fast. II, 636 : « Parca precaturæ sumite vina manus ». — *Aut lenis fecit* A. Pu. *Aut fecit lætus* cod. Pulm. V. Gr. G. Pi. *Quod fecit lætus* L. Alii recentiores, qui *levis fecit* scribunt, sine dubio peccant. Major auctoritas pronuntiare pro *lætus* videtur, idque etiam vindicat Withof. pag. 299. Rich. van Ommeren τὸ *levis* prima longa positum notavit in Columbani

Cessit et ipse pater Bacchus, stupuitque bibentem,
Et quicumque solet vincere, victus abit.
Haud facile est animum tantis inflectere rebus,
Ut res oppositas mens ferat una duas.
Hoc quoque virtutum quondam certamine magnum
Socratem palmam promeruisse ferunt.
Hinc etiam rigidum memorant valuisse Catonem:

Monost. v. 65: «Levis non animum torquentis cura fatiget». Sed hic versus obscurus pariter et corruptus videtur, ut nihil ex eo decerni queat.

44. *Et quicumque solet:* sic plerique impressi et MSS. *Et qui cuncta* G. Pi. et cod. Pulm.

45. *Tantis inflectere rebus* habent vulgatæ pleræque, *cunctis inflectere rebus* vetus Germanica, quam lectionem bonam existimo, quæ facile librariorum incuria abire in *tantis* potuit. Nam auctor vult, difficile admodum esse, animum ita adcommodare rebus omnibus, et flectere in omnes partes posse, ut contraria adeo, et quæ sibi adversa sunt, pari facilitate ferat. Sed fortasse *tantis* accipiendum est pro *tot*, quomodo sæpius occurrit apud scriptores ævi medii. Igitur nihil mutare volui.— *Animum tantis inflectere rebus*, h. e. advertere, adplicare, accommodare, ut Propert. IV, 8, 77: «Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum». Alias *inflectere* est permovere, adsuefacere. Claud. IV Cons. Hon. 300: «nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, ut vita regentis».

47. *Certamine magnum* vulgatæ; *certamine magno* V. *certamine longum* G. quod vitiosum videtur. — *Hoc quoque virtutum certamine*, nempe eo, quo virtutes sive vires bibendi probantur. Certare enim bibendo, et vincere vincique solenne erat in symposiis. Vid. Horat. Carm. I, 36, 14. Virtutes intelligit, quales hactenus exposuit, corporis atque membrorum, neque igitur audiendus Withofius Enc. crit. pag. 301, qui, ut vitium, quod est in nomine *Socratem*, eliminet, *Doctorem* pro ea voce ponit, et Socratem hic *doctorem virtutum*, quæ sunt animi, per eminentiam vocari putat: «Hoc quoque virtutum quondam certamine magnum Doctorem palmam promeruisse ferunt». Sed sic scriptura omnium librorum, ipseque sensus verus auctoris pervertitur. Quod *Socratem* secunda longa enuntiavit, fecit id corrupto ætatis suæ more, siquidem idem admisit Sidonius Apoll. Epithal. Polem. v. 96: «Socratica post hunc Secta micat». Et Paullinus auctor Eucharistici, v. 73: «Dogmata Socratis, et bellica plasmata Homeri». Cæterum quod Socrates consuevit interesse frequentibus symposiis, iisque pro loco et occasione disserendi de rebus egregiis uti, hinc Maximianus jocose finxit, eum magnum compotatorem fuisse.

48. *Et Socratem* R. *Doctorem* pro *Socratem*, quasi virtutum doctorem, hic ingerit Withofius, p. 301, sed contra mentem auctoris.

49. *Hinc*, nempe his virtutibus:

Non res in vitium, sed male facta cadunt.
Intrepidus quæcumque forent, ad utrumque ferebar:
Cedebant animo tristia cuncta meo.
Pauperiem modico contentus semper amavi,
Et rerum dominus nil cupiendo fui.
Tu me sola tibi subdis, miseranda senectus,
Cui cedit, quidquid vincere cuncta potest.
In te corruimus; tua sunt quæcumque fatiscunt:

valuisse Catonem, his respicere videtur verba Horatii, Carm. III, 21, 12: «Narratur et prisci Catonis Sæpe mero caluisse virtus». Eamdem famam sequutus Martialis, II, 89: «Quod nimio gaudes noctem producere vino, Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes». Sed opinio hæc, Catonem se largius vino invitare solitum, falsa fuit, judice Dion. Lambino ad Horatii l. c. Et Plutarchus vitæ ejus scriptor, tum ipse Cato apud Cic. de Senec. c. 14, adfirmat, delectatum eum conviviis vicinorum, aviditate sermonis cum plurimis miscendi, ad multam noctem productis.

50. *Nec res* L. *sed mala facta* V. et G. minus bene.

51. *Ad utrumque ferebar* V. L. A. Pi. O. *quæcumque forent adversa ferebam* R. G. — *Ad utrumque ferebar*, malum æque ac bonum, quod mihi contingeret: utrique obvius fiebam prompto et intrepido animo.

52. *Tristia quæque* L.

54. *Et rerum dominus nil cupiendo fui.* Ex mente Stoicorum ait, omnia se possidere, omnium rerum se dominum esse, siquidem nihil cupiat, neque ullius rei indigeat: respiciens forte sententiam Horatii, Carm. III, 16, 25: «nil cupientium Nudus castra peto... Contemptæ dominus splendidior rei, etc.» Fortasse *rerum dominum* adpellans regem se esse dicit, nihil cupiendo, quia *rerum potiri* dicuntur reges. Et sic imitatus videtur Senecam, qui in Thyest. v. 388: «Rex est, qui metuit nihil: Rex est, qui cupiet nihil. Hoc regnum sibi quisque dat». Cæterum ultima in *cupiendo* correpta deterioris ævi indicium est. Conf. Licentii carm. v. 1. — Apud Ovidium tamen Epist. IX, 126, in vulgatis edd. legitur: «Nec venit incultis, captarum more, capillis, Fortunam vultus fassa tegendo suos»; qui locus quum unicus apud hunc poetam sit, a viris doctis censetur corruptus, quamquam Vossius, de Art. Gramm. lib. II, cap. 27, hunc defendere conatur, adducto Tibulli versu, Eleg. III, 6, 3: «aufer et ipse tuum pariter medicando dolorem», ubi legendum et *medicande*. Juvenalis vero Sat. III, 232 (nostræ edit. tom. I, p. 158. Ed.): «Plurimus hic æger moritur vigilando, etc.» Ed.

56. *Cuncta solet* V.

57. *In te corruimus.* Tua caussa fit, ut corpore plane labefacto procumbentes occidamus. Ita Ausonius in Urb. V, 13: «Mox ut in occasum vitiis communibus acti Corruerunt Pœni luxu, Campania fastu».

Ultima quæque tuo conficis ipsa malo.
Ergo his ornatum meritis provincia tota
Optabat natis me sociare suis:
Sed mihi dulce magis resoluto vivere collo,
Nullaque conjugii vincula grata pati.
Ibam per mediam venali corpore Romam,

58. *Ultima teque tuo conficis* L.

59. *Meritis Etruria nostris* A. Pu. Pi. O. et al. Withofius corrigit *Hetruria nostra. Meritis provincia tota* V. R. Gr. L. G. Posterior lectio genuina videtur. Gauricus primum invexisse videtur *Hetruria*, quæ tamen patria Maximiani ex Eleg. V, 5 et 40, satis intelligitur. — *Provincia tota*, h. e. tota terra, vel civitas in qua vivebam adolescens: neque enim provincia hoc loco proprio et antiquo sensu accipi potest, quo neque Hetruria, neque alia pars Italiæ provincia fuit.

60. *Optabat natis*, h. e. puellis, filiabus suis matrimonio jungere. Ovidius quoque, Withofius inquit p. 311, *natis* pro *natabus* dixit Met. XIII, 660, si vulgatis libris scriptis et impressis fides sit adhibenda: « Eubœa duabus, Et totidem natis Andros fraterna petita est». Sed ibi, quidquid Ovidiani codices delirent, videri, ac *Et totidem tellus Andros fraterna* legendum, alibi latius ostendimus. Per vocem *natis* tamen non opus est, ut solas intelligamus puellas, quum etiam filios simul interpretari liceat, et incolas omnes, quibus conjunctus vixisset, si matrimonium in Hetruria, patria tellure, contraxisset Maximianus. Facit ad hanc sententiam locus Apuleii Metam. IV, pag. 81, Pric. « Speciosus adolescens inter suos principalis, quem filium publicum omnis sibi civitas cooptavit ».

62. *Nullaque conjugii vincula grata pati*. Sic Propert. III, 13, 10: « nec femina post te Ulla dedit collo dulcia vincla meo ». Multa ejus generis notavit Broukhusius ad illud Tibulli, I, 1, 55 (vid. Tibull. edit. nost. p. 13. Ed.): « Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ ». Adde Stat. Silv. III, 3, 109: « sed jura tamen genialia cordi, Et mentem vincire toris, et jungere festa Connubia ». Conf. et notata in nostra ed. Stat. t. I, p. 364. Ed.

63. *Vernali corpore* A. Pu. Pi. O. *venali* V. Gr. L. G. *juvenili* R. *venali*, ut lectionem sinceram et elegantem explicare facile est. — *Ibam venali corpore*, h. e. incessu ornatuque corporis adfectato, ita me jactabam in publico, ut qui me venditare cuperem aliis, quasi venales mangonio producti in foro. Mangones enim et venalitii summo studio id operam dabant, ut mancipiorum corporibus, quo vendibiliora essent, pulchritudinem quamdam gratiamque conciliarent, ut Hier. Mercurialis, Var. lect. lib. II, c. 1, ex eoque J. Fr. Junglerus de nundin. serv. cap. 4, docet. Ipsaque mancipia venum exposita, quo magis spectari probarique possent, currere et salire in conspectu emptorum jubebantur. Quo respiciunt

Spectandus cunctis undique virginibus.
Quæque peti poterat, fuerat vel forte petita,
Erubuit vultus visa puella meos,
Et nunc subridens latebras fugitiva petebat,
Non tamen et fugiens tota latere volens;
Sed magis ex aliqua cupiebat parte videri:
Lætior hoc potius, quod male tecta foret.
Sic cunctis formosus ego, gratusque videbar
Omnibus: et sponsus sic generalis eram.
Sed tantum sponsus: nam me natura pudicum

verba Propertii, IV, 5, 52: « Cælati medio quum saliere foro », ubi *cælati* haud male exponuntur ad speciem omni mangonio et lenocinio picti et cælati. Vid. P. Burmanni not. ad Propertii locum. Cæterum, quid sit hoc loco *ire venali corpore*, et quid spectet mollis et delicatus incessus, optime docuerint verba mulierculæ apud Petron. cap. 126: « Quo enim spectat oculorum mollis petulantia? quo incessus tute compositus, et ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quod formam prostituis, ut vendas? ... ex vultibus hominum mores colligo, et, quum spatiantem vidi, quid cogites, scio ».

65. *Fuerat vel forte petita* G. A. Pi. G. et al. *fuerat vel ut ante petita* L. *vel quæ fuit ante petita* V.

66. *Eripuit vultus* cod. Pulm.

67. *Et nunc subridens* L. A. Pi. O. et al. *Et modo* V. R. Gr. G.

68. *Non tamen effugiens*, vulgatæ. *Non tamen effugiens* corrigit Barthius Advers. XVII, 11; *sive latere volens* vult Withofius, p. 312. — Parum placere potest, quod in vulgata lectione ἀσύνδετον *effugiens, volens*. Quod quum levissima mutatione tollat Barthii emendatio *et fugiens*, malui hanc sequi, quam aliam Withofii, in V. L. indicatam, quæ magis recedit a literis, et τὸ *tota* delens vim sententiæ aufert. Cæterum vix latere quemquam potest, imitari his voluisse auctorem Horatiana hæc, Carm. I, 9, 21 et seqq.: « Nunc et latentis proditor intimo Gratus puellæ risus ab angulo, « Pignusque dereptum lacertis, Aut digito male pertinaci »; tum illud Virgilii, Ecl. III, 65: « Et fugit ad salices, et se cupit ante videri ».

70. *Lætior hoc multo, quod male tectu foret* A. Pi. O. et al. *Lætior hoc potius, quod male tecta fuit* V. R. Gr. G. *hoc potius, quum male tuta fuit* L. Ego legam: *Lætior hoc potius, quod male tecta foret.*

71. *Formosus eram* L.

72. *Sponsus sic genialis eram* A. Pi. O. et al. *genetalis* L. *generalis* V. R. Gr. G. — *Sponsus genialis*, ut quidam libri legunt, quis sit, explicare nequeo, *genetalis* insulsum est: *generalis*, quod codd. inspti servant, aptiorem sensum habet, qui est communis omnium puellarum, quem omnes puellæ sibi vindicare cupiunt.

Fecerat, et casto pectore durus eram.
Nam dum præcipuæ cupio me jungere formæ,
Permansi viduo frigidus usque toro.
Omnis fœda mihi atque omnis mihi rustica visa est,
Nullaque conjugio digna puella meo.
Horrebam tenues, horrebam corpora pingues:
Non mihi grata brevis, non mihi longa fuit.
Cum media tantum dilexi ludere forma:
Major enim mediis gratia rebus inest.
Corporis has nostri mollis lascivia partes
Incolit; has sedes mater amoris habet.
Quærebam gracilem, sed quæ non macra fuisset:

74. Pro *durus eram* Withofius, p. 312, mallet *durueram;* quia τὸ *eram* paullo ante præcessit, et illud vicinæ voci *Fecerat* melius respondet.

76. *Viduo frigidus usque toro. Frigere* dicuntur, qui soli cubant et sine conjuge. Propert. IV, 7, 6: « Quum quererer lecti frigida regna mei ». Tibull. I, 8, 39: « quæ frigore sola Dormiat, et nulli sit cupienda viro ». Ovid. Am. III, 5, 42: « Frigidus in viduo destituere toro ».

79. *Corpore pingues* vulgatæ; *pectore* V. et Gr. quæ lectio valere non potest. — Alicubi memini me legere *tangere pingues*. Ed.

80. *Nec mihi... nec* pleræque vulgatæ. *Non mihi... non* V. R. cod. Pulm. et G. idque servandum videtur. — *Non mihi grata brevis.* Alia mens Ovidio, Am. II, 4, 36: « Conveniunt voto longa brevisque meo ».

81. *Cum media tantum.* Quum a matrimonio abhorrerem, amavi tantum ludere cum puellis, iis quidem, quæ mediæ formæ essent, i. e. ut versu superiore explicat, quæ neque breves neque longæ. Ed.

82. *Major enim mediis.* Similiter Martialis, I, 58, ubi, qualem puellam velit, ostendit: « Illud, quod medium est, atque inter utrumque probamus ».

83. *Corporis has nostri.* A rebus mediis, h. e. iis, quæ mediocritatis laudem habent, inopinato transit ad partes medias corporis, rebus Veneris inservientes. Quæ μετάβασις ut aliena ab hoc loco et coacta est, ita haud leve protervïæ auctoris documentum. Idem mentitur, et secum pugnat, quia contraria dixerat v. 73.

84. *Mater amoris habet.* Similiter Ovid. Art. Am. II, 708.

85. *Sed non quæ macra* vulgatæ pleræque Pu. Pi. O. *sed quæ non macra* V. L. G. — *Sed quæ non macra fuisset.* Discrimen, quod inter *gracilem* et *macram* est, ex hoc ipso versu Maximiani notavit Sert. Ursatus in Monum. Patav. p. 271. Gracilis est natura, macra vitio valetudinis.

Carnis ad officium carnea membra placent.
Sit, quod in amplexu delectet stringere, corpus,
Ne lædant pressum quælibet ossa latus.
Candida contempsi, nisi quæ suffusa rubore
Vernarent propriis ora serena rosis.
Hunc Venus ante alios sibi vindicat ipsa colorem,
Diligit et florem Cypris ubique suum.
Aurea cæsaries, demissaque lactea cervix,
Vultibus ingenuis visa decere magis.

86. *Carnis officium*, pro Veneria corporis oblectatione positum, ex intimæ et ecclesiasticæ latinitatis furfure est, et valde exagitatur a Jano Dousa, Præcid. ad Petron. lib. II, cap. ult. cujus verba adducta sunt in testimoniis. Sed tamen excusabile delictum Maximiani est, si labe quadam sui sæculi adspersus est. *Carnea membra* pro carnosis et succiplenis, magis placere possunt, quamquam et hoc serioris latinitatis vocabulum. Nempe hoc idem exprimit auctor, quod Martialis vult, XI, 100: « carnarius sum, pinguiarius non sum », amicam volo corporis solidi et carnosi, quamquam non nimia pinguedine distenti.

87. *Sic quod in amplexu delectat.* Sic omnes fere exhibent editi, qui e Gaurici fonte manarunt; sed vitiose, ut sensus laboret. Una antiqua Germanica rectissime *Sit quod in amplexu delectet stringere corpus.*

88. *Ne lædant pressum* G. Pu. Pi. O. et recentiores. Pejus est *tenerum*, quod offerunt V. R. Gr.

90. *Vernarent*, i. e. florerent. Apud Martial. II, 61: « vernant dubia lanugine malæ ».

92. *Cypris*, pro eo *Cyprus* G. — *Cypris ubique.* Cypridis vocabulum, pro Venere, a priscis poetis Latinis non usurpatum observant Fr. Vavassor in Antibarb. s. libello *de vi et usu quorumdam verborum*, voce *Cypris*, et Moneta in *Menagianis*, tom. I, p. 41, qui recentioris ætatis poetas, qui usurpaverint, tres tantum cum Maximiano nostro nominat. Notavimus idem ad Reposiani carm. v. 23. — Hujus nostr. op. tom. III, p. 327, et seqq. Ed.

93. *Aurea cæsaries*, h. e. flava et aurum colore referens, ut auctor lyrici ad Lydiam, v. 6, dicit « capillulos Flavos, lucentes ut aurum nitidum ». *Cæsaries* alias propria virorum est, sed puellæ tribuens Noster Virgilium sequutus videtur, qui Georg. IV, 337, de Nymphis: « Cæsariem effusæ nitidam per candida colla », et Noster similiter *cæsariem* cum *lactea cervice* jungit. *Demissa cervix* quæ una cum cæsarie descendit in humeros. Fortasse melius legatur *commissa*, i. e. conjuncta *vultibus ingenuis cervix lactea.*

94. *Visa sedere magis* Pi. O. et aliæ plures. *Visa decere* V. Gr. L. Pu. idqoe, ut rectius, alteri *sedere* præfert Burmann. ad Anthol. Lat.

Nigra supercilia, et frons libera, lumina clara,
 Urebant animum sæpe notata meum.
Flammea dilexi, modicumque tumentia labra,
 Quæ gustata mihi, basia plena darent.
In tereti collo visum est pretiosius aurum,

vol. I, p. 661. — *Vultibus ingenuis*, i. e. non fucatis, aut simulate compositis, facie liberali. Solet *vultus* plurali numero efferri, ut apud Ovid. Met. VIII, 677 : « super omnia vultus Accessere boni », et multis aliis locis. Idem *ingenuas genas* dicit Her. XX, 6, Am. I, 14, 52, et Apulei. in ἀνεχόμ. v. 8, ubi vid. Burm. Anth. Lat. vol. I, p. 661. *Visa sedere*, quod vulgatæ post recensionem Gaurici tenent, nescio quem sensum habere possit. Qui illud usurparunt, videntur *sedere* accepisse pro *placere*, quod ipsum alii librarii posuerunt, reputantes fortasse, sic usurpatum a Virgilio esse, quando *sedet hoc Æneæ, sedet animo* dixit, quemadmodum explicat Steph. in Thes. L. L. Sed hanc interpretationem refutat Vavassor in Antib. v. *Sedet*. Ego lectionem antiquorum exemplarium *visa decere*, ut aptissimam, reducendam putavi, quæ deserta a quibusdam videtur, quod male construi *decere* cum *vultibus ingenuis* crederent. Sed τὸ *decet* sæpe cum dativo posuisse antiquos, Plautum, Terentium, Sallustium, Livium, monent eruditi ad Gell. IX, 15.

95. *Et* deest in V. R. et G. *lumina nigra* Pu. Pi. O. et aliæ recent. sed *nigra* vix repetita videntur a poeta post *nigra supercilia*. Igitur melius *lumina clara* V. Gr. G. et L. qui *nigra* superscribit. — *Frons libera*. Hoc Ommerenus illustrat loco Virgil. in Ciri, 497 : « Et patulæ frontis species ».

96. *Mutata* et *notata* scribitur in R. sed prius manifeste vitiosum.

97. *Modicum tumentia labra* laudat poeta, quia plane tumida habentur deformia. Sic auctori Moreti, v. 33, deformis Afra Cybale inter alia est « Torta comam, labroque tumens ». *Turgida labra* ridet Martial. VI, 39.

98. *Quæ mihi gustanti* scribunt omnes edit. e recens. Gaurici, sigillatim Pi. O. et recentiores; eaque lectio corrigendi caussa introducta videtur : nam antiquiores habent *Quæ gustata mihi* V. R. Gr. G. Hoc tamen, licet minus elegans, reducendum putavi.

99. *Visum est* V. R. G. reliqui τὸ *est* omittunt. Pro *In tereti* L. *Incerti*, G. *Interiti*. — *Teres collum*, quod rotundum, plenum solidumque est. Similiter Arborius in Elegia ad nympham nimis cultam, vs. 23, *teretes digitos*. Vid. Barth. Advers. XXI, 6. *Aurum* hoc loco est monile aureum et gemmatum. *Visum est pretiosius*, propter teres collum, quod ambit. Sic in Arborii Elegia : « Quum teretes digiti dent pretium lapidi ». — Ideo Burm. ad Anthol. III, epigr. 214, 2 : « Hesperiæ teneras officiosa manus », corrigere tentat *teretes*. Summa enim laus in membris teretibus, sed præcipue in manibus. Ovidius, Art. Am. I, 622 : « Et teretes digitos, exiguumque pedem ». Horat. Carm. II, 4, 21 :

Gemmaque judicio plus radiare meo.
Singula turpe seni quondam quæsita referre,
Et quod tunc decuit, jam modo crimen habet.
Diversos diversa juvant : non omnibus annis
Omnia conveniunt : res prius apta, nocet.
Exsultat levitate puer, gravitate senectus:
Inter utrumque manens stat juvenile decus.
Hunc tacitum tristemque decet : fit carior ille
Lætitia, et linguæ garrulitate suæ.
Cuncta trahit secum vertitque volubile tempus,
Nec patitur certa currere quæque via.

Brachia et vultum, teretesque suras Integer laudo ». Et ita *brachiolum teres* Catullo, Carm. LXI, 181, aliisque passim. Vid. Barthius et Erhard. ad Petron. cap. 23. Ed.

100. *Gemmaque plus radiare.* Sic auctor Epithal. Laur. v. 36 : « Nam tibi non gemmæ, sed tu das lumina gemmis ; Atque alias comit, per te componitur aurum ». — Adposite Petron. in Anth. III, 253, 13 : « Aut gemmas aptent capiti : tu sola placere Vel spoliata potes ». Ed.

102. *Hoc modo crimen* V. Gr.

103. *Omnibus horis* L. et florit. msptum Santenii.

105. *Exultet* G.

106. *Juvenale* G.

107. *Hanc tacitum tristemque vides* corrigit Withof. p. 312 : *fit clarior* G. Pi. O. *carior* V. Gr. quod præferendum videtur.

109. Pro *vertit*, quod in vulgatis est, *verrit* legendum esse, ut τῷ *trahit* respondeat, Goldastus ad Parænet. vet, pag. 84, existimat. Ego vero præfero *vertit*. — *Cuncta trahit secum vertitque v. temp.* Hunc versum Goldastus ad Paræn. vet. p. 84, putat Abbatem Columbanum Epist. II ad Seth. v. 63, expressisse : « Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur », qui et hunc similem habet v. 70 : « Omnia dat, tollit minuitque volatile tempus ». P. Burmannus ad Anthol. Lat. vol. II, p. 349, pro *volatile tempus* Columbani mallet scribere *volubile* Maximiani, idemque in Ovidii versu, qui bis occurrit, Am. I, 8, 49, et Met. X, 519 : « Labitur occulte, fallitque volatilis ætas », e membranarum quarumdam scriptura *volubilis ætas* substituendum censet. Sed hæc non temere permutanda. Illud enim poetis solam celeritatem temporis, hoc etiam (*volubile*) mutationem conversionemque rerum in eo factam exprimit. Unde Ovidius, Trist. V, 8, 15 : « Passibus ambiguis fortuna volubilis errat », h. e. quæ volvit et invertit omnia. Et hinc recte Noster « vertitque volubilis ætas ». Cæterum et Maximiani versui consonat hic Calpurnii, XI, 32 : « Omnia tempus alit, tempus rapit, usus in arcto est ».

110. *Nec patitur tuta* L. *currere quemque* Pi. O. et al. recent. *quæque* V. Gr. Pu. *ducere quæque* G.

Nunc quia longa mihi gravis est, et inutilis ætas,
Vivere quum nequeam, sit mihi posse mori.
O quam dura premit miseros conditio vitæ!
Nec mors humano subjacet arbitrio.
Dulce mori miseris, sed mors optata recedit:
At quum tristis erit, præcipitata venit.
Me vero heu! tantis defunctum partibus olim,
Tartareas vivum constat inire vias!

112. *Da mihi posse* V. *sit mihi velle mori* R. Sed hoc contrarium est ei, quod v. 8 dixerat, *velle se mori*, idque *omni pejus funere esse.* — *Vivere quum nequam sit mihi posse mori.* Expressit ex Ovid. Art. Am. II, 28: «Et quoniam in patria... Vivere non potui, sit mihi posse mori».

113. *Miseros conditia vitæ.* Sic omnes scripti et excusi. Withofius, p. 313, ut vitium metricum a poeta avertat, ita mutat: *O quam dura premit nas sors, qua tradita vita est.* Sed hæc emendatio fundamentum nullum, nisi in auctoris ingenio, habet. — *Dura premit miseros conditio vitæ.* Conditio accipitur de sorte humana, et de omni lege, quam hominum vitæ natura dixit, quarum præcipua est lex moriendi. Cic. ad Att. XV, 1: «Ea conditione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus». Sic auctor Eleg. in ob. Mæc. v. 118, *angustam conditianem* vocat sortem brevis ævi. Et Epitaphium antiquum Sabelli in Burm. Anthol. Lat. lib. IV, 48: «Nunc etenim vivis, nunc et felicius ævum Ducis, ab humana conditione procul». Propertius, III, 1, 60, *martis extremam canditionem* posuit pro sorte fati et interitus omnibus rebus communi. His cum locis nostrum comparat Burm. Anth. vol. I, p. 277.—Quid si legatur *conductia vitæ*, h. l. locatio, quasi rei precariæ? Ed.

115. *Optata recedit.* Sic omnes impressi. *Refugit* V. — *Mors aptata recedit.* Sen. Herc. OEt. 122: «Felices sequeris mors, miseros fugis».

116. *At quum* pleræque vulgatæ. *Sed cum* G. *Et cum* R. et L. Pro *tristis* R. *letus* inepte.

117. *Me nunc* R. *Heu vero me* G. quæ etiam *defunctum in partibus. Perfunctum in partibus* L. *defectum partibus* V. — *Tantis defunctum partibus*, i. e. tot partibus. Partes vero, quibus defunctus sit, mox recenset, nempe sensuum corporis, et mentis deminutionem. Iterum sic infra Noster, v. 209: «his partibus ætas Defluit». Pariterque Juvenalis, ubi detrimenta sensuum in senibus recensens ad surditatem eorum pergit, Sat. X, 209: «adspice partis Nunc damnum alterius».

118. *Tartareas unum* V. *vivum* Gr. vitiose. *Vivum Tartareas* G. *inire vias* vulgatæ: *adire* et *inire* simul exhibet L. — *Tartarens vivum constat inire vias*, h. e. constat me vivum mori incipere. *Viam Tartari* etiam Seneca nominat Herc. OEt. 1119; *vium leti* Horat. Carm. I, 28, 15; *vivo funere perditum* Rutil. I, 518.

Jam minor auditus, gustus minor, ipsa minora
  Lumina; vix tactu noscere certa queo.
Nullus dulcis odor, nulla est mihi grata voluptas:
  Sensibus expertem quis superesse putet?
En Lethæa meam subeunt oblivia mentem;
  Nec confusa, sui jam meminisse potest.
Ad nullum consurgit opus, cum corpore languet,
  Atque intenta suis obstupet ipsa malis.
Carmina nulla cano: cantandi summa voluptas
  Effugit, et vocis gratia vera perit.
Non fora sollicito, nec blanda poemata fingo;
  Litibus aut rabidis commoda dura sequor.

119. *Nam* vel *jam* V. *ipsa minora* exhibent editi post Gaur. et Asc. *atque* vel *ipsa caligant* V. R. Gr. G. quod, licet vitiosum, ab auctore, illud e correctione esse videtur. — *Gustus minor.* Ovid. ex Pont. I, 10, 7: «Os hebes est, positæque movent fastidia mensæ».

120. *Noscere cuncta* V. R. *noscere tuta* L. reliqui *certa*, quod rectius est, et recipimus.

121. *Nulla est quoque grata* L. *nulla est mihi* G. et Pu. *jam nulla grata* R.

122. *Putat* V. sed vitiose.

123. *Et Lethæa* conjicit Ommerenus. — *Subeunt oblivia mentem.* Pro primario senectutis vitio Juvenalis habet oblivionem Sat. X, 233: «sed omni Membrorum damno major dementia, quæ nec Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici».

126. *Obstupet illa* V. R. — *Atque intentà suis.* Ovid. Trist. IV, 1, 4: «Mens intenta suis ne foret usque malis».—*Obstupet*, immota, sensus et consilii expers hæret. Ovid. Trist. I, 2, 32: «ambiguis ars stupet ipsa malis», sed hoc loco intelligendum *anxia, incerta est.* Ed.

127. *Voluntas* unica habet G.

128. *Heu fugit* plerique editi. *Effugit* V. R. Gr. G. quod equidem malim. *Et votis* G. *gratia summa* V.

129. *Nou blanda* L. et G. — *Non fora sollicito*, voce et oratione mea commovere studeo, quando judicia habentur. *Studere, operam dare foro* alii scriptores dicunt.

130. *Heu rapidis* habent omnes editi post Asc. sed *aut rapidis* V. R. *haud rapidis* G. et Pu. Et *haud* vel *aut* sine codicibus conjicit Ommerenus. Barthius, Adv. XVII, 11, quia vulgata lectione *heu rapidis* contraria priori versui dici videt, voce una in duas partes distincta ita scribendum hariolatur: *Litibus heu rapidis dum mea damna sequor.* Withofio etiam p. 314 videtur *aut* legendum, vel certe *sequens* loco τοῦ *sequor*, ut præcedentibus illis *nec blanda poemata fingo* connectatur, et de amantium ludicris iris rixisque intelligatur. — *Litibus aut rabidis.* Scriptum ab auctore *rabidis* es-

Ipsaque me species quondam dilecta reliquit,
Et videor formæ mortuus esse meæ.
Pro niveo, rutiloque prius, nunc inficit ora
Pallor, et exsanguis funereusque color.
Aret sicca cutis, rigidi stant undique nervi,
Et lacerant uncæ scabrida membra manus.
Quondam ridentes oculi, nunc fonte perenni
Deplangunt pœnas nocte dieque suas.
Et quos grata prius ciliorum serta tegebant,

se, ut putat Barth. et præfert L. plures scriptorum loci docere possunt, quibus caussidicorum in foro rixæ, contentiones et clamores, ut rabies canina describuntur; a quibus ipse *rabula* forensis dicitur. Sufficiat hic Senecæ, Herc. Fur. 172: «Hic clamosi rabiosa fori Jurgia vendens improbus iras Et verba locat». Dicitur hic caussidicus operam forensem, rixas et verba sua locare, vel venalia habere pretio. Atque hoc ipsum significat Maximianus per *commoda dura*, quæ se sequi vel adpetere dicit litibus in foro exercendis.

131. *Quondam delecta* legit Bipont. cum nonnullis aliis; sed præfero *dilecta*, quod habent L. G. A. Pu. Pi. O. *relinquit* G.

134. *Exsanguis funereusque color.* Ovid. Her. XXI, 215: «Concidimus macie, color est sine sanguine».

136. *Tabida membra* vulgatæ. *Scabida* V. R. Gr. L. *scabrida* G. Hoc *scabrida* ego præferam, ut aptius metro et sensui. — *Scabrida membra* (vox infimæ latinitatis), i. e. scabie, porrigine, vitiligine obsita et aspera: vitiosus corporis habitus, ex fame, vel vitioso alimento et sordibus corporis, ut indicat Serenus Samon. cap. VI. Sic *scaber unguis* Ovid. Art. Am. III, 270, et *scabræ rubigine fauces* Met. VIII, 802, sicut ipsi Robigini *scabræ manus* tribuuntur, Fast. IV, 921. *Uncæ manus*, unguibus acutæ, *lacerant*, adsidue scabendo perstringunt. Hinc *lacerum porrigine corpus* dicitur Gratio v. 408. Senes autem infestari porrigine dicuntur. — *Scabies* dicitur quoque pro *asperitas*, unde Virg. Georg. II, 214: «Et tophus scaber et nigris exesa chelydris Creta». *Scaber tophus* Ovid. Ep. XV, 141. En.

138. *Deplangunt* quidem omnes, sed reponere malim *Deplorant*, ut rei convenientius, si quidem aliqua auctoritas adesset.

139. *Ciliorum serta* satis eleganter dictum, quia cilia vel palpebræ tamquam sertum oculos cingunt et ambiunt: apte etiam *tegebant*, siquidem Isid. de iis, Orig. XI, 1: «Cilia sunt tegmina: quibus cooperiuntur oculi, et dicta cilia, quod celent oculos tegantque tuta custodia». Dubito autem, an cilia hoc loco potius accipienda sint de superciliis. His enim magis convenit, quod *serta* dicuntur, nempe pluribus complicata pilis, et quod deinceps *silva hispida*. Nisi forte pro *serta* legendum est *septa*, quia Lactant. de opif. X, 2: «Ipsæ palpebræ, pilis

Desuper incumbens hispida silva premit;
Ac, velut inclusi cæco claudantur in antro,
Nescio quid torvum seu furiale vident.
Jam pavor est vidisse senem, nec credere possis
Hunc hominem, humana qui ratione caret.
Si libros repeto, duplex se litera findit,

iu ordine stantibus vallatæ, septum oculis decentissimum præbent ».

140. *Silva tegit* V. — *Incumbens hispida silva*, uempe horrentium densarumque setarum vel pilorum; nam sic *faciem hispidam* Horatius Carm. IV, 10, 5, dicit barbatam. Virg. Ecl. VIII, 34: « Hirsutumque supercilium, promissaque barba ». Pariter coma silvæ comparatur Ovid. Met. XIII, 845: « coma plurima torvos Prominet in vultus, humerosque, ut lucus, obumbrat ». Hæc vero hispida et horrentia supercilia poeta non pro indicio senectutis ponere videtur, sed luctus et squaloris inculti. Quem similiter pingit Ovid. Trist. I, 3, 90: « Egredior... Squalidus immissis hirta per ora comis ».

141. *At velut* Bipont. cum aliis. *Et velut* G. *Ac velut* reliqui mei. *Inclusis* nonnulli cum Bip. sed *inclusi* rectius, quod habent G. A. Pu. Pi. O. *tetro* pro *cæco* L. *conduntur in antro* omnes impressi post Asc. sed *clauduntur* L. et *claudantur* G. quod reliquis præferendum censeo, ut hic versus cum sequente minore conjungatur.

142. *Torvum nescio quid heu furiale* V. R. Gr. *seu furiala* G. Illud *heu furiale* errore librariorum ex *seu*, quod Germanica vetus servavit, ortum videtur. Hoc igitur genuinum esse puto, et scribo *Nescio quid torvum seu furiale vident*: vulgatæ habent *vel furiale*. — *N. quid torvum seu furiale vident.* Sic Sen. in Thyest. 706: « torvum et obliquum intuens ». *Torva videre* fortasse Ovid. scripsit Her. XVII, 16: « Si non est ficto vultus mihi tristis in ore, Nec sedeo duris torva superciliis ». Nam Puteanus codex cum sex aliis habuit *Nec videor*, quod placet Heinsio, et fortasse melius vertitur in *video*, unde librarii fecerunt *sedeo*. Burmannus tamen vulgatam lectionem defendit.

143. *Jam pavor est* plerique scripti et exensi. *Jam pudor est* G. *nec credere posset* L. Pu. *posse* G.

145. Pro *findit* legit *scindit* L. *fingit* G. — *Duplex se litera findit.* Sententia auctoris hæc est: Legenti mihi librum, literæ omnes videntur quasi duplices, ancipites, vagæ et confusæ oberrare, ita ut pagina, quamvis nota mihi et olim lecta, ut sciam, quot et quibus verbis constet, nunc tamen *largior* et pluribus literis, spatium excedentibus, conferta adpareat. Adfectus hic oculorum, quo dupla se ostentant objecta, alias ebriis et entheis tribuitur, quibus oculorum musculi, vel nimio spiritus ardore contrahuntur, vel solvuntur humiditate, ut Farnabius ad hæc verba Senecæ, Agam. v. 728, observavit: « Sed ecce gemino sole præfulget dies; Geminumque duplices Argos adtollit domos »; quibus imitatus est

Largior occurrit pagina nota mihi.
Claram per nebulas videor mihi cernere lucem,
Nubila sunt oculis ipsa serena meis.
Eripitur sine nocte dies : caligine cæca
Septum tartareo quis neget esse loco?
Talia quis demens homini persuaserit auctor,
Ut cupiat voto turpior esse suo?
Jam subeunt morbi, subeunt discrimina mille :
Jam dulces epulæ, deliciæque nocent.
Cogimur a gratis animum suspendere rebus,

Virgilium Æn. IV, 470. De ebriis diserte Juvenal. VI, 304 : « Quum bibitur concha, quum jam vertigine tectum Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis ». Lactant. de opif. Dei, c. 9 : « Furiosis et ebriis omnia duplicia videntur ». Qui hoc idem sanis et sobriis nonnunquam accidere, ex certis caussis docet, quas nunc non persequimur. Itaque senibus hoc vitium inesse posse propter debilitatem nervorum, dubio caret : qui tamen alius Veterum id de iis dixerit, nunc mihi non succurrit.

149. *Eripitur sic nocte dies* emendat clarissimus Ommerenus. — *Eripitur sine nocte dies*, h. e. eripitur interdiu, etiamsi nox nulla sit. Doctiss. Ommerenus hic legendum conjicit *Eripitur sic nocte dies*, adeoque noctem accipit pro ipsa caligine oculis offusa, idque probat locis Catulli, LII, 12; Ovid. Met. I, 721; Sen. Herc. fur. 823. Sed lectio vulgata et clara satis, et gravior etiam videtur esse, quam quæ ista emendatione inducitur.

150. *Septum tartareo... loco*, i. e. tenebroso, horrido et subterraneo specu. *Tartareum carcerem* sic dicit Calpurnius, Eclog. I, vers. 52.

151. *Persuaserat* L. — *Talia quis demens*, intellige talia optanda, vel toleranda; vel ad *persuaserit* supple, *ut optet* vel *tolerare velit*. Neque tamen displicet conjectura Withofii, p. 314 : Illud *Talia*, inquit, incommode voci *persuaserit* conjungitur, meliusque alteri *cupiat* cohærebit; quod ut fiat, mutata distinctione et levi correctione res indiget. Legendum erit itaque : « Talia quis demens homini persuaserit auctor Ut cupiat, voto turpior ipse suo? » Quis, inquit, auctor demens homini persuaserit, ut cupiat talia; qualia si cuperet, ipse suo voto turpior ac deformior esset futurus. Similiter Virg. Georg. II, 315 : « Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor ».

152. *Turpiter esse* G. *turpior ipse suo* vult Withofius.

153. *Jam subeunt morbi.* Virgil. Georg. III, 68 : « subeunt morbi tristisque senectus ».

155. *A gratis animum suspendere*, h. e. cohibere, retinere et retrahere, ne adtingat vel cupiat res gratas. Ovid. Fast. IV, 849 : « nec jam suspendere fletum Sustinet ».

Atque ut vivamus, vivere desinimus.
Et jam me, dudum cui nulla adversa nocebant,
Ipsa, quibus regimur, nunc alimenta gravant.
Esse libet saturum : saturum mox esse pigebit :
Præstat ut abstineam, ast abstinuisse nocet.
Quæ modo profuerat, contraria redditur esca :
Fastidita jacet, quæ modo dulcis erat.

156. *Vivere destitimus* L. Gr. G. sed vulgata melior *desinimus*. — *Vivere desinimus*, nempe vita bene et jucunde uti; quo sensu iterum v. 178. Catullus Carm. V : « Vivamus, mea Lesbia, atque amemus »; et Martialis multis locis.

157. Varie hujus versus verba ponuntur vel mutantur in exemplaribus. Voss. cod. duplicem lectionem exhibet : *Et me jam* (vel *quem*) *dudum cui* (vel *nan*). Vitiosius L. *En me quem dudum quem nulla*. Germanica vetus verba tantum aliter ordinat, ac vulgata : *Et me cui dudum jam nulla adversa nocebant*. Gudius in not. ad Phædr. IV, 18, p. 93, sic in codice vetustissimo Divionensi legi adfirmat : *Et me jam dudum, quem nulla adversa movebant, Ipsa quibus regimur, nunc elementa nacent*; atque sic *nocere* cum accusativo Græco more positum existimat. Sed tamen alii vetusti, ut vidimus, *cui nocebant* exhibent, et in minore versu plurimi libri præferunt *alimenta gravant*. Unde pro illa constructione Græca τοῦ *nocere* nihil hinc confici potest.

158. *Quibus regimur*, i. e. quibus tamquam primariis ad tuendam vitam præsidiis utimur. Sic infra v. 248 : « Et lux, qua regimur, redditur ipsa gravis ». Ommerenus illustrandi caussa adposuit locum Senecæ, Troad. v. 396 : « Sic hic, quo regimur, spiritus effluet ». Et notum est Virgilii Æn. IV, 336 : « dum spiritus hos reget artus ». Sed tamen ratio verbi *regere* in spiritu et anima magis adparet, quam in alimentis, de quibus Maximianus. Itaque insolentius hoc verbo usum arbitror. — *Nunc alimenta gravant*. Sic omnes fere scripti et impressi : sola vetus Germ. habet *alimenta nocent*, quod sine dubio ab editoris errore vel sapientia est, qui elegantius putabat post *nocebant* recurrere *nocent*. Gudius l. c. e cod. Divionensi citat *nunc elementa noeent :* sed verum esse *alimenta*, manifeste docent sequentia.

159. *Esse sibi saturum* L. *Esse licet saturum* G. sed præstat vulgata lectio *Esse libet*.

160. *Abstineas*, *abstinuisse* L. *ast abstinuisse* pleræque vulgatæ : omittunt *ast* V. Gr. G.

162. *Fastidita nocet* G. sed rectius omnino vulgatæ *Fastidita jacet*. — *Fastidita jacet*, i. e. spernitur, abjicitur. Ea notio verbi frequens bonis scriptoribus. Cic. Tusc. I, 2 : « Jacent ea semper, quæ apud quosque improbantur ». Claud. Laud. Stil. II, 130 : « Quod nec inops jaceat probitas, nec inertia surgat Divitiis ». Hinc *abjecti* neglecti. Vid. Avien. D. O. 1388.

Non Veneris, non grata mihi sunt munera Bacchi,
Nec quidquid vitæ fallere damna solet.
Sola jacens natura manet, quæ sponte per horas
Solvitur, et vitio carpitur ipsa suo.
Non toties experta mihi medicamina prosunt,
Non ægris quidquid ferre solebat opem.
Sed cum materia pereunt quæcumque parantur,
Fit magis et damnis tristior urna meis.

163. *Non Veneris sunt grata mihi nec* ed. Pulm. Pi. O. *Non Veneris non grata mihi sunt* V. R. Gr. L. G. reliquæ legunt *Nec Veneris sunt grata mihi, nec munera Bacchi.* Withofius, p. 315, mavult legere *Non Cereris sunt grata mihi*, quia mentio Bacchi ac Cereris uno eodemque loco est aptissima, et quia auctor hic non de usu voluptatis, sed de cibo potuque loquitur, ut præcedentia demonstrant.

165. *Jacens natura*, scil. corporis mei debilitata et depressa; *quæ sponte*, per se, nulla caussa externa adjuvante, *solvitur*. Infra v. 259: « Omnia naturæ solvuntur viscera nostræ ».

166. *Carpitur ipsa meo* G., male.— *Vitio carpitur ipsa suo.* Ommerenus similem locum Ovidii adnotavit, Art. Am. II, 114: « Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos, Fit minor et spatio carpitur ipsa suo ».

167. *Non potus, experta* dedit edit. Bipont. cum nonnullis aliis; sed melior haud dubie lectio *Non toties experta mihi* est in L. Gr. G. Pi. O. *Nec toties* Pul.

170. *Fit major ex dampnis* G. perperam. *Fit magis et damnis* Bipont. cum Pu. Pi. O. *ex damnis* V. Gr. G. *tristior urna meis* pleræque vulgatæ: *urna suis* V. R. *tristior ora suis*, adscripto *h τῷ ora*, G. *tristior vita mea* L. *tristior ipsa meis* Pu. Withofius, p. 316, emendat *Fit magis et damnis justa querela meis*, audacissima conjectura. Rationes ejus adducere æquum est. — *Fit magis e d. tristior.* Locutio hæc, adnotante Withofio, p. 315, qua comparativo vox alia ejusmodi adjicitur, pertinet ad pleonasmos, et interdum, quamquam rarius, occurrit apud illos, qui post Latinæ linguæ ἀκμὴν vixerunt. Idem de verbis, quæ pleræque editiones exhibent, *damnis tristior urna meis*, quærit, quid per urnam hic intelligi debeat. Videri librarios vel sepulcralem, vel aliam quam urnam intellexisse, qua opes condi possint, quorum hoc ineptum, alterum intempestivum sit. Itaque ulcus sic sanandum esse credit: « Fit magis et damnis justa querela meis ». Sensum autem hunc esse ait: Omnia remedia, quæ parantur, pereunt, et in vanum recidunt cum ipsa materia et impensis, unde querela mea magis justa redditur ipsis illis damnis, opibusque frustra erogatis. Sed perperam videtur Withofius *damna* de jactura opum accipere; verba potius ea ex antecedentibus sententiis et verbis interpretanda sunt. Nominavit paullo ante v. 164, *vitæ*

Non secus instantem cupiens fulcire ruinam,
Diversis contra nititur objicibus;
Donec longa dies, omni compage soluta,
Ipsum cum rebus subruat auxilium.
Quid, quod nulla levant animum spectacula rerum,
Nec mala tot vitæ dissimulare licet.
Turpe seni vultus nitidi, vestesque decoræ;

damna : dixit porro v. 165 naturam suam « sponte *et* vitio suo solvi per horas », h. e. decrementa corporis et valetudinis continua pati. Jam, quum medicamenta etiam frustra adhibeantur, subjicit denique, per continua ista decrementa fieri, ut quælibet hora damnis istis, quæ adferat, tristior fiat. Unde lectionem, quam antiqua Germanica suppeditat, in primis probo : « Fit magis et damnis tristior hora suis ».

171. *Nunc secus* Bipont. nescio quibus præeuntibus; sed omnes, quorum mihi notitia est, *Non secus*, et *Haud secus* L. — *Non secus*, etc. Comparatio est cum opifice vel fabro, qui ruinosam domum fulcire nititur *diversis* et *contra* positis objicibus vel trabibus. Pari phrasi nititur Ovidius in Trist. I, 5, 5: « Te mea, supposita veluti trabe, fulta ruina est ».

174. *Sublevat auxilium* L. male.

175. *Nulla juvant* vel *levant* V.

176. *Dissimulare licet*, premere animo et tegere lætiorum rerum, ut sunt spectacula, usu. Sic usurpavit Ovid. Trist. III, 1, 6 : « Nec domini fortuna mei est, ut debeat illam Infelix ullis dissimulare jocis ».

177. *Cultus nitidi* vult Ommerenus : *vultus nitidus vestisque decora* L. — *Turpe seni vultus nitidi.* Licet viros interdum fuco usos fuisse non negem, hic tamen ejus mentionem ægre concoquo : forte *cultus nitidi :* nam scriptores cultum vestemque conjungere solent. Nepos Paul. c. 3, *cultum vestitumque;* Cic. de Amic. § 49, *vestitu cultuque corporis;* Curt. III, 3, 24, *cultu ornatuque;* et VI, 19, *cultus habitusque ;* Liv. V, 41, 8, *ornatum habitumque.* Hæc adnotavit Ommer. — Sed *vultus nitidi* scriptum esse ab auctore, sequentia declarant, ubi *joci* et *convivia* nominantur. Nihil enim frequentius poetis, quam *nitidum os, nitidas comas* tribuere iis, qui se hilaritati, amoribus, conviviis dant. Ovid. Met. XI, 690 : « non ille quidem, si quæris, habebat Adsuetos vultus, nec quo prius ore nitebat ». Idem Art. Am. III, 443 : « Nec coma vos fallat liquido nitidissima nardo ». Horat. Carm. I, 4, 9 : « Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto ». Idem Epist. I, 14, 32 : » Quem tenues decuere togæ nitidique capilli », i. e. unguento delibuti.—Burm. Anth. III, 190, 1: « Moribus et vultu mulier quæratur habenda » legi jubet *cultu.* Hæ autem voces sæpe confusæ a librariis, ut apud Ovid. Amor. III, et Eleg. 6, 47, et alibi passim.— *Nitidis capillis* pro *tremulis* reponebat Schrad. ibidem, in epigr. 192, legebatque « nitidis Arethusa capillis ». Ed.

Atque etiam est ipsum vivere turpe senem.
Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus;
O miseri quorum gaudia crimen habent!
Quid mihi divitiæ, quarum si dempseris usum,
Quamvis largus opum, semper egenus ero?
Immo etiam pœna est partis incumbere rebus,
Quas quum possideas, est violare nefas.
Non aliter sitiens vicinas Tantalus undas
Captat, et adpositis abstinet ora cibis.
Efficior custos rerum magis ipse mearum,
Conservans aliis, quæ periere mihi.
Sicut in auricomis pendentia plurimus hortis

178. *Queis sine jamque ipsum* V. R. L. G.

179. *Crimen amare jocos*, etc. Hæc etiam senectuti negata esse contendit Horat. Epist. II, 2, 55: « Singula de nobis anni prædantur euntes; Eripuere jocos, venerem, convivia, ludum; Tendunt extorquere poemata ».

181. *Quid mihi* vel *tibi* V. *tibi* L. *demeris* vulgatæ post Asc. et Basil. O. et Bip. *dempseris* L. Gr. G. Pu. Pi. — *Quid mihi divitiæ*, etc. Sic Horat. Epist. I, 5, 12: « Quo mihi fortunam, si non conceditur uti? » et Epist. I, 2, 50: « valeat possessor oportet, Si comportatis rebus bene cogitat uti ».

183. *Succumbere rebus* V. ed. Pu. et Pi. male. — *Pœna est partis incumbere rebus*, h. e. ipse sibi supplicium et cruciatum parat, qui opes in hoc tantum colligit, ut partas adsidua cura et sollicitudine custodiat. *Incumbere* vel *incubare* de sollicita custodia usurpatur, quacum nullus usus rei conjunctus est. Virg. Georg. II, 507: « Condit opes alius, defossoque incubat auro ». Conf. not. ad Sulp. Luperci Eleg. v. 11 (huj. op. tom. II, p. 293. Ed.)

184. *Est violare nefas*, putas nefas esse adtingere, et usu capere, tamquam sacrum, quomodo Horat. Serm. I, 1, 71: « congestis undique saccis Indormis inhians, et tamquam parcere sacris Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis ». Confer etiam Serm. II, 3, 109. Inter vitia senum hoc idem recenset Art. Poet. v. 170: « Quærit, et inventis miser abstinet, ac timet uti ».

185. *Sitiens vicinas Tantalus undas*. Videtur hoc, ut superiora, expressisse ex Horatii Serm. I, 1, 68: « Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina ». Plura de Tantali pœna loca poetarum produximus ad Petronii fragm. (huj. op. tomo II, pag. 118. Ed.) et ad Lucilii Ætn. v. 79.

186. *Et oppositus*, f. *oppositis* G.

189. *Dependentia plurima* L. vitiose: pro *plurimus* forte *luridus* conjicit Pulm. cujus liber vetus hic corruptus fuit. — *Auricomis penden-*

Pervigil observat non sua poma draco.
Hinc me sollicitum torquent super omnia curæ,
Hinc requies animo non datur ulla meo.
Quærere quæ nequeo, semper retinere laboro,
Et retinens semper, nil tenuisse puto.
Stat dubius, tremulusque senex, semperque malorum
Credulus, et stultus, quæ facit ipse, timet.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos :

tia plurimus hortis. Barthius not. ad Grat. Cyn. v. 30, hunc versum Maximiani citans, *plurimus* accipit pro adsiduus, atque remissus : sed hæc notio jam satis exprimitur voce sequente *Pervigil.* Ego rectius puto accipi de magno, longe extento et circumvoluto, ut dicat auctor, Draconem hortos Hesperidum magno volumine cingere et complecti. Ista imagine draconis fabula haud dubie flexuosos meatus fluvii, aut æstuarii maritimi, hortum Hesperidum ambientis, designavit, ut notavi ad Prisc. Perieg. v. 123. Sed vocabula *multus*, vel *plurimus*, de magno et extento fluvii, maris, terræ tractu sæpe adhibentur. Ovid. Met. VIII, 522; Avien. D. O. 463, et Or. mar. v. 362.

190. *Pervigil observat draco.* De dracone mala aurea Hesperidum in Libya servante sermo est, quem propterea Massylum vocat, vel Libycum, Martialis, X, 94 : « Non mea Massylus servat pomaria serpens » : quocum conf. XIII, 37. Sed aliud exemplum custodis draconis in fabulis est illius, qui vellus aureum in luco Martis suspensum apud Colchos servabat, quod pro imagine avari adhibet idem, lib. XII, 52 : « Largiris nihil, incubansque gazæ, Ut magnus draco, quem canunt poetæ Custodem Scythici fuisse luci ». Fabularem famam et vulgarem opinionem sequutus etiam Phædrus lib. IV, fab. 29, fingit draconem abditos thesauros in spelunca subterranea custodientem. Rationem ejus opinionis reddere conatur Pomp. Festus, « qui Dracones, inquit, dicti ἀπὸ τοῦ δρακεῖν, quod est videre : clarissimam enim dicuntur habere oculorum aciem, qua ex caussa, incubantes eos thesauris custodiæ caussa finxerunt Antiqui ».

193. Hunc versum Ommerenus ita interpungendum censet : *Quærere, quæ nequeo semper retinere, laboro.* — *Quærere quæ nequeo*, h. e. quæ me despero posse labore et industria quærere, reparare, augere, si forte absumpserim, ea illibata semper retinere laboro. Hoc sensu verborum constituto, nihil opus est mutata interpunctione, quam Cl. Ommerenus suadet.

196. *Quæ facit ipse*, h. e. quæ ipse per oblivionem, imprudentiam, socordiam, senium propriam, committit, ut fiant.

197. *Præsentes increpat actus*, et a manu sec. *despicit* L. — *Laudat præteritos*, etc. Idem inter vitia senum recenset Horat. Art. Poet. 173 : « Difficilis, querulus, laudator tem-

Hoc tantum rectum, quod sapit ipse, putat.
Se solum doctum, se judicat esse peritum;
Et quod sit sapiens, desipit inde magis.
Multa licet nobis referens, eademque revolvens
Horret, et adloquium conspuit ipse suum.
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo:
O sola fortes garrulitate senes!
Omnia nequidquam clamosis vocibus implet:
Nil satis est; horret, quæ placuere modo.
Adridet de se ridentibus, ac sibi plaudens
Incipit opprobrio lætior esse suo.
Hæ sunt primitiæ mortis; his partibus ætas

poris acti Se puero, censor castigatorque minorum ». Et Tibull. III, 5, 26: « Et referam pueris tempora prisca senex ».

198. *Hoc solum* Pu. et aliæ.

200. *Desipit ipse* V. Gr. *decipit ipse* Pu.

201. *Vobis referens* G.

202. *Narrat* pro *horret* V. Gr. *conspicit* pro *conspuit* G. male. — *Horret*. Explicat Wernsd. filius, vultu ac sermone horridus et teter est. Ed. — *Adloquium conspuit ipse suum*. Adloquii sui fastidium movet spurcitie oris, dum inter loquendum saliva commota frequenter spuit. De caussidico vehementer loquente Juvenalis, VII, 112: « Tunc immensa cavi spirant mendacia folles, Conspuiturque sinus ». Vitium concitate loquentium, maxime senum, existimatur spumans ore saliva. De Claudio sene Suetonius, cap. 30: « ira turpior erat, spumante rictu, humentibus naribus »; et Juvenal. VI, 622: « tremulumque caput descendere jussit In cælum, et longa manantia labra saliva ». — *Trementia labra*, id. X, 191.

204. *O sola fortes garrulitate senes*. Sententia hæc forte ab Homero derivata est, qui Iliad. III, 151, senes Trojanos bello inutiles, sed otiosos et garriendo fortes, cicadis strepentibus comparat. Et Cicero de Sen. c. 14, senes sermonis et colloquiorum avidos esse fatetur. — Sed hoc in laudem adducit, et ideo se senectuti magnam gratiam habere declarat. Ed.

206. *Horret*, non ut v. 202 explicandum, sed pro refugit, exhorrescit, detestatur ea, quæ paullo ante placuerant, ut inconstans et varia est senum morositas. Nisi forte ibi *horrent* legendum cum Voss. et Gronov. hoc sensu, quæ antea placuerant forma vultus, sermo, nunc tetra sunt et horrida. Ed.

207. *Adridet de se ridentibus, ac sibi plaudens*. Horat. A. P. 101: « Ut ridentibus adrident, ita flentibus adsunt Humani vultus ». Idem Serm. I, 1, 66: « Populus me sibilat, at mihi plaudo Ipse domi ».

209. *Hæc sunt primitiæ mortis*,

Defluit, et pigris gressibus ima petit.
Non habitus, non ipse color, non gressus euntis,
Non species eadem, quæ fuit ante, manet.
Labitur ex humeris demisso corpore vestis,
Quæque brevis fuerat, jam modo longa mihi est.
Contrahimur miroque modo decrescimus; ipsa
Diminui nostri corporis ossa putes.
Nec cælum spectare licet, sed prona senectus
Terram, qua genita est, quam reditura, videt:

tanquam ex messe multorum malorum offerendæ et sacrificandæ Morti; si quidem primitiæ dari vel libari Diis dicuntur, et totus homo *victima est nil miserantis Orci*, secundum Horatium.

210. *Defuit* G. perperam: *ima perit* Bipont. sed aliæ constanter *petit*, idque aptum *gressibus*. — *Ætas defluit*, pedetentim progrediendo absumitur, ut rivus, aquis deficientibus, exarescens. « Rusticus expectat dum defluat amnis » Horat. Epist. I, 2, 42. — *Ima petit*, extrema, finem.

212. *Nec species* G.

213. *Depresso corpore* L. — *Labitur ex humeris vestis*, fluit ex humeris, nec bene sedet vestis, quia jam laxior est, corpore meo demisso vel depresso et exili facto. Significare idem videtur, quod Horat. Serm. I, 3, 31: « Rusticius tonso toga defluit, et male laxus In pede calceus hæret ». Non satis placet *demissò corpore*, et legere malim *Labitur ex humeris demissa et corpore vestis*, quia demissa frequenter poetis dicitur vestis longior et in terram fluens. Ovid. Am. III, 2, 25: « Sed nimium demissa jacent tibi pallia terræ ». Horat. Serm. I, 2, 25: « Malchinus tunicis demissis ambulat »; et ibid. v. 99: « Ad talos stola demissa, et circumdata palla ».

214. *Jam mihi longa modo* G. *langa manet* R.

215. *Contrahimur* vel *Conterimur* V. *decrescimus ipsi* vulgatæ omnes; sed melius *decrescimus*, *ipsa Diminui* V. L. et Gr.

216. *Subminui* R.

217. *Non cœlum* G. *Non spectare licet* L. *Nec cœlum exspectare licet* Basil. *sed parva senectus* V. Gr. — *Prona senectus*, quæ curva cervice, capite demisso humum spectat, ut *prona animalia* Ovidius et Juvenalis dixit. Eadem *curva senectus* Tibullo, III, 5, 16, et Ovidio, Art. Am. II, 670, *inclinata* Calpurnio, V, 13.

218. *Et jam* (vel *terram*) *qua* V. Gr. *qua* etiam R. et G. *et reditura* pleræque vulgatæ: *quam reditura* G. — *Terram, qua genita est*, etc. Recepi et constitui lectionem, quam libri mspti et editio Germ. ante Gaurieum et Ascens. exhibent. *Quam reditura* recte dicitur pro *in* vel *ad quam reditura* est. Etenim cum verbis *ire*, *redire*, *venire*, *revenire*, non solum nomina propria, sed etiam adpellativa locorum, eorumque relativa, casu quarto sine præpositione poetæ inprimis construunt,

Fitque tripes, prorsus quadrupes, ut parvulus infans,
Et per sordentem, flebile, repit humum.
Ortus cuncta suos repetunt, matremque requirunt;
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.

ut præcipue demonstravit Sanctius Minerv. lib. IV, cap. 16. Sic Virg. Æn. VI, 638 : « Devenere locos lætos, et amœna vireta, etc. » Idem Æn. VI, 696 : « hæc limina tendere adegit » ; Ovid. Met. III, 462 : « Verba refers aures non pervenientia nostras » ; Plautus Pœn. III, 6, 4 : « utinam hinc abierit malam crucem » ; Apulei. Met. IX, p. 194 : « larem reveni meum » ; ibid. pag. 199 : « hortum redire ». Ergo et *terram redire* Maximianus dicere potuit, idque hoc magis, quod Latini etiam genitivum *terræ* pro *in terra*, ut *humi*, subinde usurparunt. Exemplum vidimus ad v. 213, in loco Ovidii, Am. III, 2, 25, et pluribus exemplis id firmat Drakenborch. ad Liv. V, 51, 9.

219. *Fit turpis prorsus* G. *prorsus quadrupesque* dedit Bipont. nescio quo duce : nam libri mei omnes copula *que* carent : *rursus quadrupes* L. A. — *Fitque tripes, prorsus quadrupes.* Respicit ad fabulam et ænigma Sphingis, ab Œdipo solutum, quod Ausonius in Gripho, Idyl. XI, v. 38 seq. breviter his verbis complexus est : « Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens, Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes omnia solus, Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella ». Adlusit quoque Naso, diversas ætates hominis describens, Met. XV, 221 : « Editus in lucem jacuit sine viribus infans : Mox quadrupes rituque tulit sua membra ferarum, etc. » Qui de Sphinge ejusque oraculo egerunt, scriptores veteres recensent Aug. van Staveren ad Hygin. fab. LXVII, et Heinius ad Apollod. lib. III, c. 5, § 8.

220. *Serpit humum* omnes vulgatæ : *repit* pro variatione ponunt V. L. unum *repit* exhibet G. quod verum puto : *flebile* Pith. interpunctione distinguit, non male : probat idem Burmann. Anthol. vol. I, p. 196. — Pari distinctione Sil. IV, 570 : « Palantes agit ad ripas, miserabile, Pœnos ». Ita etiam forte distinguendum apud Lucan. IX, 832 : « Exemplarque sui spectans, miserabile leti, Stat tutus, pereunte manu ». Nisi tamen hic *flebile* pro *flebiliter*. Ed. — *Et per sordentem, flebile, repit humum.* Sic scribendum putavi ductu quorumdam exemplarium vetustorum, licet impressi plerique habeant *serpit humum*. Nam de infantibus, de quibus hic sermo, proprium est *repere* vel *reptare*. Claud. III Cons. Hon. v. 22 : « Reptasti per scuta puer ». Et pluribus hunc usum demonstratum videas a Schradero in not. ad Avien. D.O. v. 894. Phrasin totam usurpavit Horatius, Epist. II, 1, 251 : « nec sermones ego mallem Repentes per humum ». Cæterum *serpere* et *repere* permutari solere notavi ad Avien. Or. mar. v. 577.

221. *Ortus cuncta.* Hoc et sequens distichon in Lun. inspto ponitur post vers. 234, ordine non meliore.

Hinc est, quod baculo incumbens ruitura senectus
Assiduo pigram verbere pulsat humum:
Et numerosa movens crebro vestigia passu,
Talia rugato creditur ore loqui:
« Suscipe me, genetrix, nati miserere laborum,
Membra velis gremio fessa fovere tuo.
Horrent me pueri; nequeo velut ante videri:

223. *Incombens cintura senectus* G. — *Hinc est quod baculo incumbens.* Sic Claud. in Epigr. XXIX, de sene Veronensi, v. 3: « Qui baculo nitens, in qua reptavit arena », h. c. qui eadem in humo, qua reptavit infans, etiam senex tripes factus est. Ad eum locum Barthius etiam versus Maximiani adducit. Calpurn. V, 13: « et baculum premat inclinata senectus ».

224. *Assidue* V. G. *tangit humum* L. — *Verbere pulsat humum*, quasi qui fores domus pulsat, intromitti cupiens: quem morem significant Horat. Serm. I, 1, 10; Ovid. Met. II, 767, et frequentissime Comici. Sic etiam, qui inferos sub terram abditos, invocabant, pede terram percutiebant, ut est apud Cicer. Tusc. II, 25.

225. *Certo vestigia* vulgatæ omnes: *crebro* MS Pulm. *passu* vulgatæ: *gressu* L. *planta* R. — *Et numerosa movens.* Nec *numerosa vestigia*, nec *certus passus* satis apte seni incedenti tribui videntur: *numerosa* enim proprie sunt apte ad numerum et mensuram mota, ut *numerosa verbera* in Lucil. Ætn. v. 38; et *certus* passus est firmus et validus, senum autem vacillans et trepidus. Contra enim Seneca de Œdipo, v. 656: « repit incertus viæ, Baculo senili triste prætentans iter ». Malim igitur *numerosa* accipere de multiplicatis passibus, quia quum minores gradus in eodem spatio facit, quam juvenis, tum etiam plures, baculo ante tentans, ubi inoffensus insistat. *Certo* autem plane velim ejicere, et *crebro passu* reponere, quod codex Pulm. habuit.

226. *Rugoso* R. *dicitur* pro *creditur* idem: *creditus* habet Bip. cum nonnullis aliis. *Talia non grato* L. — *Rugato creditur ore.* Tibull. III, 5, 25: « Quum mea rugosa pallebunt ora senecta ».

227. *O Genetrix* R. — *Suscipe me, genetrix.* Tertull. Apol. cap. 10: « Quis non cælum et terram matrem ac patrem venerationis et honoris gratia adpellet? » Calpurn. VIII, 36: « Corporis et genetrix tellus ». *Matrem* Terram vulgo quidem, sed falso dici, quod post Deucalioneum diluvium cautes pepererint homines, pro scopo suo adfirmat Columella, Cult. Hort. v. 58, seqq.

228 et 229 in codice R. desiderantur. — *Membra peto gremio* L. — *Nequeo, velut ante videri*, h. c. nequeo amplius talis videri et adparere aliis, tam colendus et observandus, qualis ante fui.

230. *Horrendos partus*, quales olim terrigenæ gigantes, quos *Terræ partus* adpellat Horat. Carm. III,

Horrendos partus cur sinis esse tuos?
Nil mihi cum Superis : explevi munera vitæ :
Redde, precor, patrio mortua membra solo.
Quid miseros variis prodest suspendere pœnis?
Non est materni pectoris ista pati ».
His dictis trunco titubantes sustinet artus,
Neglecti repetens stramina dura tori.
Quo postquam jacuit, misero quid funere differt?
Heu, tantum adtriti corporis ossa vides!
Quumque magis jaceam semper, vivamque jacendo,
Quis sub vitali me putet esse loco?

4, 74. Et iguobilis contemnendnaque homo *terræ filius* proverbio dicitur, *fraterculus gigantis* Juvenali, IV, 98.

231. *Tempora vitæ* L.

233. *Extendere pœnis* R. — *Suspendere pœnis*, interim cruciare, morari, distinere. Vid. v. 155.

234. *Corporis ista* R. Hic subjicitur in L. versus insititius: *Quos quondam pulcros genuisti pectore claro*, sine pentametro.

235. *Trunco titubantes sustinet artus*. Sic Columbanus, epist. ad Sethum, v. 25: « Sic baculo nitens artus sustentat inertes ». Virg. Æn. III, 659, de Polyphemo : « Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat ».

237. *Funere distat* L. — *Misero quid funere differt*. Ovid. ex Pont. II, 3, 3 : « quid enim status hic a funere differt ».

238. *Heu nisi contracti corporis* L. *tantum attenti* Gr. *abstracti* MS Pulm. *attracti* G. melior lectio vulgata *attriti*. — *Adtriti*, adtenuati vel emaciati corporis. Fere tamen admittere velim codicis Pulm. lectionem *adtracti*: nam certe similia verba de macie adhiberi solent. Ovid. Her. XI, 27 : « Fugerat ore color, macies adduxerat artus ». Manil. IV, 717 : « Asperior solidos Hispania contrahit artus ». Quando *adtriti corporis ossa* sibi tribuit, *larvæ* se similem vult dicere, sive speciem habere Larvarum, vel Lemurum, *nudis ossibus cohærentium*, ut explicat Seneca, Epist. XXIV. Sic enim describere senes capulares macie pallidos et exsuccos solebant. *Larvale simulacrum* adpellat Apulei. Met. I, p. 5, et lib. IV, p. 67 : « busti cadaver, vitæ dedecus, Orci fastidium ». Et plane adposite auctor Eleg. de fort. viciss. v. 129 : « Sordibus et multo similis squalore sepultis, Vix inter vivos larva videnda vagor ».

239. *Magis semper jaceat vivatque* R. — *Quumque magis jaceam*, h. e. plus jaceam quam movear et agam; nisi *magis* jungere maliseum *semper* et *semper magis jaceam* accipere pro, « magis magisque lecto adfigar et mancipor »; quod foret utique latinitatis corruptioris. Ed.

240. *Quis sub vitali me putet esse loco?* Fateor me neque, *vitalis locus* quis sit, neque, *sub loco esse* quid

Jam pœna est totum quod vivimus : urimur æstu,
  Officiunt nebulæ, frigus et aura nocent :
Ros lædit, modicoque etiam corrumpimur imbre :
  Veris et autumni lædit amœna dies.
Hinc miseros scabies, hinc tussis anhela fatigat,
  Continuos gemitus ægra senectus habet.

dici possit, satis intelligere. Ferrem aliquatenus, si *sub vitali polo* scriptum esset, nam *vitalem aera* a Calpurnio, *vitalem naturam* a Rutilio dici memini, qua animantia vivunt et spirant. Neque tamen hæc sententia adsumpta satis conveniret præcedentibus. Quæ enim hæc consecutio : *Quia* mihi perpetuo jacendum in toro, et jacendo vivendum est, nemo me putabit vitali sub cælo esse. Ego hunc locum paullo acriore medicina sanandum puto, sed qua ei et sensum et elegantiam conciliem. Scribo : « Quis non vitali me putet esse toro », aut « Quis me in vitali non putet esse toro ». Nempe *vitalem lectum* aut *torum* boni ominis caussa Veteres dicebant feralem et funebrem, quo efferebantur cadavera, sicut *vitalia* omnia instrumenta funebria pro *mortualibus*. Vid. Petron. cap. 42 et 77, et Seneca Epist. 99. Et Lactantius in Phœn. v. 90, eleganter hanc dictionem ad nidum phœnicis, quo se cremat, tradnxit : « Vitalique toro membra quieta locat ». Vid. adnot. nostr. ad h. l. Jam sensus hinc aptissimus enascitur : Quum semper jaceam in toro, vivamque jacendo, quis non torum illum meum revera vitalem esse putet, in quo vivere quidem videar, sed tamen ut mortuus jaceam, proxime efferendus. *Esse in toro* pro jacere, non videtur insolens, siquidem auctor Elegiæ ad Messalam, v. 18, id verbum sic accepit : « patulæ sub tegmine quercus Mœris pastores et Melibœus erant », i. e. jacebant, vel sedebant.

241. *Quod viximus* G.

242. *Offendunt nebulæ* R. *aura nocent* V. R. G. *nocet* habent pleræque vulgatæ.

243. *Ros etiam lædit modicoque corrumpimur* (supra script. *affligimur*) *imbre* V. *corrumpitur* Bipont. fortasse ex errore, nam omnes aliæ *corrumpimur*.

245. *Hinc miseros* Gr. R. L. G. quod præferendum videtur vulgatæ *miserum*. — *Hinc miseros scabies*, etc. Juvenal. X, 218 : « circumsilit agmine facto Morborum omne genus ». Et Seneca Epist. 108 : « Senectus insanabilis morbus est ». — *Scabies*, pellis asperitas, ut *scabrida membra*, supra v. 136. Ed.

246. *Ægra senectus habet*. Frustra Withofius, p. 317, vitium correptæ syllabæ ultimæ in *senectus* amoliri ab auctore, et in descriptorum incuriam transferre conatur. Nam extremæ latinitatis poetis talia sunt communia. Nec quæ pro emendatione substituit, *ruga senilis habet*, vi et sensu æquare rejectam lectionem videntur. Ad *continuos gemitus* notari possunt similia verba Calpurnii, V, 12 : « Adspicis, ut nobis jam dudum mille querelas Adferat, et baculum premat inclinata senectus ». Columbanus, l. c. v. 26 : « Quid

Hos superesse rear, quibus et spirabilis aer,
Et lux, qua regimur, redditur ipsa gravis?
Ipse etiam, cunctis requies gratissima, somnus
Avolat, et sera vix mihi nocte redit.
Vel si lassatos umquam dignabitur artus,
Turbidus heu! quantis horret imaginibus!
Mollia fulcra tori duris sunt cautibus æqua:
Parva licet, magnum pallia pondus habent.
Cogor per mediam turbatus surgere noctem,
Multaque, ne patiar deteriora, pati.

tristes memorem gemitus, quid tædis mentis».

247. *Reor* V. R. *quibus est spirabilis* R. L. G. — *Spirabilis aer*, i. e. vitalis, quo spiramus et vivimus, quomodo adpellat Calpurn. VIII, 36. Virgilius, Æn. III, 600, dicit *cæli spirabile lumen*, eodem sensu, quia *lumen* pro aere, vel aura.

249. *Et lux, qua regimur*, qua efficitur, ut videamus, sentiamus, agamus, moveamur.

249. *Ipsa etiam* A. Pi. Bipont. *Ipse* V. R. L. G. B. O. quod etiam vult Withofius, p. 318. — *Requies gratissima somnus*. Ovid. Met. XI, 623: «Somne, quies rerum, placidissime, Somne, Deorum, Pax animi, quem cura fugit». Idem ex Pont. I, 2, 43: «requies medicinaque publica curæ Somnus». Seneca, Herc. fur. v. 1068: «Tuque o domitor, Somne, malorum, requies animi, Pars humanæ melior vitæ».

250. *Abvolat* G. B. Pu. Pi. O. *Avolat* V. R. Gr. Bip. *et sana* L. a. m. sec. — *Avolat*, deserit me. Alatum fingi Somnum a poetis, in vulgus notum est. Multis poetarum locis congestis hoc illustravit Bronkhusius, et alia super ea re erudite monuit Heynius V. C. ad versum Tibulli, II, 1, 90: «Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis Somnus, et incerto somnia vana pede».

252. *Turpibus in quantis* G. *turbidus in quantis* B. Pi. O. Bipont. *heu quantis* V. Gr. L. — *Horret imaginibus*. Ovid. ex Pont. I, 2, 45: «Somnia me terrent, veros imitantia casus, Et vigilant sensus in mea damna mei». Tibull. III, 4, 55: «Et quum te fusco somnus velavit amictu, Vanum nocturnis fallit imaginibus». Claud. Rapt. Pros. III, 124: «Somnia sæpe movent variis infausta figuris». — *Imagine* aptissime dixit, quas Varro, in fragmento de Gentibus Caucaseis *somnurnas imagines* dicit, quod referendum est ad phantasmata, quæ Macrobius describit, Somn. Scip. cap. 4. Ed.

253. *Cotibus æqua* B. Pi. O. Bip. *cautibus* V. R. Gr. G. quæ corrupte præfert *euntibus*.

254. *Magnum pallia pondus habent*. Ab Ovidio sumpsit, qui Her. XXI, 170: «At mihi, væ! miseræ, torrentur febribus artus, Et gravius justo pallia pondus habent».

256. *Ne videar deteriora* G.

Vincimur infirmi defectu corporis, et qua
Nolucrim, infelix hac ego parte trahor.
Omnia naturæ solvuntur viscera nostræ,
Et tam præclarum quam male nutat opus!
His veniens onerata malis incurva senectus,
Cedere ponderibus se docet ipsa suis.
Ergo quis has cupiat per longum ducere pœnas?
Paullatimque anima deficiente mori?
Morte mori melius, quam vitam ducere mortis,
Et sensus membris sic sepelire suis.

257. *Vivimus infirmi defectum* R. vitiose : *in firmi* O. — *Defectu*, i. e. imbecillitate, virium langore : sic *defecti* absolute exponit Burmann. Anth. t. I, p. 89, deficientes, ætate nempe, et fere ad mortem redacti; quod defectos annis alii dicunt. Vid. Salm. ad Solin. t. I, p. 325. Ed.

258. *Nos* et a m. sec. *Nox vero, infelix* V. vitiose. *Noluerim* G. et hoc præferendum videtur vulgatæ *Noluero.*

259. *Omnia naturæ*. Conf. supra v. 165, ubi eadem dixit.

260. *Et tam præclarum quod male mutat opus* B. Pi. O. Forte *Est tam* conjicit Pulm. *Heu tam præclarum* R. *quam male mutat opus* R. V. *quam male mittit* G. corrupte pro *nutat : quod malum nutat* L. Ex his colligimus legendum esse *quam male nutat opus.*

261. *Inopina senectus* A. B. Pi. O. Bip. sed *incurva senectus* V. Gr. L. G. quod sine dubio rectius aptiusque est.

262. *Sidere ponderibus* Gr. non male; sed vid. etiam vers. 274. — *Cedere ponderibus se docet ipsa suis*. Videtur auctor imagine uti labantis et in ruinam suam incumbentis domus, quam luculentius exponit Ovid. Trist. II, 83 seq. « Quum cœpit quassata domus *subsidere*, partes In proclinatas omne recumbit onus : Cunctaque Fortuna rimam faciente dehiscunt : Ipsa suo quondam pondere tecta ruunt ».

263. *Ergo quis cupiat*, sine *has*, R.

264. *Animo deficiente* V.

265. *Morte mori*, i. e. prorsus penitusque mori, quomodo alias *occisione occidere* et *internecione delere* dicitur. *Vitam ducere mortis*, h. e. ægre misereque vivendo lentam sustinere mortem, vitam trahere instar mortis protractæ. Sic Ovid. ex Pont. II, 3, 42 : « Instar et hanc vitam mortis habere puta ». Et Seneca, Herc. Oet. v. 105 : « Mortis habet vices, Lente quum trahitur vita gementibus ». Nescio an respexerit illud Æschyli, Prom. vinct. v. 749 : κρεῖσσον γὰρ εἰσάπαξ θανεῖν, Ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.

266. *Quam sepelire* L. a man. sec. *Quod sensus menti sic sepelire sue* G. — *Sensus membris sic sepelire suis*, h. e. sensus fere exstinctos atque obrutos corporis sui membris quasi sepulcro torpentes habere.

Non queror, heu! longi quod totum solvitis anni;
Improba naturæ dicere jussa nefas.
Deficiunt validi longævo tempore tauri;
Et quondam pulcher, fit modo turpis equus.
Fracta diu rabidi compescitur ira leonis;
Lentaque per senium Caspia tigris erit.
Ipsa etiam veniens consumit saxa vetustas;
Et nullum est quod non tempore cedat opus.
Sed mihi venturos melius prævertere casus,

268. *Dicere jure nefas* Pi. *dicere jura* B. O. Bip. *dicere jussa* G. *discere jussa* V. Gr. Placet *jussa*.

269. *Deficiunt validi*. Ovid. ex Pont. I, 4, 11: « Cernis, ut in duris, et quid bove firmius? arvis Fortia taurorum corpora frangat opus ».

270. *Fit modo turpis equus* L. V. R. Gr. G. *qui modo turpis* B. Pi. O. Bip.

271. *Rapidi* V. Gr. L. G. O. cæteri melius *rabidi*. *Fracta die* emendat Ommerenus. — *Fracta diu rabidi*. Clar. Ommerenus conjicit *die*, et probat locis Virgilii, Æn. IX, 8: « Turne, quod optanti Divum promittere nemo Auderet, volvenda dies en! adtulit ultro ». Cic. ad divers. lib. I, 6, 1: « et ipsa dies, quæ debilitat cogitationes inimicorum »; et lib. VII, 28, 6: « Sed etiam dies, quæ stultis quoque mederi solet ». Cortius ad hæc loca monet, *diem* esse longum tempus. Et interdum diserte *longa* additur, quod Noster, El. II, 17, et inprimis facit Tibullus, lib. I, 4, 17, ed. Heyn. « Longa dies homini docuit parere leones, Longa dies molli saxa peredit aqua ». Qui locus quia ita similis nostro est, ut Maximianus eum respexisse videatur, hinc etiam probare videtur, scriptum ab eo esse *Fracta die rabidi*. — Hæc autem sæpe confusa. Sic Alecto ap. Claud. Ruf. I, 144: « Tum corde sub imo Inclusam rabidis patefecit vocibus iram », ubi *rapidis* etiam est in aliis. En.

272. *Caspida tigris erat* G. — *Caspia tigris*. Sic adpellat Maximianus, ut alii poetæ tigres Armenias aut Hyrcanas, quod idem est. Virgil. Ecl. V, 29, et Æn. IV, 367; Ovid. Met. VIII, 121. Et *feram Caspiam* dicit Seneca, Herc. OEt. 145.

273. *Consumit* V. R. Gr. G. cæteri *consumet*. — *Consumit saxa vetustas*. Imitatus est Ovidium ex Pont. IV, 8, 49: « Tabida consumit ferrum lapidemque vetustas; Nullaque res majus tempore robur habet ».

275. *Melius prævertere casus*, h. e. melius mihi est, obire ante, quam plures acerbioresque casus eveniant, mihi subeundi. Ad hanc sententiam Lucanus, VIII, 29: « nisi summa dies cum fine bonorum Adfuit, et celeri prævertit tristia leto, Dedecori est fortuna prior ». Atque hoc inter calamitates longæ senectutis recenset Juvenalis, X, 243 seqq. quod illi videnda experiendaque sint multa tristissimaque domus et fortunæ suæ detrimenta, quæ satius fuisset non vidisse.

Atque infelices anticipare dies.
Pœna minor, certam subito perferre ruinam;
Quod timeas, gravius, sustinuisse diu.
At, quos fert alios, quis possit dicere casus?
Hoc quoque difficile est commemorasse seni.
Jurgia, contemptus, violentaque damna sequuntur;
Nec quisquam ex tantis præbet amicus opem.
Ipsi me pueri, atque ipsæ sine lite puellæ,
Turpe putant dominum jam vocitare suum.
Irrident gressus, irrident denique vultus,
Et tremulum, quondam quod timuere, caput.

276. *Anticipare dies*, præveniendo avertere, superare. Sic *anticipare viam* Ovidio, Met. III, 234, est celerius et maturius absolvere: « sed per compendia montis Anticipata via est ». Severus Sanctus, Carm. Buc. v. 27: « Cur non anticipans quæ metuenda sunt, Admosti medicas manus ».

277. *Proferre ruinam* G. male. — *Certam subito perferre ruinam.* In hanc sententiam Ovid. ex Pont. III, 7, 27: « Mitius ille perit, subita qui mergitur unda; Quam sua qui tumidis brachia lasset aquis ».

278. *Quod timeam* L. *Quam timeas* G. — *Gravius sustinuisse diu.* Diu ejus metum ferre, quod semel metuendum est. Aliter hoc eloquitur Seneca, Troad. 869: « Optanda mors est, sine metu mortis mori », h. e. repentina mors, quæ ante contingat, quam metueris, optanda maxime est. Qualem mortem optabant sibi Cæsares, pater et nepos, teste Suetonio, Jul. c. 87, et Aug. 99.

281. *Violentia damna* L. *violataque damna* V. Gr. G. cæteri *violentaque.* — *Jurgia, contemptus.* Inter præcipuas senum querelas est, quod se contemptui esse aliis, præsertim junioribus, putant. Cic. Cat. c. 3, de Salinatore et Albino refert: « Deplorare solebant (senectutem) tum quod voluptatibus carerent, tum quod spernerentur ab iis, a quibus essent coli soliti ».

282. *Ex tantis*, et tot amicis.

283. *Pueri et juvenes* L. *pueri atque sine lite puellæ* hiante metro, G.

284. *Me vocitare* L. G. cæteri *jam vocitare.*

285. *Denique vultus* L. G. cæteri *vultum.* Illud præfero, quia eodem plurali utebatur supra v. 94. — *Irrident denique vultus, Et tremulum … caput.* Graviter hæc describit Juvenalis, X, 191: « deformem ante omnia vultum, Dissimilemque sui… cum voce trementia labra, Et jam læve caput ». Catullus, Carm. LXI, 161: « Usque dum tremulum movens Cana tempus anilitas Omnia omnibus adnuit ». Claudii Imp. *caput maxime tremulum* inprimis derisui fuisse, intelligitur ex Juvenal. VI, 621, et Suet. Claud. c. 30. — Et vide alia exempla supra adlegata ad v. 202, p. 218. Ed.

Quumque nihil videam, tamen hoc spectare licebit,
Ut gravior misero pœna sit ista mihi.
Felix, qui meruit tranquillam ducere vitam,
Et lætos stabili claudere fine dies!
Dura satis miseris memoratio prisca bonorum,
Et gravius summo culmine missa ruunt.

287. *Quamque nihil videam* A. O.

288. *Et* (vel *ut*) *misero gravior* V. cæteri, ut edidimus.

290. *Et læto* vel *lecto stabiles*, vel *lætos stabili*, utrumque proponit V: *leto instabiles* R. *læto stabiles* Gr. G. cæteri *lætos stabili*. — *Stabili fine*, certo, nec diu dubio et metuendo.

291. *Prisca laborum* L. — *Summo culmine missa ruunt*, nempe de culmine fortunæ dejecta, ut Claud. Prol. ad lib. I, in Eutr. v. 5: « Culmine dejectum vitæ fortuna priori Reddidit ». Qui rebus ante prosperrimis lætissimisque usi sunt, quum subito casu adfliguntur, gravius multo, quam alii ruunt. Et respexisse omnino auctor videtur hanc sententiam Claudiani, in Ruf. I, 21: « jam non ad culmina rerum Injustos crevisse queror: tolluntur in altum Ut lapsu graviore ruant ».

292. *Magna ruunt* V. Gr. *mersa ruunt* L. G. cæteri *missa ruunt*.

MAXIMIANI ETRUSCI

ELEGIARUM LIBER.

ELEGIA II.

En dilecta mihi nimium formosa Lycoris,
Cum qua mens eadem, res fuit una mihi,
Post multos, quibus indivisi viximus, annos
Respuit amplexus heu! stupefacta meos;
Jamque alios juvenes, aliosque requirit amores:
Me vocat imbellem, decrepitumque senem;
Nec meminisse valet transactæ dulcia vitæ,

1. *Multum formosa* V. Gr. *liquoris* vitiose pro Lycoris R. L. G.

2. *Res eadem, mens fuit una* P. ed. — *Res fuit una mihi*, rei familiaris et bonorum communia: quomodo intelligitur in illa formula divortii: *Res tuas tibi habeto.*—Sed verisimiliter Wernsdorfius filius accipit de consuetudine venerea, quomodo et Græci τὸ πρᾶγμα et τὸ ἔργον dicunt sæpissime. Vid. præter multos alios Trillerus, Observ. crit. c. 14, p. 212. En.

3. *Indivisim* L.— *Indivisi viximus.* Ovid. ex Pont. III, 4, 69: « Magnaque pars animæ mecum vixistis amici ». Apuleius in Apolog. p. 308 Elmenh. « qui individuo contubernio mecum vixit ».

4. *Respicit amplexus hæc stupefacta* G *pavefacta* V. L. P. — *Stupefacta*, subito ita mutata, quasi erepto omni sensu et amore mei. Vid. El. I, 126.

7. *Meminisse volet* habetur in vulgatis: pro eo *solet* eleganter conjicit Ommerenus. *Gaudia vitæ* pro *dulcia* V. G. quod glossema esse videtur. Ita tamen mutavit olim, observante Ommereno, Abb. Columbanus, Epist. ad Sethum, v. 31, *Quid meminisse juvat transactæ gaudia vitæ.* — *Meminisse volet.* Faveo quidem conjecturæ Ommereni, *solet* reponentis, quia præcessit *respuit*, *requirit*, *vocat*, et sequitur *fingit*. Sed hanc ipsam ob caussam ego malui *valet* scribere, quod similius est τῷ *volet*, et apte respondet τῷ *stupefacta*, quod dixit v. 4. Ita scilicet stupefacta est, ut ne valeat quidem meminisse, etc. *Dulcia vitæ* eo sensu dixit, quo usurpat Dido apud Virg. Æn. IV, 318: « Si bene

Nec, quod me potius reddidit ipsa senem.
Immo etiam caussas ingrata ac perfida fingit,
Ut spretus vitio judicer esse meo.
Hæc me præteriens quum dudum forte videret,
Exspuit, obductis vestibus ora tegens.
Hunc, inquit, dilexi, hic me complexus amavit?
Huic ego sæpe, nefas, oscula blanda dedi?
Nauseat, et priscum vomitu ceu fundat amorem,
Imponit capiti plurima dira meo.

quid de te merui, fuit aut tibi quidquam Dulce meum ».

8. *Sed quod* R. — *Quod me reddidit ipsa senem*. Commode huc refert Omnerenus similem locum Catulli, XI, 21: « Nec meum respectet, ut ante, amorem, Qui illius culpa cecidit; velut prati Ultimi flos, prætereunte postquam Tactus aratro est ». Ipsa meam juventutem exhausit, et ante tempus me senem fecit invalidum. Ed.

10. *Ut spretum vitio judicet esse* L. P. *spretus vitio indicit* vitiose G.

11. *Hic me præteriens* G.

12. *Exspuit*, ad significandum contemptum, vel quasi ad avertendum portentum, quod idem seni inepto evenire dicit Tibull. I, 2, 96, Heyn. « Hunc puer, hunc juvenis turba circumterit arcta; Despuit in molles et sibi quisque sinus ». — *Vestibus ora tegens*, pudoris vel indignationis signum. Ovid. Met. X, 421: « pudibunda vestibus ora Texit »; et auctor Ciris, v. 342: « Paullatim tremebunda genis obducere vestem ».

13. *Hunc ego dilexi, meque hic complexus amavit* Bas. P. O. *Hunc, inquit, dilexi, hic me* V. Gr. *hic me etiam* R. Hæc lectio elegantior superiore, quia etiam sequitur *Huic ego*. *Hunc, inquit, dilexi, complexus ejus amavi* G.

14. *Oscula multa dedi* V. Gr. G.

15. *Fundit* L. *vomitu diffundit* G. — *Vomitu ceu fundat amorem*. Fastidium et contemptum suum simulata nausea significat, quæ est stomachi concitatio ad vomitum: unde *fluentem nauseam* dicit Horat. Epod. IX, 35. Quæ autem hac nausea reddit Lycoris, sunt convicia, probra et diræ, quas versu in minore *imponi* dicit, quæque alias Latinis *evomi* dicuntur.

16. *Plurima probra* G. — *Imponit capiti plurima dira meo*. Apuleius, ad finem Florid. VII: « An non summam contumeliam vobis imponit, qui vos arbitratur maledictis optimi cujusque gaudere? » *Caput* pro ipsa persona, vita, salute. Ovid. Her. XX, 127: « In caput hæc nostrum dominæ perjuria, quæso, Eveniant ». Tibull. I, 2, 12: « Et, mala si qua tibi dixit dementia nostra, Ignoscas; capiti sint precor illa meo ».

17. *En quid* V. Gr. L. *nunc nufert.* V. R. G. *quod sibi* et versu seq. *putat* R. *ut* vel *nec sibi* a manu sec. et v. seq. *vivere turpe putat.* L. sed scriptor libri L. *vivere* posuisse

Heu! quid longa dies nunc adfert? ut sibi quisquam
  Quondam dilectum prodere turpe putet?
Nonne fuit melius tali me tempore fungi,
  Quo nulli merito despiciendus eram;
Quam, postquam periit quidquid fuit ante decoris,
  Exstinctum meritis vivere criminibus?
Jam nihil est totum quod viximus: omnia secum
  Tempus præteriens, horaque summa trahit.
Atque ea, dum nivei circumdant tempora cani,
  Et jam cæruleus inficit ora color,

videtur, quod τὸ *prodere* falso interpretabatur. — *Heu! quid longa dies.* Heu! quiddam illud, et quam mirum est, quod longa ætas adfert, ut quisquam alium olim sibi probatum atque dilectum, jam turpe putet, id confiteri: *prodere* enim hoc loco est fateri. E recepta quidem melioribus scribendi ratione dicendum erat *quod sibi quisquam... turpe putat*, idque ipsum propterea posuisse videtur cod. R. sed τὸ *ut* pro *quod* sæpe usurpari a sequioris ævi scriptoribus, monui Excurs. ad Calpurn. III, vs. 35, hujus optom. I, p. 446. Ed. — Similis Ovidii querela de uxore est Trist. IV, 3, 51: «Me miserum, si turpe putas mihi nupta videri! Me miserum, si te jam pudet esse meam».

20. *Quo merito nullum decutiendus eram* G. nullo sensu.

21. *Sed postquam* V. Gr. Sed hæc lectio connexionem et consecutionem sententiarum tollit.

23. *Jam nihil est totum quod viximus.* Nihil mihi prodest, vel in cassum cecidit omne illud, quod adhuc vivendo egi, merui, consequutus sum. — *Omnia fecit* V. Gr. sed hoc corruptum ex voce *secum* male lecta.

25. *Atque equidem nivei* V. Gr. G. *Atque eadem* R. *Et quamvis* P. Reliquæ vulgatæ habent *At mea jam nivei.* Quæ si de canitie Maximiani intelligantur, parum dicere videntur pro ea deformitate, quam sibi hactenus tribuit, parumque respondent præcedentibus dictis. At varietates lectionis, hoc in versu reperiundæ, ulcus subesse significant, et potius auctori sermonem esse de incipiente canitie Lycoridis, ut dicat: Quamvis ipsius Lycoridis tempora jam cani circumdent, Restat tamen illa speciosa, et sibi talis esse videtur, etc. Hinc malo scribere cum Pulm. *Et quamvis nivei*, vel ex R. corrigere *Atque ea* (scil. Lycoris), *dum nivei.* — *Atque ea, dum nivei. Atque ea* Lycoris, *dum canis* per tempora sparsis et *cæruleo* vultus *colore* signa prodit incipientis senectutis, *Restat adhuc speciosa.* Possis etiam legere *Ae mea* sc. Lycoris. Diserte auctor infra v. 53 Lycoridi canitiem tribuit.

26. *Conficit ora* V. Gr. sed hoc minus aptum loco, et adsumptum a librariis, ut ultimam brevem in *cæruleus* ex metri lege longam efficerent: qua tamen cura non opus

Restat adhuc, nimiumque sibi speciosa videtur,
Atque annos mecum despicit illa suos.
Et fateor, primæ retinet monumenta figuræ,
Atque inter cineres condita flamma manet.
Ut video, pulchris etiam vos parcitis, anni;
Nec veteris formæ gratia tota perit.
Relliquiis veterum juvenes pascuntur amorum,
Et si quid nunc est, quod fuit ante, placet.
Ante oculos statuunt primævi temporis actus,
Atque in præteritum luxuriantur opus.

erat: nam in pentametro cæsura brevem produci alias diximus. Ed. — *Cæruleus inficit ora color*. Supra El. I, 134: « nunc incipit ora Pallor et exsanguis funereusque color ».

27. *Præstat adhuc* omnes scripti et excusi, una excepta G. quæ *Restat* exhibet; quod præfercudum alteri duco, ut sententiæ aptius, *sibi formosa* Gr. — *Restat adhuc*, i. e. superest adhuc et remanet speciosa, talisque sibi videtur, quasi quæ resistere ætati venienti potuerit.

28. *Despicit ipsa suos* V. et G. — *Annos despicit illa suos*. Nihil curat, quot annos habeat, dum forma maneat sibi, me quasi exstincto. Ed.

29. *Prima* habet Pi.

30. *Atque inter cineres condita flamma manet*. Manet adhuc in senescente corpore decor ille e juvenilibus annis residuus, qui excitare adeo flammas amoris queat. In hunc ipsum modum Horatius, Carm. IV, 13, extr. pulchritudinem amabilem ætate consumptam vocat « Dilapsam in cineres facem ». Quam oden adeo Maximianus ante oculos habuisse videtur, siquidem in ejus principio idem de Lyce Flaccus dicit, quod Noster præcedente versu de Lycoride: « fis anus, et tamen Vis formosa videri ».

31. *Ut videor* V. R. *nos parcimus annis* G. *vos parcitis annis* Amst. Bip. cum nonnullis aliis; sed *vos parcitis anni* A. Pn. Pi. Bas. O. quod rectum est. Sic enim Noster et supra El. I, 267: *Non queror, heu! longi quod totum solvitis anni*. Withofius usum hunc Maximiani non observavit, simulque vitiosa lectione *annis* deceptus est, quum Encæn. crit. p. 320, hunc versum ita correxit: *Di, video, pulchris etiam vos parcitis annis*.

34. *Sed si quid* Bas. Pi. O. Bip. et aliæ. *Et si quid* Gr. G. P. Et hoc volunt Withofius et Ommerenus, omnino recte. *Si quid nunc est, quod fuit ante, placet*, sic distinguunt B. Pi. Bip. et pleræque aliæ, sed *quod, fuit ante, placet* A. O. Mihi paullo impeditior hæc dispunctio videtur: præfero superiorem. Nempe, si quid nunc est, id placet propterea, quod fuit ante.

36. *In præteritum luxuriatur opus*, h. e. libidinose adpetunt opus, vel rem, quæ quia defecit jam, pro præterita habenda est. Luxus, luxuria, luxuriari serioris ætatis scri-

Sed quia nos totus membrorum deserit usus,
  Nullos amplexus, quos remoretur, habet.
Sed miseris solus superest post omnia luctus:
  Quot bona tunc habui, tot modo damna fleo.
Ergo velut pecudum præsentia sola manebunt?

ptoribus de libidine, amoribus et stupris adhibetur, sicut a Nostro rursus infra v. 69. Et ante Maximianum Aurelius Victor in Epitome, de Licinio agens, *luxum Venereum* dixit. Quamquam Martialis sic jam usurpasse videtur, III, 69: « nihil est te sanctius uno: At mea luxuris pagina nulla vacat ». Plura autem exempla Cangius dabit in Glossario.

37. *Et quia* pleræque vulgatæ. *Sed quia* V. Gr. G. *At quia* volunt Withofius et Ommerenus, quod idem est.

38. *Nullos amplexus, quos remoretur, habet* Pi. Bip. et aliæ vulgatæ: *quis remoretur* vult Ommerenus: *quos memoretur* A. B. O. *Nullus amplexus, quod memoretur, habet* L. *Nullus ad amplexum, quod memoretur, habet* V. P. Gr. *Nullus ad implexum quod memor etas habet* G. Difficile est, in tam varia constitutione versus, quæ in libris est, reperire, quid verum sit. Suspicor tantum scriptum ab auctore esse, quod plures Mspti significant: *Nullus, ad amplexus quod remoretur, habet*, h. e. non habet, quod remoretur, teneat puellam, ad amplexus jungendos. — Hunc versum obscurum et malesanum post omnes has conjecturas leni et facili medicina restituendum sic putat Wernsdorfius: *Nullas, amplexus quas remoretur, habent*, scil. membra. Nisi forte aptius hoc: *Nullius amplexus, quod memoretur, habet*; ut se comparet cum juvenibus quos dixerat pristinis amoribus facile denuo incalescere et pasci, seque neget, quia prorsus effeto sit corpore, pristinis voluptatibus memoria repetendis ullo suavitatis sensu adfici. Similiter mox v. 42: « Nil de transactis, quod memoretur, erit ». Ed.

39. *Sed solis miseris* L. *superest super omnia* G.

40. *Tot modo damna fleo*. Post hunc versum cod. Lun. hoc distichon inserit: *Omnia nemo potest, non omnes omnia possunt Efficere, hoc vincit femina juncta viro*. Idem exhibent reliqui Msti, quos habeo, eumque iis antiqua ed. Germ. qui tamen in principio rectius scribere videntur *Omnia nemo pati, non omnes*, etc. nonnullis aliis mutatis. Sed adparet, insititios hos esse versus, et parum adtinere ad contextum. Nec ulla impressorum librorum, post Ascensianam, editio eos recepit.

41. *Ergo*, quæ *præsentia*, vel in præsenti, habemus, *sola manebunt*, hærebunt in animis, memorabuntur, *velut pecudum*, quasi pecudes simus, quæ nihil de præterito meminerunt, tantum quod ante pedes est, vident et adpetunt. Pariter Claudianus in Eutr. II, 50, homines vitiis deditos futura negligere dicit, præsentibus frui: « Sed quam cæcus inest vitiis amor! omne futurum Despicitur, suadentque brevem præsentia fructum ».

Nil de transactis, quod memoretur, erit?
Quum fugiant et bruta novos animalia campos,
Ac repetant celeres pascua nota greges.
Sub qua decubuit requiescens, diligit umbram
Taurus, et amissum quærit ovile pecus:
Dulcius in solitis cantat philomela rubetis,
Fitque suum rapidis dulce cubile feris.
Tu tantum bene nota tibi, atque experta relinquis
Hospitia, et potius non manifesta petis.
Nonne placet melius certis confidere rebus?
Eventus varios res nova semper habet.
Sum grandævus ego, nec tu minus alba capillis,

43. *Quum fugiunt*, et v. sq. *Ac repetunt* V. Gr. *Ut fugiunt, ut repetunt* R. *Confugiunt* L. et G. Atque ii omnes in versibus sequentibus indicativos continuant, *repetunt, diligit, quærit, cantat, Fitque*. Impressi contra perpetuis subjunctivis utuntur, *Quum fugiant, repetant, diligat, quærat, Sitque*. Ego de hac diversitate sic judico, quum in principio versus 43 vix aliter legi queat, quam *Quum fugiant*, atque hoc distichu generaliter animalia et greges nominentur, etiam in minore versu scribendum esse *Ac repetant*. Sed in duobus distichis sequentibus, ubi auctor ad exempla et species animalium progreditur, convertenda videtur oratio, ut directa fiat, et indicativi ponantur, quemadmodum in Msptis veteribus fit.

45. *Sub qua concubuit*, vel *succubuit* V. *corrubuit* Gr. *requiescere diligit umbra* V. — *Sub qua decubuit requiescens*. Sic Calpurn. III, 15: « illic requiescere noster Taurus amat, gelidaque jacet spatiatus in umbra ».

46. *Quærit ovile pecus:* nempe oves proprie pecus. Avien. Descr. Orb. vs. 306: « multo sonare per agros Balatu pecudes », et pluribus locis.

47. *In solitis cantat philomela rubetis*. Similem sententiam de philomela et feris, adsuetos saltus et cubilia amantibus, habes apud Ovid. ex Pont. I, 3, 39 seq. unde forte deprompsit sua Maximianus: « Quum bene sit clausæ cavea Pandione natæ, Nititur in silvas illa redire suas: Adsuetos tauri saltus, adsueta leones (Nec feritas illos impedit) antra petunt.

49. *Tu tamen bene nota:* sic nonnullæ vulgatæ. *Tu tamen et bene* Bip. Sed Withofius p. 321 contendit scribendum esse *Tu tantum*, idque omnes excusi, qui apud me sunt, habent. *Tu tantum bene cuncta nota atque experta relinquis* G. mendose.

50. *Non manifesta petis:* ea petis, quorum tibi nondum explorata est conditio.

53. *Tu non minus alba capillis* G. — *Alba*. Certe hic convenientius

Par ætas animos conciliare solet.
Si modo non possum, quondam potuisse memento:
Sit satis, ut placeam, me placuisse prius.
Permanet invalidis reverentia prisca colonis:
Quod fuit, in vetulo milite miles amat.
Rusticus expertum deflet cessasse juvencum:
Cum quo consenuit, victor honorat equum.

cana quam *alba* dicatur, nam hoc de capillis seniorum vix dici usquam arbitror. Sed *cana* pro *alba* usurpatum non raro probat adductus versus ex Anth. lib. I, ep. 13: « Cæruleus cana sub nive Pontus erat », quod de mari Euxino congelato et nivibus tecto dici posset, sed hic de spumis undarum per remos agitatis et albescentibus intelligendum. Nix enim hic non proprie intelligitur, sed de spumis albentibus; ideoque *canam* non *albam* vocat, ut *cani fluctus* propter spumas sæpe apud poetas. « Fluctu spumabant cærula cano » apud Virg. Æn. VIII, 672. « Exstantes de gurgite cano » apud Catullum, Carm. LXII, 18; ut θῖνα ἁλὸς πολιῆς, *litus maris cani*, dixit Homer. Iliad. I, 350; vid. Lamb. Bos, Observatt. crit. cap. 29, p. 128. Ed.

54. *Consociare solet* R.

57. *Permanet invalidis* conjunctim pro *in validis*, quod in vulgatis est, legendum esse statuit Ommerenus, quod probo. Idem in versu seq. ita interpungendum esse censet, uti fecimus. — *Invalidis reverentia prisca colonis*. Ovid. Fast. V, 57: « Magna fuit quondam capitis reverentia cani, Inque suo pretio ruga senilis erat ».

59. *Cecidisse juvencum* V. L. P. G. quod probat Vlitius ad Grat. v. 9: vulgatæ *cessisse*, pro quo *cessasse* legi jubet Burm. Anth. vol. I, p. 733. — *Expertum*, sensu passivo quod jam apud Avienum notavimus, pro *emerito*, i. e. ætate confecto, quamquam et emeritus quoque bos dicatur qui sub vesperam arare cessat, ut in his Eleg. in obit. Mæc. « Lux est, taurus arat; nox est, requiescit: arator Liberat emerito fervida colla bovi ». Ed. — *Deflet cessasse juvencum*, senio confectum jam imparem esse operi rustico, et arare desiisse. Claud. de Rapt. Proserpinæ, I, vs. 197: « cessante juvenco Ditior oblatas mirabitur incola messes ». Et *cessata arva* dicuntur Ovidio, Fast. V, 617, quæ coli desierunt.

60. *Cum quo consuevit* R. L. G. *victor honorat* V. R. Gr. L. G. quod melius est, quam *miles*, quod est in vulgatis. Idem probat Burman. l. c. — *Cum quo consenuit, victor honorat equum*. Victor, qui cum equo eo in ludis Olympicis vel Circensibus vicit; *honorat*, ut bene meritum, concedenda quiete, et præbendis alimentis. Celebratus est versus Ennii apud Cic. de Sen. c. 5: « Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit ». Horatius, Epist. I, 1, 8, *senescentem equum* esse *solvendum* ait. Conf. Ovid.

Nec me adeo primis spoliavit floribus ætas:
En facio versus, et mea facta cano.
Sit gravitas, sitque ipsa tibi veneranda senectus;
Sit, quod te nosti vivere velle diu.
Quis suam in alterius condemnet crimine vitam?
Et quo pertendit, claudere certet iter?
Dicere si fratrem, seu dedignaris amicum,
Dic patrem, adfectum nomen utrumque tenet.
Vincat honor luxum, pietas succedat amori:

Trist. IV, 8, 20. Subinde solebant equos bene meritos omni opere humano exsolvere, sacrare alicui Deo, et dimittere sine custode in arva et pascua. Vid. Sueton. Jul. cap. 81; Ovid. Am. II, 9, 20. Talis mihi videtur *Victor equus* apud Virgil. Georg. III, 499, qui dum vagus et liber errat in campis, morbo correptus « Labitur infelix, studiorum atque immemor herbæ ». Maxime vero honores equis bene meritis habitos testantur tumuli iis facti et epitaphia posita: de quibus fortasse alio loco et tempore.

61. *Non me adeo* R. G.

62. *Mea dicta cano* vulgatæ omnes, quas habeo: *mea facta* V. Gr. L. P. quod præfero.

64. *Quod denosti* vitiose habent plures vulgatæ, ipsa Bip. *te nosti* L. A. B. Pu. Pi. rel. idque ipsum corrigit Withofius pag. 322: *quod me nosti* G. male.

65. *Quisnam in alterius* V. Gr. *Quisque suum... condemnat* L. *Quis suam alterius contemptus crimine* R. *Quis in alterius* G. Burm. Anthol. vol. I, p. 46, e codicis Voss. verbo *Quisnam*, voculis transpositis, legendum censet *Nam quis in alterius*, sed male: nam *Quisnam* e vera lectione, quæ in vulgatis exstat, *Quis suam* corruptum est, et *suam* ad sensum necessarium est. — *Quis suam in alterius*, etc. h. e. Quis tam demens est, ut, dum alium criminatur, quod diu inutilis et indignus vivat, hinc semet ipsum judicet indignum longiore vita esse, aut se, quod ipse cupiat diutius vivere, condemnet.

66. *Et quod pertendit* V. Gr. *Et quo pertendit* Bas. *Et per quod tendit* L. cæteri habent *Et quo prætendit*. *Tendit iter* pro *certet* L. *claudere curet* V. — *Claudere certet iter*, omni studio impedire et finire tentet iter, et longius ire vetet alium, quo tamen ipse pertendit.

67. *Dicere si fratrem*. De usu hujus vocabuli pro *amatore* vid. Heynius ad hæc Tibulli, III, 1, 23: « Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra, etc. » — Hic tamen sensus verbi *frater* Ovidio innotuisse non videtur, qui Biblida, fratri Cauno epistolam mittentem, ostendit ea adpellatione uti nolentem, Metam. IX, 570: « Fer has, fidissime, nostro Dixit, et adjecit longo post tempore, fratri ». Ed.

69. *Vincat honor luxum*, libidinem et lasciviam reprimat, expel-

Plus ratio, quam vis cæca, valere solet.
His lacrymis longos, quantum fas, flevimus annos:
Est grave, quod doleat, commemorare diu.

lat. Vid. vs. 36, et V, 64. De ea significatione *luxus* et *luxuriæ* egit Burm. ad Suetòn. Ner. cap. 29. — *Succedit amori* G. *amore* V.

70. *Ratio quamvis cæca* est in pluribus vulgatis: sed divisim scribendum esse *quam vis cæca*, recte monent Withofius et Ommerenus. Distincte etiam hoc exprimit editio vetus Bas. *Plus quamvis ratio cera valere solet* G. — *Plus ratio, quam vis cæca*. Videtur respicere illud Horatii, Carm. III, 4, 65: « Vis consili expers mole ruit sua ».

71. *Longos quamvis deflevimus* R.

72. *Commemorasse* V. Gr. pro *diu* L. *semel et memorare* G. — Hanc sententiam de præteritis amoribus dure veram illustrant, Macrob. Saturn. VII, 2, Euripidis laudator; Cic. de Fin. II, 32; Homer. Odyss. O, 397-400. Virgil. Æn. I, 203: « forsan et hæc olim meminisse juvabit »; et Æn. II, 12: « animus meminisse horret »; et ipse Stat. Theb. I, 472: « forsan et has venturus amor præmiserit iras, Ut meminisse juvet ». Ed.

MAXIMIANI ETRUSCI

ELEGIARUM LIBER.

ELEGIA III.

NUNC operæ pretium est quædam memorare juventæ,
Atque senectutis pauca referre meæ;
Quo lector mentem rerum vertigine fractam
Erigat, et mœstum noscere curet opus.
Captus amore tuo demens, Aquilina, ferebar,
Pallidus et tristis, captus amore tuo.
Nondum quid sit amor, vel quid Venus ignea, noram;
Torquebar potius rusticitate mea.

1. *Operæ est pretium* R. *est* omittit sine damno G.

3. *Quo lector* A. B. Pi, O. *Quis*, i. e. *queis* V. G. *Quo rector* R. *ferrugine fractum* L. *fractum* G. — *Quo lector mentem*. Ut leetor, ubi tristem rerum mearum conversionem hactenus commemoratam legerit, seque animo fractum senserit, nunc denuo leviores juventutis meæ casus audiens, erigat et adtendat animum, et cætera mœsti operis mei cognoscere cupiat. — *Rerum vertigine*, mutatæ fortunæ vicissitudine. Sic Lucan. VIII, 16: « Occursu stupuere ducis, vertigine rerum Attoniti ».

4. *Dicere curet* V. Gr. *curat* G.

5. *Raptus amore* G. *Aquilona* V. Gr. *videbar* pro *ferebar* G. — *Captus amore tuo*. Hanc lectionem merito omnes præferunt; nam *capi amore* vel absolute capi poetis solenne est. Ovid. Epist. XX, 44: « Sit dubium possisne capi..... sed capiere tamen ». Ed.

6. *Pallidus et certus* G.

7. *Novi* pro *noram* R. L. — *Nondum quid sit amor... noram*. Pariter Claud. de nupt. Hon. v. 3: « Nec novus unde calor, nec quid suspiria vellent Noverat incipiens et adhuc ignarus amandi ». Virg. Eclog. VIII, 43: « Nunc scio quid sit Amor ». Ed.

8. *Rusticitate mea*, pudore rustico, qui arte, dolo, nequitia nescit, nec audet uti, ut voto suo potiatur. Ovid. Art. Am. I, 607: « Colloquii jam tempus adest, fuge, rustice, longe Hinc, pudor: audentem Forsque Venusque juvat ». Idem Her. XVII, 186: « utinam bene cogere possis!

Nec minus illa mea percussa a cuspide, flagrans
Errabat, tota non capienda domo.
Stamina, pensa procul nimium dilecta jacebant :
Solus amor cordi curaque semper erat.
Nec reperire viam, qua cæcum pasceret ignem,
Docta, nec alternis reddere verba notis.

Vi meâ rusticitas excutienda fuit ».

9. *Non minus* Gr. G. *illa meo* V. Gr. *percussa a cuspide* A. B. Pi. O. *percussa cuspide* G. *percussa cupidine* V. R. Gr. L. *flagrat* vel *flagrans* V, *flagrat* Gr. Recipio lectionem *percussa a cuspide*, quia *percussa* magis aptum est cuspidi, quam cupidini. — *Mea percussa a cuspide*, eadem qua ego tactus sum Amoris sagitta percussa, pari amoris furore correpta. Vulgatum est sagittas, arcus Amoris pro ipso amore poni. Videtur tamen *cupidine*, quod in aliis edd. est, firmari hoc Ovid. Met. XIV, 29 : « Optantemque eadem parilique cupidine captam ».

10. *Flagrans Errabat*, furore incensa et impotens animi vagabatur, ut supra v. 5 : « demens ferebar ». *Tota non capienda domo*, ita furens, ut tota domo contineri non posset, quin extra vagari cuperet. Quemadmodum Dido apud Virg. Æn. IV, 300 : « Sævit inops animi, totamque incensa per urbem Bacchatur ».

11. *Carmina pulsa procul* A. B. Pi. O. *Stagmina pensa* Gr. Hoc etiam e codice antiquo producit et probat Vlitius ad Nemes. Cyn. v. 91, et *stagmina* scriptum putat pro *stamina*, ut in Nemes. *subteguinae* pro *subtemine*, in Avieno *exaguina* pro *examina*. *Stamina, pensa* V. L. P. G. Hæc lectio sine dubio rectior. Qui enim carmina apud Aquilinam jacuisse dicere poterat auctor, quam mox v. 14 adfirmat scribere non potuisse. Nisi forte, qui *carmina* scripserunt, *carmen* a carendo lanam, vel carminationem lanæ intellexerunt. Hinc enim *carmina* et *stamina* in pluribus poetarum locis confundi et permutari monet Burm. Anthol. Lat. vol. II, p. 267. — *Stamina, pensa*, telæ, colus, sunt operæ consuetæ puellarum, quas deserere et negligere dicuntur, alio animi studio vel morbo abreptæ. Auctor Ciris v. 177 : « Nulla colum novit : earum nec respicit aurum : Non Libyco molles plauduntur pectine telæ ». Ovid. Met. IV, 10 : « Telasque, calathosque, infectaque pensa reponunt ».

13. *Non reperire* R. *qua secum pascere ignem* G. vitiose.

14. *Docta nec adloquiis* G. — *Nec alternis reddere verba notis*. Intelligo de epistolis vel tabellis mutuo missis, et responsum ferentibus. Nam *notæ* ponuntur pro literis, ut in hoc Ovidii, Art. Am. III, 469 : « Verba vadum tentent abiegnis scripta tabellis : Accipiat missas apta ministra notas ». *Alternæ notæ* sunt invicem scriptæ et missæ, quemadmodum *alterni sermones* Horatio, Art. Poet. 81, sunt dialogi. Plenius eloquitur Ovid. ex Pont. lib. IV, Epist. 2, 6 : « cessavit epistola nunquam Ire per alternas officiosa vices ».

Tantum in conspectu studio perstabat inani,
 Anxia vel solo lumine corda fovens.
Me pedagogus adit, illam tristissima mater
 Servabat, tanti pœna secunda mali;
Prensabantque oculos nutusque per omnia nostros,
 Quique solet mentis ducere signa color.
Dum licuit, votum tacite compressimus ambo,
 Et varia dulces teximus arte dolos.
At postquam teneram rupit verecundia frontem,
 Nec valuit penitus flamma recepta tegi,

15. *Studium perstabat inane* R. L. *in conspectum studio præstabat inani* G. sed vulgata, quam dedimus, lectio melior. — *Tantum in conspectu*, etc. Hoc tantum studebat, ut assidue stare in conspectu, et adspicere adspicique vellet, quo tamen studio nihil ipsa proficiebat.

16. *Anxia vel solo lumina corde fovens* B. O. et reliquæ recentiores: *de solo* L. *solo lumine corda fovens* L. P. Pi. Idem per conjecturam statuit Ommerenus.

17. *Pædagogus adit me, illam* Bas. Pi. ed. Hanov. et plures recent. cum Bip. *Me pedagogus adit, illam* V. R. L. P. A. O. et sic ex Mpto Jureti legit Salmas. ad Spart. pag. 157, notante Heinsio. *Me pedagogus habet, illam* G.

18. *Taciti* et supra *tanti* L. — *Tanti pœna secunda mali.* Hoc alterum illud erat, quod in isto malo nos excruciaret. *Pœna* sæpius utitur Noster pro molestia et cruciatu; ut El. I, 4, 183, 241.

19. *Prensabantque* B. Pi. O. *Pensabant* vel *signabant* V. R. Gr. L. G. — *Prensabunt oculos nutusque.* Observabant, adripiebant, adnotabant, ut inde arguerent. Ovid. Am. II, 7, 6: « In vultu tacitas arguis esse notas ».

20. *Mentis ducere signa* B. Pi. O. et recentiores. *Dicere signa* L. *dicere singula color* G.

21. *Compressimus* omnes vulgatæ: *compescimus* R.

22. *Et varia dulces teximus arte dolos*, sic vulgatæ, sed *varios dulci* R. L. G. Præfero lectionem vulgarem; *arte jocos* vult With. p. 324, sed præcedenti *teximus* minus convenit. Ed.

23: *At tandem* R. Gr. P. *rupit verecundia mentem* G. *rupit vehementia frontem* corrigit Withofius, quem non audio. Vitium metri in voce *verecundia* sæpius admittit Noster, ut v. 61; V, 55. — *Rupit verecundia frontem.* Verecundia, quæ adhuc fuit, rupto et soluto omni pudore, de fronte profugit. Ovid. Her. IV, 155: « Depuduit, profugusque pudor sua signa relinquit ». Frons ut sedes pudoris, ita ipse pudor. Pers. V, 104: « exclamat periisse Frontem de rebus ». Cæterum hic minus accurate rem eloquutus est Maximianus, etiamsi a vitio metri discesseris.

24. *Penitus flamma receptā tegi.* Ovid. Fast. V, 403: « penitusque

Mox captare locos et tempora cœpimus ambo,
Atque superciliis luminibusque loqui :
Fallere sollicitos, suspensos ponere gressus,
Et tota nullo currere nocte sono.
Nec longum; genetrix furtivum sensit amorem :
Et medicare parans vulnera vulneribus,
Increpitat cæditque : ignes cum verbere crescunt,

recepta Ossibus, et toto corpore pestis erat ».

25. *Captare dolos* B. Pi. O. et aliæ : *temptare dolos* L. *captare locos* V. Gr. P. *aptare locos* G. et *locos* fere præferre alteri lectioni velim, quia *dolos* jam adfuit v. 22, et quia loci et tempora plerumque conjunguntur.—*Mox capt. locos et tempora.* Lectionem, quam hic sequor, meliorum librorum res ipsa et usus confirmant. Nam locum et tempora constituere amantes solent, ubi conveniant. Vid. Ovid. Met. IV, 83 seqq. Et hæc sæpe conjunguntur. Terent. Eun. III, 4, 3 : « Locus, tempus constitutum est ». Justin. XV, 2, 16 : « tempus et locum coeundi condicunt ». Et *capere* vel *captare* tempus, locum, usitate dicitur. Virgil. Æn. XI, 783, Georg. II, 230; Ovid. ex Pont. III, 1, 129.

26. *Superciliis luminibusque loqui.* Ovid. Her. XVII, 82 : « quoties ego tecta notavi Signa supercilio pæne loquente dari ». Idem, Am. II, 5, 15 : « Multa supercilio vidi vibrante loquentes : Nutibus in vestris pars bona vocis erat : Non oculi tacuere tui ». Tibull. I, 2, 21 : « Illa viro coram nutus conferre loquaces, Blandaque compositis abdere verba notis ».

27. *Suspensos pondere gressus* G. vitiose. — *Suspensos ponere gressus.* Lindenbrogius hunc versum adplicat ad locum Ciris, v. 212 : « Tum suspensa levans digitis vestigia primis Egreditur ». Addit hunc Tibulli, ut ipse falso ait, sed vere qui Ovidii est, Fast. I, 425 : « vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu ».

28. *Et nullo currere nocte sono.* Transtulisse hæc videtur e Tibullo, I, 2, 20 : « Illa docet furtim molli descendere lecto, Illa pedem nullo ponere posse sono ». Atque idem, I, 8, 59 : « Et possum media quamvis obrepere nocte, Et strepitu nullo clam reserare fores ».

29. *Nec longo* B. O. et aliæ. *Nec longe* Bip. *Nec longum* Gr. P. Pi. *Hinc longum* R. G. *Tunc longum* L. —*Nec longum*, sc. tempus intercessit. Plene eloquitur Virg. Georg. II, 80 : « nec longum tempus, et ingens Exiit ad cælum ramis felicibus arbos ».

31. *Ignes et pectore crescunt* A. B. O. *in pectore crescunt* Pi. Han. Bip. *cum verbere crescunt* G. *augentur cædibus ignes* V. Gr. *fovemus cædibus ignes* R. *foventur cædibus ignes* L. — *Ignes cum verbere crescunt.* Hanc ego lectionem, ut sequenti simili aptissimam, cæteris prætuli, quamvis a sola antiqua Germ. servatam. Ovid. Met. III, 395 : « Sed tamen hæret amor, cre-

Ut solet adjecto crescere flamma rogo.
Concipiunt geminum flagrantia corda furorem,
Et sic permixto sævit amore dolor.
Tunc me visceribus perterrita quærit anhelis,
Emptum suppliciis quem putat esse suis.
Nec memorare pudet, turpesque evolvere vestes;
Immo etiam gaudeus imputat illa mihi :

seitque dolore repulsæ ». Sententia fere eonvenit proverbio, quo ntitur Horatius Serm. II, 3, 276 : « ignem gladio scrutari ».

32. *Ut solet adducto* V. Gr. *eresеere flamma mero* pro *rogo* corrigit Withof. p. 327, ex Ovid. Her. XIII, 114. — *Adjecto crescere flamma rogo.* Servo leetionem vnlgatam *rogo*, qnamvis Withofius *mero* velit ex simili loco poetæ. Nam hic non de quovis lychno, sed de igne rogi sermo est, qni comparatur cnm amoris flamma verberibus concitata, quia, nt hie virgarnm ulmearum in verbera, ita istie lignorum in rogum congestio flammæ vehementioris eanssa est. *Rogus* itaque videtur paullo insolentius de quovis fasce vel congerie lignorum diei, qui acervo ardenti adjicitur. Et sie usurpatum esse seriore ætate, docet Cangius in Glossar. v. *Rogus*. Fortasse *adjecto* capere possis pro *adaucto, adeumulato*, ut auctor Consol. ad Liv. v. 226, *adjeetas aquas* dixit laerymarum flumine auctas, de Tiberi loqueus : « Vix capit adjectas alveus altns aqnas ».

33. *Geminum*, h. e. novum, majorem, unde latine *geminare* est augere. Ed. — *C. timorem* B. Pi. O. *furorem* V. Gr. *favorem* R. *dolorem* G. quod etiam conjicit Ommerenus, qni et in minore versu substituit *sævit amore timor.* Mihi præferendum videtur *furorem*, quia τὸ *flagrantia* et *sævit* vix aliud pati videtur.

35. *Nune me* G *Tunc mea* Bip. *perterrita quærit* B. Pi. O. Hau. Bip. *per totum quærit* V. R. Gr. L. G. P. — *Viseeribus perterrita quærit anhelis*, spiritu coucitatius acto ex eursu festino et terrore. Reposiani earm. v. 117 : « totis pnlmonibus ardor anhelat ».

37. *Memorare*, id est, enarrare quibns plagis cæsa fuerit, et vulnera ostendere. Ed.—*Revolv. versus* B. Pi. O. Han. et aliæ : *revolv. vestes* V. R. Gr. P. G. *evolv. vestes* L. Hæc veterum librorum scriptura verissima. — *Turpesque evolvere vestes.* Per *turpes* intelligo laceratas, aut maculis sanguinis turpes ex plagis acceptis. Sie apud Ovid. Met. VIII, 581, Procne *evolvit vestes*, quibus soror Philomela indicium sceleris in se perpetrati *purpureis notis* intexuerat.

38. *Gaudens imputat illa mihi.* Gaudet illis suppliciis mihi quasi beueficium præstitisse; venditat illa mihi pro beneficio. Juvenal. V, 14 : « Fructus amicitiæ magnæ cibus : imputat hunc rex, Et quamvis rarum tamen imputat ». Frequens ea verbi notlo apud auctores argenteæ et sequioris ætatis.

Pro te susceptos juvat, inquit, ferre dolores:
Tu pretium tanti dulce cruoris eris.
Sit modo certa fides, atque inconcussa voluntas,
Quæ nihil imminuit passio, nulla fuit.
His egomet stimulis angebar semper, et ardens
Languebam, nec spes ulla salutis erat.
Prodere non ausus carpebar vulnere muto,
Sed stupor, et macies vocis habebat opus.
Hic mihi, magnarum scrutator maxime rerum,
Solus, Boëti, fers miseratus opem:

39. *Ferre labores* B. Pi. O. Hau. Bip. *ferre dolores* V. R. L. G.

40. *Pretium tanti dulce cruoris*, i. e. præmium, vel merces. Ovid. Met. IV, 738: « resoluta catenis Incedit virgo, pretiumque et caussa laboris ».—Sic Prop. III, 9, 31 Romam *obscœni conjugii pretium* dicit. Ed.

41. *Sit mihi certa* G. *inconcussa voluptas* G. B. Pi. O. Hau. Bip. *voluntas* V. Gr. L. quod rectum est. Withofius, p. 328, distinguit post *inconcussa*, et deinde corrigit *voluptas, Quam nihil imminuit passia, nulla fuit*, h. e. *voluptas* nulla fuit sine dolore. Sed hæc mutatio sententiam auctoris infringit, et difficultas sensus omnis abest, *si inconcussa voluntas* legatur. — *Inconcussa voluntas*. Virg. Æn. IV, 125: « tua si mihi certa voluntas ». Ovid. Art. Am. III, 617: « adsit modo certa voluntas ».

42. *Quæ nihil imminuit passia, nulla fuit*. Ego nihil acerbi me perpessam arbitrer, si modo nihil eo casu deminutum de tuo amore sentiam. *Passio* inferioris latinitatis vocabulum; Gallice *souffrance*. Ed.

43. *Angebar semper* B. Pi. O. et aliæ recent. *agitabar* G. quod melius videtur: *et ardens* vulgatæ: *horrens* V. Gr.

45. *Non ausus* vulgatæ: *non audens* L. *vulnere cæco* vulgatæ: *vulnere muto* V. Gr. L. G. *vulnere tanto* R. — *Carpebar vulnere muto*. Editores post Gauricum *cæco* correxisse videntur ex hoc Virgilii, Æn. IV, 2: « Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni ». Sed *muta* poscit versus sequens, quamquam *carpebar* minus aptum est τῷ *vulnere*. Similiter *tacitum vulnus*, quod tacetur et premitur, dixit Sev. Sanctus Carm. Buc. v. 8.

46. *Vocis habebat opus* vulgatæ: *habebat opem* G. *habebat iter* V. Gr. — *Vocis habebat opus*, i. e. vim et significationem sermonis. Stupor ille et macies conspicua satis per se significabant, quod voce exprimendum erat. Sic iterum Noster El. IV, 28: « ruborque Interdum certæ vocis habebat opus ». Similiter Ovid. Art. A. I, 574: « Sæpe tacens vocem verbaque vultus habet ».

47. *Sed mihi* G.

48. *Boeti*, corrupta a Gaurico lectio, omnes editos occupavit, solus Goldastus restituit *Boethi*, siqui-

Nam quum me curis intentum sæpe videres,
Nec posses caussas noscere tristitiæ;
Tandem prospiciens tali me peste teneri,
Mitibus adloquiis pandere clausa jubes:
Dic, ait, unde novo correptus carperis igne?
Dic, precor, et dicti sume doloris opem.
Non intellecti nulla est curatio morbi,
Et magis inclusis ignibus antra fremunt.
Dum pudor est tam fœda loqui, vitiumque fateri,
Agnovit taciti conscia signa mali.
Mox ait: Occultæ satis est res prodita caussæ,

dem omnes Mspti cum antiqua ed. Germ. servant *Boëti*.

49. *Nam quum* (vel *cum*) *me curis intentum* vulgatæ post Ascens. *Nam me cum curis vertentem* G.

50. *Causam* B. Pi. O. et aliæ: *causas* V. L. P. G.

51. *Prospiciens tali me peste teneri.* Versus fere totus Virgilii, Æn. IV, 90: « Quam simul ac tali persensit peste teneri Cara Jovis conjux ».

53. *Dicito et unde novo* B. O. Han. et aliæ. *Dicitis et unde novo correptus corporis igne* G. *Dicis et* V. Gr. et sic conjicit Ommerenus. *Cujus et unde novo correptus carperis igne? Dic, precor*, sic emendare vult Withofius, p. 319. *Dic ait, unde* V. L. P. Pi. quod genuinum esse videtur: *carperis æstu* V. Gr.

54. *Dic precor* B. Pi. O. *Dicit et edicti* G. *Dic ait* L. R. *Dicito* V. Gr.

55. *Nulla est curatio morbi.* Clar. Ommerenus huc verba idem dicentis Boethii, Consol. lib. I, pros. 4, advocavit: « Si operam medicantis exspectas, oportet vulnus detegas ». Eodem pertinet sententia Horatii, Epist. I, 16, 24: « Stultorum incurata pudor malus ulcera celat ».

56. *Ut magis* B. Pi. O. Han. Bip. *Et magis* L. G. R. *Sed magis* V. *ante fremunt* V. Pi. H. Bip. et plures aliæ, vitiose: rectius *antra fremunt* L. Gr. G. A. B. O. quod etiam probat Vlitius ad Grat. v. 432. — *Inclusis ignibus antra fremunt.* Respicere videtur antra Ætnæ, quæ subinde prementibus insuper ruinis montis, aut incumbente vento, ignes inclusos diu continet, donec pulsis obstaculis vehementius erumpant. Vid. Lucil. Ætn. v. 371 seqq. et Ovid. Met. XV, 346 seq. Hac similitudine sæpe utuntur poetæ. Ovid. Her. VIII, 58: « Pectoraque inclusis ignibus usta dolent ». Idem, Met. IV, 64: « Quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis ». Sev. Sanct. Carm. Buc. v. 11: « Et quidquid tegitur, sævius incoquit ».

58. *Agnovit tanti conscia lingua* B. O. H. Bip. et aliæ: *tanti conscia signa* G. *taciti conscia signa* Gr. L. P. quod rectum videtur: vidit etiam Withofius, p. 330. — *Conscia signa mali.* Sic Ovid. Am. II, 1, 8: « Agnoscit flammæ conscia signa suæ ». Ibid. II, 8, 8: « Furtivæ Veneris conscia signa dedi ».

Pone metum, veniam vis tibi tanta dabit.
Prostratus pedibus verecunda silentia rupi,
Cum lacrymis referens ordine cuncta suo.
Fac, ait, ut placitæ potiaris munere formæ;
Respondi : pietas talia velle fugit.
Solvitur in risum, exclamans, Proh! mira voluptas,
Castus amor Veneris, dicito, quando fuit?
Parcere dilectæ, juvenis, desiste puellæ :
Impius huic fueris, si pius esse voles.
Unguibus et morsu teneri pascuntur amores :
Vulnera non refugit, res magis apta plagæ.

60. *Veniam vis tibi tanta dabit.* Si quidem tanta vis te amoris urget, æquum est, ut veniam demus et ignoscamus tibi, qui succubueris.

61. *Diuturna silentia* corrigit Withof. frustra. — *Ver. silentia*. Vid. v. 23, ubi vitium metri notatur. Ed.

63. *Fare, ait, ut placidæ* B. Pi. O. Han. Bip. *Fare, ait, an placidæ* V. *Die, ait, aut placidæ* G. *Fac, ait* L. quod optimum videtur, probaturque ab Omm. qui et *placitæ* vult : *munera formæ* R.—*Fac, ait, ut placitæ potiaris.* Optime hæc lectio confirmari videtur loco Ovidii, Met. XIV, 637 seq. « Quid non et Satyri, saltatibus apta juventus, Fecere... Ut poterentur ea? »

64. *Respondet pietas* nonnullæ ed. cum Bip. *Responde : pietas* A. B. Pi. O. *Respondi* V. L. G. *velle fuit* R. Withofius p. 330 emendat ex ingenio *Respondi, ut pietas talia velle vetet.*

65. *Solvitur in risum exclamans* G. B. Pi. O. *in risus clamans* L. *prout mira voluptas* O. *proh* omittunt G. R. *dira voluptas* R. G.

68. *Impius hinc fueris* L. G. *si bonus esse* V. quod improbat Burm. Anthol. vol. I, p. 316 : *esse voles* vulgatæ pleræque : *velis* L. Gr. P. *Impius hic fueris.* Burmannus Anth. vol. I, p. 316, hunc versum cum isto carminis de Mævio, quod tomo II, p. 260, proposuimus, v. 28, comparat : « Impius hoc telo es : hoc potes esse pius ».

69. *Unguibus et morsu teneri pascuntur amores.* Vi, contentione, pugna, jurgiis, in quibus unguium et morsus usus est. Paria his existimes, quæ Claud. habet Fescenn. od. 4 : « Ne cessa, juvenis, cominus aggredi, Impacata licet sæviat unguibus : Crescunt difficili gaudia jurgio, Accenditque magis, quæ refugit, Venus ». Hæc *bella* sunt *Veneris* a Tibullo descripta, I, 10, 53 seqq. De *morsu* Propert. III, 6, 21 : « Immorso æquales videant mea vulnera collo, Me doceat livor me-um habuisse meam ». Centena de his jurgiis loca poetarum leguntur, quorum nonnulla cum nostro protulit Burmann. ad Anthol. vol. I, p. 502.

70. *Non figit* L. — *Res magis apta plagæ.* Novum vitium in metro. Confundit *plagam*, quæ ictum, cum

Interea donis permulcet corda parentum,
Et pretio faciles in mea vota trahit.
Auri cæcus amor nativum vincit amorem :
Cœperunt natæ crimen amare suæ.
Dant vitiis furtisque locum : dant jungere dextras,
Et totum ludo concelebrare diem.
Permissum fit vile nefas, fit languidus ardor :
Vicerunt morbum languida corda suum.
Illa nihil quæsita videns procedere, caussam
Odit, et illæso corpore tristis abit.
Projeci vanas sanato pectore curas,
Et subito didici, quam miser ante fui.
Salve sancta, inquam, semperque intacta maneto,
Virginitas, per me plena pudoris eris.
Quæ postquam perlata viro sunt omnia tanto,
Meque videt fluctus exsuperasse meos :
Macte, inquit, juvenis, proprii dominator amoris,

plaga, quæ regionem significat. Ovid. Met. XIII, 119 : « clypeus qui tela ferendo Mille patet plagis ».

71. *Donis promulcet* G.

74. *Cœperunt natæ crimen amare suæ*. Ovid. Trist. IV, 4, 21 : « Ut non debuerim, tamen hoc ego crimen amabo ».

77. *Et languidus ardor* Han. Bip. et nonnullæ aliæ; sed præstat *fit languidus*, quod scripti et editi plerique habent : *heu languidus* V. Gr. G. — *Permissum fit vile nefas, fit languidus ardor*. Expertum se dicit, quod Ovidius pronuntiat Am. III, 4, 9 : « Cui peccare licet, peccat minus : ipsa potestas Semina nequitiæ languidiora facit ».

78. *Languida membra* L. G.

79. *Illa mihi quæsita* habet edit. Amst. et Bip. nescio an vitio; nam reliqui mei scripti et excusi *Illa nihil* præferunt : *causam* vulgatæ : *causas* L.

81. *Projecit* V. *Projeci varias* R. L. G. *sanato corpore* G.

83. *Sancta inquit* G.

84. *Virginitas* de viro Veneris experte serioris et ecclesiasticæ latinitatis scriptoribus in usu est.

85. *Postquam prolata* G. *omnia tuto* A. B. Pi. O. Bip. et aliæ : *tanto* L. Gr. G.

86. *Meque videt luctus* V. R. Gr. L. *fletus* G. sed præstat *fluctus*, quod exhibent B. Pi. O. et aliæ. — *fluctus exsuperasse meos*, evasisse discrimina, vel æstus animi, quibus me quasi fluctibus mersisse videbatur amor. Horatius Charybdin nominat Carm. I, 27, 19 : « Quanta laboras in Charybdi ».

87. *Proprii dampnator amoris* G.

Et de contemptu sume tropæa tuo.
Arma tibi Veneris, cedantque Cupidinis arcus,
Cedat et armipotens ipsa Minerva tibi.
Sic mihi peccandi studium permissa potestas
Abstulit, atque ipsum talia velle fugit.
Ingrati, tristes pariter discessimus ambo,
Discidii ratio vita pudica fuit.

sed præstat vulgata *dominator*. — *Proprii dominator amoris*. Sic Ovid. Am. III, 11, 5 : « Vicimus, et domitum pedibus calcamus amorem ».

88. *En de contemtu* A. B. Pi. O. *Et de* V. Gr. G. et nonnullæ aliæ edit. quod malim. — *De contemptu sume tropæa tuo*. Lætare, tamquam de summa victoria, quod demum contemnere ausus sis, quod adhuc summo studio ambiebas : *contemptæ dominus splendidior rei*, ut ait Horat. Carm. III, 16, 25. « Sume superbiam » Horat. Carm. III, 3, 14 ; « sic olim gaudia sumet » Calpurn. XI, 59.

89. *Cedantque*, et versu sequenti *Cedit* G.

91. *Sic mihi* V. Gr. L. *Si mihi* G. *Si tibi* reliquæ vulgatæ. Placet *Sic mihi... promissa potestas* G. — *Sic mihi peccandi studium*. *Peccare* de libidinibus, amoribus vetitis, adulteriis usurpatum. Horat. Serm. I, 2, 63 : « quid inter Est in matrona, ancilla, peccesne togata? » Tibull. IV, 14 : « Rumor ait, crebro nostram peccare puellam ». Ovid. Am. II, 7, 19 : « si sit peccasse libido ».

92. *Ipsum talia velle fugit*. Ipsa me voluntas talia capiendi deserit.

93. *Discedimus* G. *Ingratis*, i. e. *ingratiis* Douza pater conjecit in marg. edit. Antverp. 1569.

94. *Dissidii ratio* vulgatæ : forte *discidii* Pulm. et *Discidii* exhibent L. et G. *tota pudica* L. In codice Rottend. primi sex versus elegiæ sequentis huic elegiæ adnectuntur. — *Discidii ratio*. *Discidii* legendum est, non *dissidii*, quia præcessit *discessimus ambo*. Nam ut Taubmannus ad Plaut. Pseud. I, 1, 68, observat, *dissidium* animi est; *discidium* vero corporis, a discindere, i. e. dirimere, dispellere. Et *discidium* de amantibus dicitur, ut *divortium* de conjugibus. Tibull. I, 5, 1 : « Asper eram, et bene discidium me ferre loquebar ». Terent. Andr. IV, 2, 14 : « Valeant, qui inter nos discidium volunt ».

MAXIMIANI ETRUSCI

ELEGIARUM LIBER.

ELEGIA IV.

RESTAT adhuc alios, turpesque revolvere casus,
Atque aliquo molli pascere corda joco.
Conveniunt etenim deliræ ignava senectæ,
Aptaque sunt operi carmina vana meo.
Sic vicibus variis alternos fallimus annos,
Et mutata magis tempora grata mihi.
Virgo fuit, species dederat cui candida nomen,
Candida, diversis sed bene compta comis.
Huic ego per totum vidi pendentia corpus

1. *Perstat adhuc* G. — *Revolvere casus*, recordari, repetere animo. Virg. Æn. X, 61 : « iterumque revolvere casus Da, pater, Iliacos Teucris ».

2. *Ex aliquo atque molli* G.

3. *Delira ignava* O.

5. *Alternis volvimur annis* A. B. Pi. O. *alternis vincimur armis* G. *alternos fallimus annos* V. L. quæ lectio melior videtur. — *Sic vicibus variis alternos fallimus annos.* Sic quum annos nostros varias inter vices agimus, fit, ut quæ in singulis nobis accidunt, aliis alternatim succedentibus, minus ea sentire, aut moderatius ferre videamur.

7. *Species dedit ævi candida nomen*, sic nonnullæ recentiores editt. Amst. Bip. et *dederat ævi candida* Hanov. Multo rectius antiquiores *species dederat cui candida nomen* L. A. B. Pi. O. quomodo etiam ex conjectura Withofius, p. 331. *Species aderat et candida nomen* G.

8. *Sat bene comta comis* A. B. Pi. O. *stat bene* P. G. *nam bene* L. *comta modis* V. Gr. L. P. G. Præfero *comis*, et scripsi *sed bene*, quia hoc diversitas comarum poscit. — *Diversis sat bene compta comis.* Intelligo comas colore *diversas* a candida specie, nigras scilicet, quas pariter in niveo colore laudat auctor El. V, 26.

9. *Huic ego per totum vidi splendentia corpus:* sic pleræque vulgatæ, B. Pi. O. *pendentia* proferunt V. R.

Cymbala multiplices edere pulsa sonos:
Nunc niveis digitis, nunc pulsans pectine chordas,
Arguto quivit murmure dulce loqui.

Gr. L. G. quod recipiendum videtur; sed ex his V. et Gr. totum distichon aliter concinnant: *Vidi per totum pendentia cymbala corpus Huic quoque multiplices*, etc.

10. *Cymbala multiplices.* Non videntur hic cymbala proprie dicta intelligi, æra cava et gemina, quæ manuum compulsu tinnitum edunt. Hæc enim neque per totum corpus pendere, neque multiplices sonos edere dici possunt. Quamquam multiplices sonos cymbalorum fuisse ex ipso hoc Maximiani loco probare conatur F. A. Lampe de Cymb. p. 178, id tamen quum ex aliis vetustiorum auctorum locis ostendi nequeat, et varietas sonorum haud aliunde venire, quam e varietate instrumenti, chordarum, foraminum aliarumque partium possit, hinc mihi videtur Maximianus cymbali vocabulum novo et recentioribus sæculis inducto significatu pro citharæ vel lyræ genere posuisse. Et lyræ etiam sic gestari dicuntur, ut pendeant ex corpore, vel parte corporis. Tibull. III, 4, 38: « Fulgens testudine et auro Pendebat læva garrula parte lyra ». — *Edere pulsa* pleræque vulgatæ: *reddere pulsa* R. G. — *Cymbala.* Crotalistriam pingere videtur Maximianus, quam infra vs. 13 *saltantem* describit, ut Copa, v. 2: « Crispum sub crotalo docta movere latus ». Pariter in ep. XXVI ad Priapum: « Cymbala cum crotalis pruriginis arma Priapo Ponit, et adducta tympana pulsa manu ». Hoc firmatur ex statua marmorea, quæ musicum cymbala manibus adductis concutientem refert, apud Rubenium, de Re Vest. lib. II, cap. 17, ubi vide quæ de cymbalis notantur. Similis crotalistria et cymbalistria Melissa apud Petron. cap. 61. Ed.

11. *Cum niveis digitis* G. *pulsas pectore* L. — *Nunc niveis digitis*, etc. Virg. Æn. VI, 647: « Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno ». Sal. Bassus ad Pison. 154: « Sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas ».

12. *Arguto quidquid* vulgatæ: *quidquam* V. R. *quamquam* P. *quiddam* G. Quidquid horum eligatur, ineptum est; præterea verbum deesse videtur constructioni, quod participium *pulsans* sequatur. Legendum arbitror *pulsans pectine chordas Arguto quivit murmure dulce loqui*. Verbum hoc *quivit* decepit librarios, ut *quidquid* vel *quidquam* legerent. — *Arguto quivit*, etc. Ad tactum citharæ potuit dulce carmen arguta voce dicere. Hinc v. 20 *vocem manumque* ejus laudat, et respexisse locum Tibulli modo citatum videtur, quo pergit: « Hanc (lyram) primum veniens plectro modulatus eburno Felices cantus ore sonante dedit ». *Quivit* perfectum posui, quia præcessit, v. 7: « Virgo fuit », et v. 9: « vidi edere sonos ». *Murmur* Maximianus dicere videtur lenem cantum vel modulationem vocis, ut El. V, 10. Clar. Ommerenus quidem aliter hunc locum intelligit, legendumque censet *pulsas pectine chordas*, et *dulce loqui* ad *chordas* trahit, ut de solo cantu citharæ

Hanc ego saltantem subito correptus amavi,
Et cœpi tacitus vulnera grata pati.
Sic me diversis tractum de partibus, una
Carpebat variis pulchra puella modis.
Singula visa semel semper memorare libebat,
Hærebantque animo nocte dieque meo.
Sæpe velut visæ lætabar imagine formæ,
Et procul absentis voce manuque frui.
Sæpe velut præsens fuerit, mecum ipse loquebar,
Cantabam dulces, quos solet illa, modos.
O quoties demens, quoties sine mente putabar!
Nec, puto, fallebam; non bene sanus eram.
Atque aliquis, cui cæca foret bene nota voluptas,

sermo sit. Sed *murmur* de eo cantu vix dici potest, atque alia sunt in verbis, quæ istam interpretationem impediant.

13. *Hanc ego.* Hoc et sequens distichon in cod. R. et L. et in ed. G. transponuntur, ita ut distichon *Sic me diversis* sit versus 13.

15. *De partibus, olim* G.

17. *Memorare licebat* Gr. G.

18. *Hærebatque* vulgatæ. *Hærebant* V. P. *Hærebantque* Gr. optime. *Horrebat* G. pessime.

19. *Velut visæ lætabar imagine formæ.* Ovid. Fast. II, 769: « Carpitur adtonitos absentis imagine sensus Ille: recordanti plura magisque placent ».

20. *Absenti voce manuque frui* V. G. B. O. Han. Bip. sed optime *absentis voce manuque frui* Pu. et Pi. — *Absentis voce manuque frui. Lætabar frui*, gaudens me oblectabam recordatione eorum, quæ eam vidissem voce manuque agere, quum dulci voce, et facili manu chordas pulsans cecinisset. Virg. Æn. IV, 83: « Illum absens absentem auditque videtque ».

21. *Sæpe velut præsens mecum fuit, ipse loquebar* L.

2. *Ipse modos* R. *ipsa modos* G. *illa melos* L.

23. *Sine mente putabar* R. G. B. Pi. O. *ferebar* V. Gr. P. Genuinum videtur *putabar*: librarii *ferebar* intulerunt ex El. III, 5, ubi pariter *demens* et *ferebar* conjuncta sunt. — *Sine mente putabar*, i. e. dicebar. Erant, qui dicerent me sine mente esse. *Putare* Maximianus subinde ponere videtur pro *dicere* quod quis putet. Vid. infra v. 43.

24. *Fallebar* quidem omnes scribunt, sed reponendum censeo *fallebam*, scil. eos, qui putarent, me sine mente esse: *nec bene sanus* vulgatæ pleræque: *non bene sanus* Gr. P. Pi. quod præstat.

25. Hoc distichon, quod a Gaurico ejectum ab omnibus editis cum sequentibus exsulat, Mspti omnes, atque ex impressis Pulmanni, Pithœi et Goldasti editiones tenent.

Cantat, cantantem Maximianus amat.
Certe difficile est abscondere pectoris æstus,
Panditur et clauso sæpius ore furor.
Nam subito inficiens vultum pallorque, ruborque,
Interdum certæ vocis habebat opus.
Nec minus ipsa meas prodebant somnia curas,
Somnia secreti non bene fida mei.
Nam quum sopitos premerent oblivia sensus,
Confessa est facinus conscia lingua suum.
Candida, clamabam, propera! cur, Candida, cessas?
Nox abit, et furtis lux inimica venit.
Proximus at genitor me tum comitatus amatæ
Virginis herbosa forte jacebat humo.
Illius ad nomen turbatos excitat artus:

Atque aliquis tibi cæca G. vitiose.

26. *Cantat cantantem* Pi. O. *Canta cantantem* V. Gr. G.

28. *Proditur* Withofius libentius legere vult, quam *panditur*.

30. *Interdum certæ* vulgatæ: *clausæ* V. R. Gr. P. L. G. sed præferam illud, quia modo adfuit *clauso*, et *clausæ* vocis nullum opus esse potest. — *Vocis habebat opus*, rem et vim vocis habebat: idem significabat, quod vox certa posset.

32. *Secreti non bene fida mei* omn. vulgatæ: *secretis... meis* R. Forte legendum *Conscia secreti* ex El. V, 95.

33. *Sopitos premerent oblivia sensus*. Oblivio rerum somni et quietis comes. Virg. Æn. IX, 225: « animalia somno Lenibant curas et corda oblita laborum ». *Premunt* illa oblivia sensus, ut ipse somnus *premere* dicitur. Virg. Æn. VI, 521: « pressitque jacentem Dulcis et alta quies ». Auctor Epitomes Hom. v. 115: « Dumque tuo (Somne) premitur sopitus pondere dulci ».

34. *Conscia lingua* vulgatæ: *nescia lingua* V. R. P. G. L. Præferendum puto *conscia*, quia *confessa* dicitur: *nescius* enim confiteri non potest.

35. *Cessas* vulgatæ: *tardas* V. L. G.

36. *Inimica redit* V. R. Gr. L. G.

37. *Protinus at* V. Gr. *Proximus ut* vulgatæ: *Proximus et* L. Rectum videtur *Proximus at... mec. comitatus* omnes scripti et excusi; sed dubium non est, quin *me tum comitatus* scribendum sit. Idem viderunt Withofius et Ommerenus: pro *amatæ*, quod in vulgatis est, *amore* habent V. et Gr.

38. *In gelida forte* excusi fere omnes; sed *herbosa* V. R. Gr. L. G.

39. *Excitat actus* A. B. Pi. O Pu. *artus* V. Gr. P. G. — *Turbatos excitat artus*, i. e. mente perturbatus excitat: adfectus, qui mentis est, translatus ad exteriores artus; quod sæpe fit. Ovid. Her. XI, 102: « Et fuge turbato tecta nefanda pede ».

Exsilit, et natam credit adesse suam.
Omnia collustrans, toto me pectore somnum
Prospicit efflantem, nec meminisse mei.
Vana putas? an vera sopor ludibria jactat?
Et te verus, ait, pectoris ardor habet?
Credo equidem adsuetas animo remeare figuras,

41. *Corde solutum* A. B. Pi. O. et aliæ: *pectore somnum* V. L. P. G. quod multo melius est. — *Toto me pectore somnum Prospicit efflantem.* Genuinam hanc esse lectionem, quam ducibus Msptis dedimus, phrasis Virgiliana, quam expressit auctor, docet, Æn. IX, 326: « toto proflabat pectore somnum ». Ovid. Met. II, 85: « ignibus illis, Quos in pectore habent, quos ore et naribus efflant ».

42. *Aspicit* G. cæteræ *Prospicit*: *afflantem* omnes excusi: *efflantem* unus exhibet V. a manu secunda; sed hoc ipsum imitatio Virgiliana poscit.

43. *Vana putas? an vera sopor* V. B. Pi. O. H. Bip. *Vana putas aut vera* G. *putat* R. E contrario *Vera putas, an vana* L. et sic legi vult Ommerenus: cui tamen lectioni versus minor non satis beneresponde videtur. — *Vana putas?* Vana sunt, quæ dicis? Vid. not. sup. ad v. 23. Verborum *an vera sopor ludibria jactat* ambigua sententia est. Nam *ludibria* possunt accipi de simulacris rerum falsis, quibus somnia ludunt et illudunt dormientibus; ut Virgil. ait Æn. X, 642: « Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus », et Petron. cap. 104: « Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris ». Sed possunt etiam *ludibria* significare illusionem et verba jocosa, quibus aliquis ridetur et ludibrio habetur; cui interpretationi favet adjectum *vera*, et verbum *jactat*: nam *ludibria jactare* æque dici potest, ac jactare convicia, et *vera ludibria* sunt, quæ vere ea caussa jactantur, ut alter se ludificari intelligat. Inde sensus hujus versus satis commodus procedit: Hæccine vana omnino somnia sunt, quæ dicis? an vero, somnium simulans, vere me vis iis verbis ludibrio habere, quasi nunc demum a somniante discere debeam, quod a vigilante dudum agi stultus ego hactenus non senserim.

44. *Et te verus, ait, pectoris ardor habet* vulgatæ: *Aut te verus, ait, pectoris ardor agit* V. R. *An hic verus, ait, pectoris ardor agit* G. *Hic est verus, ait, pectoris ardor angit* L. Perplexam et dubiam totius distichi lectionem et sententiam esse, variationes exemplarium demonstrant. Ego vix expedio; vulgatamque lectionem, ut a pluribus receptam, malo relinquere intactam.

45. *Adsuetas animo remeare figuras.* Figuras et simulacra earum rerum, quibus se oblectare adsuevit vigilans, credo ejusdem animo recurrere noctu. Claud. in præf. ad VI Cons. Hon. v. 1: « Omnia quæ sensu volvuntur nota diurno, Pectore sopito reddit amica quies ». In sequentibus ille hunc locum communem per species adfectuum et studiorum humanorum declarat, sicut

Et fallax studium ludit imago tuum.
Stat tamen adtonitus, perplexaque murmura captat,
Et tacitis precibus dicere plura rogat.
Sic ego, qui cunctis sanctæ gravitatis habebar,
Proditus indicio sum miser ipse meo.
Et nunc infelix tota est sine crimine vita,
Et peccare senem non potuisse pudet.
Deserimur vitiis: fugit indignata voluptas:
Nec, quod non possum, non voluisse meum est.

et Petron. carm. de somniis, quod huj. operis tom. III, pag. 297 dedimus. Ducta autem sunt ex fonte Lucretii, qui hæc suavissime exsequitur lib. IV, 959 seqq.

46. *Ludit imago suum* B. P. O. et aliæ: *imago tuum* V. quod rectius videtur: *fudit imago tuum* G. — *Et fallax studium ludit imago tuum.* Et somnium illud ludit te objecta fallaci imagine ejus rei, cujus studio et cupiditate teneris.

47. *Perplexaque murmura captat.* Auscultat et percipere tentat verba, quæ ego perplexo et obscuro murmure edere videor.

48. *Et tacitis precibus dicere plura rogat* vulgatæ omnes: *tacitus precibus plura licere rogat* L. *tacitus* etiam Gr.

49. *Ast ego* R.

51. *Et nunc infelix tota est*, omnes impressi post Ascens. *At nunc* G. Withofius, p. 331, porro corrigendum censet *infelix non est sine crim. vita:* alterum enim, inquit, vere est ἀσύστατον, sed vid. quæ sequuntur. — *Et nunc infelix tota est sine crimine vita.* Perplexior hujus versus sensus e mala et perversa mente Maximiani explicandus est, quam sequentia satis declarant. Nempe hoc vult: *At nunc vita* mea, quia, ut ex hactenus dictis patet, *sine crimine*, h. e. sine crimine concubitus et stupri commissi peracta est, pro præsente animi mei sensu *tota infelix est*, vel abs me infelix habetur; *Et senem* jam factum *pudet* me *peccare*, quum maxime vellem, *non potuisse.* Quippe peccandi jam facultate *deseror*, et *voluptas* quasi *indignata*, quod eam ante usurpare noluerim (vel forte *indignata* pro dedignata), nunc *fugit* me.

53. *Destruimur vitiis* habet Bip. cum aliis recentioribus; at omnes superiores cum nonnullis Msptis *Deserimur.*

54. *Et quod non possum, non potuisse juvat* B. Pi. O. H. Bip. *Nec quod non possum, non voluisse meum est* L. Gr. G. Hæc lectio melius respondet versui præcedenti: *valuisse* R. *est voluisse meum* P. *Nec vel hoc quod possum, non voluisse meum* V. — *Nec, quod non possum, non voluisse meum est.* Hanc lectionem e Msptis reduxi, contra editiones vulgatas, quarum lectio parum convenit sententiis ante pronuntiatis. Sensus est: Neque hoc in mea potestate situm est, ut a vitio, quod committere non possum, etiam animo abhorream, idque committere nolim.

Hoc etiam meminisse licet, quod serior ætas
Intulit, et gemitus, quos mihi lena dedit.
Sed quis ad has possit naturæ adtingere partes,
Gnarus ut et sapiens noxia sæpe velit?
Interdum rapimur vitiis, trahimurque volentes:
Et quæ non capiunt, pectora bruta volunt.

55. *Senior ætas* R. G. *certior* vel potius *serior* R.

56. *Impulit* P. *quos mihi læta dedit* vulgatæ omnes: *leta dedit* L. G. Unde *lena* scribendum esse arbitratus sum in præf. ut hic de *lena* vel copa loquatur, quam sequente elegia narrat se hospitio receptum illecebris corrupisse. — *Quod serior ætas Intulit, et gemitus*, etc. quod serior ætas mea casum aliquem adtulit, qui libidinem, ætate jam sopitam et fere exstinctam, vi singulari excitaret, quum in lenæ et meretriculæ alicujus insidias inciderem, quæ me pessum dedit. De *lena* hic loqui auctorem, in præfatione demonstravi. Atque hujus mentione facta transit ad narrationem de ejus meretricis amoribus, quam Elegia V, profert.

57. *Has sed quis possit naturæ adstringere partes:* sic vulgatæ omnes post Ascens. sine sensu commodo. *Sed quis et* (m. s. *ad*) *has posset naturæ adtingere partes* V. Gr. *Et quis ad has cupiat* R. *Sed quis ad has possit naturæ adtingere partes* L. G. — *Sed quis ad has possit naturæ adtingere partes.* Videtur adludere ad versum Virgilii, Georg. II, 483: «Sin, has ne possim naturæ accedere partes». Sententia auctoris hæc est: Quis hanc partem naturæ et ingenii humani plane mirabilem satis adsequi et explicare possit, quæ adeo perversa et depravata est, ut sapiens etiam et rerum naturæ bene gnarus, sæpe ea, quæ noxia scit esse, cupiat. *Ut gnarus* pro *quod* videtur positum, more cadentis latinitatis. Talem animi sui perversitatem confitetur Medea apud Ovidium, Met. VII, 19: «Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido, Mens aliud suadet: video meliora proboque, Deteriora sequor».

58. *Gnarus et ut sapiens* G. B. Pi. O. Bip. sed melius est *Gnarus et ut sapiens* quod habet V. et R. quodque Ommerenus requirit. *Gnarus* vel *sanctus* V. et Gr. *noxia quæque* habent L. G.

60. *Quæ non capiunt* vulgatæ omnes: *quod non capiunt* R. *quod non possunt* V. Gr.

MAXIMIANI ETRUSCI

ELEGIARUM LIBER.

ELEGIA V.

Missus ad Eoas legati munere partes,
  Tranquillum cunctis nectere pacis opus,
Dum studeo gemini componere fœdera regni,
  Inveni cordis bella nefanda mei.
Hic me suscipiens Etruscæ gentis alumnum,

1. *Ad Eoas legati munere functus*, sic omnes impressi, manifesto errore: nam *Eoas* aliud adjunctum vocabulum desiderat: hoc exhibent Mspti vetustiores, *ad Eoas legati munere partes.* Unus L. scribit *ad eolicos* supra scripto *Eoas.* — *Missus ad Eoas partes*, a Theodorico, rege Italiæ, ad Anastasium imperatorem Orientis, ut pluribus exposui in præfat.

3. *Geminæ componere fœdera pacis* pariter omnes impressi, qui *pacis* repetunt e præcedente versu. Contra omnes Mspti *gemini... regni*, quod multo aptius. — *Gemini fœdera regni.* Regni Italiæ, et imperii Orientis.

5. *Hic me suspiciens* V. — *Me suscipiens*, scilicet hospitio. Et hospitium publicum s. πανδοχεῖον intelligendum videtur, cujus hospita vel copa, lenam agens, meretrices alebat, ad captandos advenas; vel ipsa erat puella illa, cujus illecebris se corruptum esse Maximianus narrat. Hæc enim plane sic describitur, ut Copa in carmine incerti auctoris, quod t. I, p. 648, produximus. — *Etruscæ gentis alumnum*, h. e. Italum, vel Romanum. Infra v. 40 *Tuscum* se adpellat. Utroque loco hoc nomen opponit Graiis, qui erant sub imperio Orientis. Atque hoc uso venisse videtur scriptoribus Latinis ab eo inde tempore, quo reges Gothorum Italiam tenebant, nec Romani imperatores erant, ut Etruscus vel Tuscus diceretur pro eo, qui antiquitus Romanus erat, quia Etruria nobilior et celebrior pars Italiæ; Romanorum vero nomen tum iis cesserat, qui essent sub imperio Orientis. Manifeste hoc confirmat Phocas Grammaticus, qui Virgilium in

Involvit patriis Graia puella dolis.
Nam quum se nostro captam simularet amore,
Me potius vero fecit amore capi.
Pervigil ad nostras adstabat nocte fenestras,
Nescio quid Græco murmure dulce canens.
Nunc aderant lacrymæ, gemitus, suspiria, pallorque,
Et quidquid nullum fingere posse putes.
Sed velut adflictam nimium miseratus amantem,
Efficior potius tunc miserandus ego.
Hæc erat egregiæ formæ, vultusque modesti;
Grata, micans oculis, nec minus arte placens;

præf. ad vitam Virg. v. 22, *vatem Etruscum* dicit, et in ipsa vita, v. 5, *Tuscam tellurem* pro Italia. Unde nec certo adfirmari potest, Maximianum, qui se Tuscum adpellet, ex ipsa Etruria ortum fuisse.

6. *Graia puella* vulgatæ omnes. *Græca* V. Gr. *grata* G. *paucis grata puella* L. — *Patriis Graia puella dolis.* Infra v. 93 et 81 Graias et Argivas artes ei tribuit. Virg. Æn. II, 152 : « dolis instructus et arte Pelasga ». — De lectione *grata*, quam quidam codices præferunt, non est quod moueamus hæc sæpe permutari, ut videre est in versibus Publii Syri, v. 3 de luxu : « Ciconia, grata hospita », ubi alii *Graia*. Ed.

7. *Captam nostro simularet amorem* vitiose R.

8. *Me vero potius* R. Burmannus, Anthol. tom. I, p. 102, scribit Heinsium hic emendasse *verso fecit amore capi*, ut apud Ovid. Epist. XV, 167 : « Nec mora versus amor tetigit lentissima Pyrrhæ Pectora ». — *Vero fecit amore capi. Verus* amor, qui simulato, fallaci et falso opponitur, ut in hoc Ovidii, Art. Am. I, 618 : « Fiet amor verus, qui modo falsus erat ». — Similiter Anthol. lib. I, epigr. 141 : « Narcissus vero dignus amore puer ». Ed.

9. *Adstabat mane* vulgatæ post Ascens. sed rectius *adstabat nocte* V. R. L. P. G.

10. *Dulce sonans* habet glossa in V. et Gr. — *Græco murmure dulce canens.* Murmur de submisso, leni et secreto cantu. Manil. V, 335 : « secreta movebit Carmina, furtivo modulatus murmure vocem ».

11. *Nunc aderant lacrymæ, gemitus* B. Pi. O. H. *Nunc gemitus lacrymæ aderant* G. *suspiria pallor* R. Gr. G. B. *pallorque* Pi. O. H. Bip.

13. *Adflicto nimium miseratus amore* B. Pi. O. H. et aliæ : *adflictam nimium miseratus amantem* V. R. L. P. G. *Sic velut* R. G. — *Adflictam nimium miseratus amantem.* Respexit Virgilium, Æn. IV, 370 : « Num lacrymas victus dedit, aut miseratus amantem est? »

15. *Egregia forma vultusque sereni* vulgatæ post Ascens. *egregiæ formæ vultusque modesti* V. L. P. G.

16. *Grata, micans oculis.* Auctor Epithal. Ausp. v. 47 : « Blanda, micans oculis, refugit pede ».

Docta loqui digitis, et carmina fingere docta,
Et responsuram sollicitare lyram.
Illam Sireniis stupefactus cantibus æquans,
Efficior demens alter Ulysses ego.
Et quia non poteram tantas evadere moles,
Nescius in scopulos et vada cæca feror.
Quid referam gressus certa se lege moventes?

17. *Docta loqui digitis.* Intelligo de arte pulsandi lyram. Nam sic Tibull. III, 4, 41: «Sed postquam fuerant digiti cum voce loquuti». Et instrumentum musicum loqui dicit Manil. V, 331: «Et quodcumque manu loquitur, flatuque movetur». Alias *digitis loqui* est signa dare gestu et vibratione digitorum, quomodo Ovid. Trist. II, 453: «digitis sæpe est nutuque loquutus».

18. *Pollicitare lyram* vitiose G. — *Et responsuram sollicitare lyram. Respondere* lyra dici potest, quando sonos reddit, quos manus pulsantis excitare studet. Horat. Art. P. 348: «Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens; Poscentique gravem persæpe remittit acutum». Sed quia *carmina* præcesserunt, malo hoc loco *responsuram lyram* accipere de ea, quæ cantum et modulationem vocis sequitur, eique modos et sonos suos adcommodat, ut Echo et silvæ respondent cantanti. Virg. Ecl. X, 8; Calpurn. VIII, 74. Sic ad tibiæ cantum saltare Apuleio est «molli tibiarum sono delicatis respondere gressibus», Met. X, p. 235.

19. *Illam Sirenum* emendat Withofius p. 332, et versu seq. *instar Ulyssis ego*, ut peccatum in metro deleat. — *Illam Sireniis.* Potuisset *Sirenum cantibus* scribere auctor, siquidem gnarus peccati ejus in metro fuisset. Claud. laud. Ser. 23: «surdoque carina Remige Sirenum cantus transvecta tenaces». Solenne est Veteribus suavem mulierum vocem Sirenum cantui adsimilare. Vid. notata ad carmen Petronii, huj. op. tomo III, p. 311. Ed.

20. *Alter Ulysses ego.* Male se alterum Ulyssem vocat Maximianus, qui nihil minus, quam prudentiam Ulyssis in evitandis Sirenum scopulis imitatus est, immo ipsum ejus nomen ad scopulum metri adhærere fecit. Alioquin *alter Ulysses* proverbio dicitur homo vafer et callidus. Unde Varro in Satyris suis *Sesculyssem* quasi sesqui Ulyssem, sive Ulyssem unum integrum et dimidium dixit, pro summe astuto, ac veteratore plane expolito. Plin. præf. ad Hist. Nat. — Mallem *alter Ulixus ego.* Ed.

21. *At quia* conjicit Ommerenus: *tantas evadere moles* omnes vulgatæ; nisi quod G. vitiose habet *tantos... melos: evincere moles* V. Gr. *tacitas evincere* L.

23. *Quis referat* V. R. Gr. G. *certa sub lege* V. Gr. *sine lege* G. — *Certa se lege moventes*, certo motu et æquali mensura passuum. Petron. cap. 126: «incessus tute compositus, et ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia».

Suspensosque novis plausibus ire pedes?
Grande erat, inflexos gradibus numerare capillos,
Grande erat in niveo pulla colore coma.
Urebant oculos duræ stantesque papillæ,
Et quas adstringens clauderet una manus.

24. *Novis passibus ire* omnes impressi; sed *plausibus* V. Gr. L. Burmannus, Anthol. tom. I, p. 45; inde ait Heinsium conjecisse *ausibus*. — *Suspensosque novis plausibus ire pedum*. Malui *plausibus* e codd. Msptis dare, quam *passibus*, quia gressus modo nominavit, et hic de incessu sermo esse videtur ad ritum saltandi composito, quando pede mox suspenso, mox adplauso ingrediebatur. Alias choreis aptus pedum plausus. Virgil. Æn. VI, 644: « Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt ». — Adpositus locus est Apuleii de Venere, lib. X, p. 235, et lib. VI, p. 126: « Venus suavi musicæ suppari gressu formosa saltavit »; ubi Heinsius legebat *gestu*, quod miror neminem adhuc præcedenti versui inserere tentasse:, sed in priore loco Venus dicitur *ad cantus Lydios delicatis respondere gestibus*, ubi male *gressibus* reponebat Pricæus. Passim vero apud poetas vocem saltationi junctam videbis. Sic in epigr. de Musarum inventis: « Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu ». Ed.

25. *Grande erat*, dignum mea cura opus videbatur, in magno negotio id habebam. *Inflexos gradibus numerare capillos*, i. e. numerare capillorum inflexos orbes sive cincinnos, qui in ordines circum caput compositi ad verticem usque quasi gradibus adscendebant. Juvenal. VI, 503: « Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum Ædificat caput ». Claud. de Nupt. Hon. v. 104: « sed tertia retro Dat varios nexus, et justo dividit orbes Ordine ». Sueton. Ner. c. 51: « Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem submiserit ». Vid. Hadr. Junius de coma, cap. 7.

26. *Pulchra colore* omnes impressi: *pulla colore* V. *pulsa* P. Schraderus præfat. ad Emend. pag. 56, adserit *pulla*, idque duobus Msptis confirmari ait. — *In n. pulla colore coma*. Ovid. Am. II, 4, 41: « Sen pendent nivea pulli cervice capilli ».

27. *Stantes duræque papillæ* V. L. G. *rigidæque* pro glossa V. — *Duræ stantesque papillæ*. Bronkhusius ad Propert. II, 12, 21, scribit Maximianum hoc loco in animo habuisse versum Lucilii, qui apud Nonium v. *Stare* exstat: « Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas Pectore marmoreo ». Sunt autem *stantes papillæ* corporis solidi vegetique juvencularum, quemadmodum *jacentes* vel *pendentes mammæ* vetularum. Vid. not. nostr. ad Moretum, v. 34. Præterea Burm. ad Anthol. tom. I, p. 516 et 648.

28. *Instringens* V. Gr. — *Clauderet una manus*. Sublegisse hoc Martiali videtur, XIV, 134: « Fascia, crescentes dominæ compesce papillas, Ut sit, quod capiat nostra te-

Ah! quantum mentem stomachi fultura movebat,
Atque sub exhausto pectore pingue femur.
Urebar teneros adstringere fortiter artus;

gatque manus ». Conf. Ovid. Am. I, 5, 20. Verbo *constringere* utitur auctor Epitbal. Laur. v. 82.

29. *O* vel *Ha* V. L. *Heu quantum* R. *Ha quantum* G. *stomachi factura* R. — *Mentem stomachi fultura movebat.* Manifeste exprimere voluit Horatium, Serm. II, 3, 154: « Deficient inopem venæ te, ni cibus atque Ingens accedat stomacho fultura ruenti ». Sed *fultura stomachi* Horatio est ciborum copia, quibus impletur et fulcitur stomachus: nam sic et alii loquuntur de cibo, ut Lucret. IV, 865: « Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus ». Maximianus alieno sensu stomachum accepit de parte pectoris, cui subjacet stomachus, nam sequente versu *pectus* ipsum nominat. Nec insulsum adeo videri debet, stomachum pro pectore positum, quum etiam *pectus* pro *stomacho* sumptum videatur in illo Horatii Art. Poet. 337: « Omne supervacuum pleno de pectore manat ». Nam probabile est, hic metaphoram duci a stomacho, qui cibis oppletus nausea commovetur, ut rejiciat, quæ abundant. Jam *fultura stomachi* Maximiano est pars ventris tumidior, quæ pectori subest, quæ bene farta, plena et carnosa, quasi tomento pectus imminens sustinet; quemadmodum *fulciri* toro, cespite, pulvino dicuntur, qui insident. Simili vocabulo *fulmenta*, i. e. fulcimenta, utitur Focas Grammat. in vita Virgilii, v. 27: « Terra ministravit flores, et munere verno Herbida supposuit puero fulmenta virescens ». Laudare igitur Maximianus in puella vult corpus habitius et succulentum, quando alvus pectori subjecta paullum turget et prominet, quæ contra in macilentis et seniculis reductior est, pectore magis propendente. Auctor Moreti, v. 34: « Pectore lata, jacens mammis, compressior alvo ». Ovidius, Met. VIII, 805, de Fame: « Ventris erat pro ventre locus: pendere putares Pectus ».

30. *Sub exhausto pectore pingue femur.* Imitari haud dubie voluit Ovidium, qui Am. I, 5, 21: « Quam castigato planus sub pectore venter! Quantum et quale latus, quam juvenile femur! » Sed Ovidio *castigatum* pectus est compressius, strictius, Maximianus *exhaustum* dicit, quod perperam accepit J. C. Scaliger. in Hypercrit. cap. VII, totum hunc versum reprehendens: « Non est, inquit, femur sub pectore; neque pectus exhaustum probaveris, quasi phthoe laboret ». Sed *exhaustum* Maximiano esse videtur finitum, extremum, desinens, ut *exhausta pericula*, i. e. finita, Maro et Ovidius dicunt; « exhausti fati tempora » Statius, Silv. III, 5, 40, i. e. vitæ pæne finitæ. Idem Theb. II, 37: « Illic exhausti posuere cubilia venti », i. e. spirare desinentes. *Femur* pectori subjicere auctor videtur tantum ex imitatione Ovidiana, et quia ventris jam mentionem fecerat.

31. *Urebar teneros* B. Pi. O. H. Bip. *Terrebar* L. G. *Tenebant* R. *Horrebam teneros* V. Gr. — *Urebar*

Visa per amplexus ossa sonare meos.
Grandia, clamabat, nimium me brachia lædunt:
Non tolerant pondus subdita membra tuum.
Dirigui, quantusque fuit calor ossa reliquit,
Et nata est venæ caussa pudenda meæ.
Non sic lac tenerum permixta coagula reddunt:
Non liquidi mollis spuma liquoris erit.
Succubui, fateor, Graiæ tum nescius artis:

adstringere, i. e. ardenter cupiebam adstringere. Sic Calpurn. X, 56: « raptantur amantes Concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas », i. e. currentes properant jungere.

33. *Clamabam, nimium me* Pi. Han. Amst. Bip. *clamabat* A. B. O. *clamabat tua sunt, quæ vel me brachia lædunt* V. Gr. P. *me brachia lædunt* G. *clamabat tua me nunc brachia lædunt* R. L. *clamabat* legendum esse, etiam viderunt Withofius et Ommerenus.

34. *Non tulerant* P. G. *membra suum* P. — *Non tolerant pondus.* Horat. Carm. II, 5, 4: « non tauri ruentis In Venerem tolerare pondus ».

35. *Calor ossa reliquit* vulgatæ post Ascens. at Mspti cum vetusta Germ. *calor ille recessit:* in his *color* habent R. et G. — *Dirigui, quantusque fuit calor ossa reliquit.* Versus fere totus Virgilianus, Æn. III, 308: « Dirigui visu in medio: calor ossa reliquit ». Imitatio Virgiliana facit, ut hanc lectionem præferam alteri, quam Mspti habent: *calor ille recessit*, quæque forsan ex versu 49, huc relata est.

36. *Et data est* R. *veniæ causa* omnes vulgatæ post Ascens. sed *venæ* omnes Mspti cum vetusta Germ. — *Venæ caussa pudenda.* *Caussa*, noxa, vitium, languor; *vena* pro inguine, quod intelligi ex hoc Horatiano potest, Serm. I, 2, 35: « Nam simul ut venas inflavit tetra libido ». Sed conf. inprimis Persius, VI, 72; Martial. VI, 49, 2, XI, 16, 5.

37. *Non sic lac tenerum* B. Pi. O. et aliæ. *Non lac sic tenerum* R. G. *Nec lac sic* L. *Et lac sic* P. *commixta coagula* V. Gr. — *Non lac sic tenerum permixta coagula reddunt.* Ovid. Fast. IV, 545: « liquefacta coagula lacte ». Languorem et inertiam venæ, quam expertus est, comparat cum lactis coagulo, et spuma liquoris, quæ sunt solennia mollitiæ et levitatis symbola. Ovid. Met. XIII, 796: « Mollior et cycni plumis, et lacte coacto ». Colum. X, 397: « Mollior infuso calathis modo lacte gelato ». Martial. VIII, 64, 8: « Vincas mollitie tremente plumas, Aut massam modo lactis adligati ». Cæterum non sine nequitia delegisse hæc similia videtur auctor male jocosus.

38. *Non liquidi* G. *mellis spuma* vulgares edit. omnes: *mollis spuma* Gr. L. G. quod rectius est: non enim de melle sermo est, sed de cujusvis liquoris molli spuma.

39. *Succubui gratæ fateor nunc nescius artis* L. *Succubui fateor nunc artis nescius ipse* G. *tunc nescius* Gr.

Succubui Tusca simplicitate senex.
Quæ defensa suo, superata est, Hectore, Troja:
Unum non poterat fraus superare senem?
Muneris injuncti curam studiumque reliqui,
Deditus imperiis, sæve Cupido, tuis.
Ne memorare pudet tali me vulnere victum;
Subditus his flammis Jupiter ipse fuit.
Sic mihi prima quidem nox adfuit, et sua solvit
Munera grandævo vix subeunda viro.
Proxima destituit vires, vacuusque recessit
Ardor; et in Venerem segnis, ut ante, fui.
Illa, velut proprium repetens infesta tributum,
Instat, et increpitans, Debita reddis? ait.
Sed nihil hic clamor, nil sermo mitis agebat:
Quod natura negat, reddere nemo potest.
Erubui stupuique: omnes verecundia motus

41. *Qua defensa* omnes quidem scripti et excusi: sed legendum vitur *Quæ defensa.* — *Quæ defensa suo*, etc. Sensus est: Tota Troja superata est, quamquam firmissimum præsidium habuit in Hectore suo, qui eam diu defendit; multo magis igitur unus senex, qui ego sum, fraude circumveniri et superari potuit. De Hectore defensore Trojæ vide locos Veterum, quos adduximus ad Pentadii Tumulum Hectoris, huj. op. t. II, p. 329. Ed.

42. *Unde non poterat fraus superare fidem* L. *exsuperare senem* R.

43. *Muneris invicti* omnes impressi. *Muneris adjuncti* V. Gr. *injuncti* correctum in V. et L. Ommerenus etiam conjicit *injuncti* vel *indicti*, vel simile quid. — *Muneris injuncti*, i. e. legationis mandatæ.

44. *Editus imperiis* G. *sæpe Cupido* perperam R.

46. *Subjectus flammis* L. sed male.

47. *Sed mihi* V. L. G. *et mihi* Gr. *quondam nox affuit omnia solvit* R. *et sua fallit Munera grandævo vix adeunda viro* G.

49. *Vacuusque recessit ardor*, vanus et iners successu caruit. Ovid. Met. VIII, 786, de cane feram persequente: «similisque tenenti Non tenet, et vacuos exercet in aera morsus».

50. *In Venerem segnis.* Virgil. Æn. XI, 735: «At non in Venerem segnes, nocturnaque bella». Idem, Georg. III, 97: «Frigidus in Venerem senior».—*Ut ante fuit* V. Gr.

51. *Proprium solvens* R.

55. *Stupuique mihi verecundia* V. Gr. *stupui, quia tunc verecundia* L. *stupuique ego verecundia* G. — *Omnes verecundia motus Abstulit. Motus Veneris* dicit Ovid. Am. II, 10, 35. Pariter pudorem terroremque sibi

Abstulit, et blandum terror ademit opus.
Contrectare manu cœpit frigentia membra;
Meque etiam digitis sollicitare suis.
Nil mihi torpenti, nil tactus profuit illis,
Restitit in medio frigus, ut ante, foco.
Quæ te crudelis rapuit mihi femina? dixit:
Cujus ab amplexu fessus ad arma redis?
Jurabam curis animum mordacibus uri;
Nec posse ad luxum tristia corda trahi.
Illa dolum credens: Non falles, inquit, amantem,
Plurima cæcus amor lumina semper habet.

nocuisse queritur Ovid. Am. III, 7, 36: « Huc pudor accessit: facti pudor ipse nocebat; Illa fuit vitii caussa secunda mihi ». Plura ex hac Elegia Ovidii de impotentia sua querentis repetiit Maximianus, quæ deinceps citatis tantum locis indicabimus.

57. *Flagrantia membra* V. R. Gr. L. sed præferenda est vulgata lectio *frigentia*. Vid. v. 60.

58. *Digitis sollicitare suis.* Ovid. Am. III, 7, 74.

59. *Nil tactis profuit illis* A. B. Pu. Pi. et aliæ: *tactus* profuit *illis* Bip. *nil tactus profuit ullus* V. R. Gr. L.

60. *Perstitit* V. R. Gr. G. *thoro* pro *foco* V. et *toro* legendum putat Burmann. Anthol. tom. II, p. 556. — *Restitit*, remansit, perseveravit. Vid. El. II, 27. In *medio foco* partem illam mediam signat, in qua maxime calet Venus. Conf. El. I, 84. In eo *frigus* restitisse dicit, quemadmodum focus ipse *algere* dicitur, in quo nullus ignis accensus. Martial. VIII, 67, 8.

62. *Ejus ab amplexu* G. *ad amplexum* Gr. — *Fessus ad arma redis.* Ovid. l. c. v. 80.

63. *Mordacibus angi* P. — *Curis animum mordacibus.* Horat. Carm. I, 18, 4: « neque Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines ». Virg. Æn. I, 261: « quando hæc te cura remordet ». — Et *mordaces curas* restituere tentabat Burmannus, loco Petronii, Anth. Lat. III, ep. 226, adducto, ubi omnes legunt: « valete curæ Mortales: ego sic perire cœpi »; quod tamen non probare possum. Ed.

64. *Nec posse ad luxum*, i. e. libidinem et lasciviam. Vid. El. II, 69. Constat tristitia torpere nervos; sed non credit impotens mulier. Ed.

65. *Non falles inquit amorem* B. Pi. O. H. Bip. *inquit nunc fallis amorem* L. *inquit me fallis amantem* V. *non, inquit, fallis amantem* R. G. — *Non falles, inquit, amantem.* Virg. Æn. IV, 296: « At regina dolos (quis fallere possit amantem) Præsensit... omnia tuta timens ». Ed.

66. *Certus amor* V. Gr. G. — *Plurima cæcus amor lumina semper habet.* Ovid. Am. III, 4, 20: « Centum fronte oculos, centum cervice gerebat Argus, et hos unus sæpe fefellit Amor ». Idem, Met. IV, 68:

Quin potius placito noli umquam parcere ludo,
Projice tristitias, et renovare jocis.
Obtundunt siquidem curarum pondera sensus :
Intermissa minus sarcina pondus habet.
Tunc egomet toto nudatus corpore lecto,
Effusis lacrymis talia verba dedi.
Cogimur, heu! segnes crimen, vitiumque fateri,
Ne meus exstinctus forte putetur amor.
Me miserum, cujus non est culpanda voluntas!
Judicor infelix debilitatis ope.
En longo confecta situ tibi tradimus arma,
Arma ministeriis quippe dicata tuis.
Fac quodcumque potes, nos cedimus : hoc tamen ipse

« Quid non sentit amor! primi sensistis amantes ».

67. *Quin etiam tacito* R. *placido* pleræque edd. sed *placito* videtur rectum esse, quod G. habet.

68. *Et renovere joeis* A. B. Pi. O. Pu. *renovare jocis* R. Bip. et aliæ : *renovare joco* V. L. *jocos* Gr. G.

69. *Obtendunt* vel *Offendunt siquidem* V. *Obtundunt siquidem* Gr. *Obtundunt equidem* R. *Ostendunt semper cur. pond. sensus* G. — *Curarum pondera sensus. Pondus curarum* aliquoties dixit Statius, ut Theb. IV, 39; IX, 575. Et Lucretius quamlibet curam et anxietatem *animi pondus* nominat, lib. III, 1067 : « Si possent homines, proinde ac sentire videntur, Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget, etc. »

70. *Intermissa sarcina*, deposita ad tempus. Ovid. ex Pont. III, 7, 14 : « Jam tibi sentiri sarcina nulla potest ». Sev. Sanctus carm. bucol. v. 10 : « Et divisa minus sarcina fit gravis ».

71. *Nunc egomet* L. *Tunc ego de toto* G. *toto nudato corpore* V. Gr.

73. *Heu senes* R.

75. *Me dico miserum non est culpanda voluptas* G. omnes præterea libri scribunt *voluptas;* sed *voluntas* sententia requirit. — *Non est culpanda voluntas.* Ovid. ex Pont. III, 4, 79 : « Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas »; qua Superi sunt contenti, sed non avida mulier.

76. *Vendicor infelix* V. Gr. *Venditor* G. — *Judicor infelix.* Petron. c. 134 : « Nunquam tu hominem tam infelicem vidisti, etc. » infelices vocari solent, quibus Venus non est propitia.

77. *En longa confecta siti tibi credimus arma* G. — *Confecta situ tibi tradimus arma.* Tibull. I, 10, 50 : « tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs ». Ovid. Fast. IV, 928 : « inquinet arma situs ».

78. *Quippe ditata meis* G.

79. *Fac quæcumque potes, tibi eredimus hæc tamen ipse* G. *tibi cessimus* V. R. Gr. L. *hic tamen ipse* L.

Grandior est hostis, quo minus ardet amor.
Protinus Argivas admovit turpiter artes,
Meque cupit flammis vivificare suis.
Ast ubi dilecti persensit funera membri,
Nec velut expositum surgere vidit onus,
Erigitur, viduoque toro laniata recumbens,
Vocibus his luctus et sua damna fovet:
Mentula festorum cultrix operosa dierum,
Quondam divitiæ, deliciæque meæ;

81. *Protinus argutas* G. — *Argivas turpiter artes*, Græcas, Thessalicas, magicas, veneficia, medicamina, quibus et fascinum avertere, et excitare languentem Venerem volebant. Exempla passim leguntur. Tibull. I, 2, 42 seqq. 8, 17 seqq. Ovid. Art. Am. II, 415 seqq. Petron. cap. 138. « Hæmonias artes » vocat Ovid. Art. Am. II, 99.

82. *Me cepit* V. Gr.

83. *Persensit* vel *præcepit* V. *præsensit* R. — *Ast ubi dilecti persensit funera membri.* Expressit Ovid. Am. III, 7, 75. Ibid. vs. 65 : « Nostra tamen jacuere velut præmortua membra ». Petron. cap. 129: « funerata est pars illa corporis, qua quondam Achilles eram ». Conf. supra Eleg. I, 117.

84. *Vidit opus* omnes quidem libri habent, sed *onus* ex certa conjectura rescribendum putavi. — *Nec velut expositum surgere vidit onus*, desperatum, abjectum et derelictum sine spe salutis : ductum a ritu exponendi ægros et adflictos in templo Æsculapii, cujus meminit Suet. Claud. cap. 25. Hoc sensu iterum adhibet Noster vs. 103; sed qui præter illum sic dixerit, scio neminem. Alii Romani *depositos* vocant desperatos, et alludunt ad ritum funebrem, quo moribundi deponebantur in terra, ut extremum spiritum redderent terræ, et tum conclamari solebat. Sic Virg. Æn. XII, 395 : « Ille ut depositi proferret fata parentis, etc. » et Ovid. ex Pont. II, 2, 47 : « Jam prope depositus, certe jam frigidus, ægre Servatus per te, si modo servor, ero ». Quod vulgatæ editt. habent, *opus* defendi quidem potest ex vs. 56; sed omni ratione aptius graviusque videtur, quod Cl. Ommerenus jam censuit, *onus*, i. e. truncum, inanime, immobile corpus. Confirmant hoc plures dictiones, quas Ovidius in Elegia sæpius citata usurpat quam totam respexit et imitatus est hic improbus nugator, ut vs. 4 : « Sed jacui pigro crimen onusque toro »; et vs. 15, 16 : « Truncus iners jacui, species et inutile signum : Nec satis exactum, corpus an umbra forem ».

85. *Lacrymata recumbens* P. *laniata capillos* L.

86. *Movet* vel *fovet* V. *sonet* G.

87. *Faustorum* et *festorum* L.

88. *Deliciæ divitiæque* L. P.—Hæc autem sæpe confunduntur. Sic in Reposiani Carm. de concubitu Martis et Veneris, vs. 22 : « Inter divitias » Burmannus conjicit *delicias*,

Quo te dejectam lacrymarum gurgite plangam?
Quæ de tot meritis carmina digna feram?
Tu mihi flagranti succurrere sæpe solebas,
Atque æstus animi ludificare mei.
Tu mihi per totam custos gratissima noctem,
Consors lætitiæ tristitiæque meæ:
Conscia secreti semper fidissima nostri,
Adstans in nostris pervigil obsequiis:
Quo tibi fervor abit, per quem feritura placebas?
Quo tibi cristatum vulniferumque caput?
Nempe jaces nullo, ut quondam, suffusa rubore:
Pallida demisso vertice nempe jaces.
Nil tibi blanditiæ, nil dulcia carmina prosunt,
Non quidquid mentem sollicitare solet.
Sic velut exposito meritam te funere plango,

ut vs. 47: « Deliciis Veneris dives natura laborat ». Vide t. III, pag. 326 et 329 hujus edit. Ed.

89. *Quo me dejectum* G. *dejectam* vel *denectam* V. *dilectam* R. — *Lacrymarum gurgite plangam*. Frigida hyperbole, quam non puto ab alio meliorum poetarum usurpatam. Quanto modestius Ovid. Met. XI, 655: « et humectat lacrymarum gramina rivo », idque in fabula, qua Byblin in fontem mutatam narrat. *Gurgitem curarum* idem dixit ex Pont. I, 3, 13, solam copiam et perennitatem significans.

92. *Ludificare* videtur esse in ludum vertere, lacessere per ludum et fallere.

94. *Tristitiæ lætitiæque* L.

96. *Astans æternis* V. Gr. *Astans interius* G. — *Pervigil obsequiis*, assidua, pernox, tota nocte officiosa. *Obsequiis*, ut supra vs. 78 *ministeriis*. Sic « pervigiles labores » infra v. 139, per noctem tolerandi; « pervigiles tibiæ » apud Claudian. in Fescenn. quæ tota nocte canunt. Similiter Propert. II, 18, 24, « tota nocte officium suum valere » ait.

97. *Quo te fervor habet* G. *per quem mihi sæpe placebas* L. *peritura placebas* P. reliqui omnes *feritura*, quod licet metri vitio laboret, dictioni tamen Maximiani conveniens est. Conf. v. 131 et 134.

98. *Vulnificumque* V. Gr. L. P. *munificumque* G.

99. *Perfusa rubore* V. Gr. *perfuso rubore* G.

100. *Namque jaces* L.

101. *Nil tibi blanditiæ*. Ovid. Am. III, 7, 11 et 55.

102. *Nec quicquid* Gr. L. G. *letificare solet* G.

103. *Nunc velut* V. *Nec velut* Gr. *Hic velut* R. L. *merito te* R. G. *plangam* G. — *Sic velut exposito*; vid. vs. 84.

Occidit, adsueto quod caret officio.
Hæc ego cum lacrymis deducta voce canentem
Irridens, dictis talibus increpui:
Dum defles nostri languorem femina membri,
Ostendis morbo te graviore premi.
Vade, inquam, felix semper felicibus apta,
Et tibi cognatis utere Deliciis.

104. *Assiduo quod* vulgatæ: *assueto quod* V. R. Gr. P. G. *assueto qui* L.

105. *Hanc ego* V. R. Gr. L. G. *nocte* et *voce* L. — *Deducta voce canentem.* Bene hic contulit Cl. Ommerenus locum Propertii, II, 24, 38: « Et mea deducta carmina voce legis ». Nonius in *Deductum* vocem *deductam* explicat « diminutam, suppressam », et adponit locum Lucilii, lib. XXX: « Deducta tunc voce leo, Cur tu ipsa venire Non vis huc? » Sigillatim muliebrem vocem, ut hic, significari docet locus Pomponii, a Macrobio, Sat. VI, 4, productus: « Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. Jube modo adferatur unus, ego vocem reddam tenuem et tinnulam ». Petitum antem hoc videtur a lana in filum tenue deducta et diminuta. Unde recte Heynius V. C. ad Virg. Ecl. VI, 5, *deductum carmen* explicat *tenue*, ut pastoritium, quia plenius hoc eloquitur Horat. Epist. II, 1, 225: « tenui deducta poemata filo ». Nonius l. c. *deductum carmen* interpretatur *molle* et *suave*, quod quidem ad sententiam Virgilii proxime non facit; de alio tamen carmine valere potest, quod molliter procedit, quasi filum ex molli et sequaci lana, facili opera nec invita Minerva ductum. Quo sensu accepisse videtur Ovid. ex Pont. I, 5, 13: « luctor deducere versum, Sed non fit fato mollior ille meo ».

107. *Quid defles* L.

109. *Vade inquam.* Hic versus cum 110 et 111 in codice R. desiderantur, contra inseruntur post versum 124, sic mutati et interpolati: « Erige dulce caput solitasque recollige vires, Et tibi cognatis utere deliciis. Salve, inquam, felix semper felicibus apta, Et de cognatis utere deliciis ». In cod. L. distichon hoc loco abest, sed subjicitur post versum 122, et in vetusta Germ. post vs. 124. *Salve, inquam,* L. *Vale inquit* G. *Vade modo* Gr. — *Semper felicibus apta*, iis tantum, ut videris, apta, qui Venere semper prospera utuntur, nunquam cessant.

110. *Utere cognatis utere deliciis* V. B. Pi. O. Bip. *Et tibi cognatis* R. Gr. P. G. *En tibi cognatis* L. — *Tibi cognatis utere deliciis*, id est, tibi convenientibus, propriis, tua libidine dignis. « Fruere votis usque ad invidiam felicibus », ut loquitur Petron. cap. 11. Sed suspicor, per *delicias* hic potius intelligendos esse servos vel pueros delicatos de Alexandria plerumque emptos, qui jocis et cantibus et arguta dicacitate dominis delicias faciebant, ab iis sæpe

Illa furens : credo, nescis, quod, perfide, dixi,
Non fleo privatum, sed generale chaos.
Hæc genus humanum, pecudum, volucrumque ferarumque
Et quidquid toto spirat in orbe, creat.
Hac sine diversi nulla est concordia sexus:

improbe amati, et singulariter *Deliciæ* vocabantur. Quintil. Inst. Or. I, 2, 7; Statius, Silv. V, 5, 67; Petron. cap. 31. His utendum esse puellæ libidinosæ, mordaci joco suadet Maximianus, tamquam *ei cognatis*, hoc est, quod pari ætate, conditione, nequitia garrulitateque essent, atque ipsa, quæ cantu et fidibus oblectare docta, forte in idem ministerium empta ex Syria erat, ut pueri ex Alexandria, qui et subinde cum Syris fidicinis conjunguntur, ut a Capitolino in Vero, cap. 8. Sic in fragmento Petronii, quod (huj. op. tom. II, p. 125. En.) produximus *famuli* vel servi *cognata fæce sepulti* dicuntur, qui in fæce vel turba vilissima similium hominum latent.

111. *Illa furens, credo quod nescis, perfide, dixit*, sic vulgatæ: *nescis ut credo perfide* V. G. *nescis ut cerno* P. et V. pro glossa : *dixit ut credo perfide nescis* L. In omnibus hisce variationibus verba manent confusa, ut sententiam, quam debent, non efficiant. Puto *dixit* mutandum esse in *dixi*, et verba sic ordinanda : « Illa furens (scil. ait), credo quod dixi, perfide, nescis »; vel sic : « credo, nescis, quod, perfide, dixi ».

112. *Privatum* omnes impressi antiquiores : *privatim* Amst. Bip. et fortasse aliæ : *generale malum* vel *chaos* V. *malum* Gr. — *Sed generale chaos*. Etsi quidam codices legunt *generale malum*, dubium tamen non est, quin pro glossa hoc adposuerint verbum librarii, qui, quid chaos hic significare posset, non perspiciebant. Et omnino, quid eo verbo voluerit auctor, obscurum est, nisi in subsidium vocemus locum Ovidii, Art. Am. II, 467 seqq. qui postquam discordiam et iras amantium dixit sæpe optime componi petito concubitu, tum illustrat hoc memorata primitiva illa omnium rerum discordia, quam dixerunt Chaos, quo sublato, et partibus universi omnibus in certum ordinem redactis, quum genus humanum terras pro sede sortitum esset, hoc tamen rude admodum initio et suis tantum viribus confisum dissedisse a se, et solis in agris errasse, donec blanda voluptas et amor truces animos leniret, atque in unum coire locum doceret. Hinc ideam istam concepit auctor, ut *generale chaos* diceret rudem omnium animantium discordiam et infecundam rerum vastitatem, quæ futura esset, nisi diversorum sexuum fieret conjunctio. Pro sterili et deserto loco *chaos* posuit Petron. Bell. civ. vs. 74 : « Sed chaos, et nigro squalentia pumice saxa, etc. »

113. *Ferarumque* B. Pi. O. Amst. Bip. *ferarum* R. Gr. G.

115. *Nulla est concordia sexus.* Petitum ab Ovidio, Art. Am. l. c. v. 463 : Illic (in concubitu) depositis habitat Concordia telis : Illo,

Hac sine conjugii gratia summa perit.
Hæc geminas tanto constringit fœdere mentes,
Unius ut faciat corporis esse duos.
Pulchra licet, pretium, si desit, femina perdit,
Hæc si defuerit, vir quoque turpis erit;
Hæc si gemma micans rutilum non conferat aurum,
Æternum fallax mortiferumque genus.
Tecum pura fides, secretaque certa locantur,

crede mihi, Gratia nata loco est ».

117. *Tanto constringit* vulgatæ omnes: *toto* vel *tanto* V. Gr. *tacito* R. *stante* et *toto* L.

118. *Ut facias* R. *esse duas* L. — *Unius ut faciat corporis esse duos.* Quid hoc? notum illud σώματα μὲν δύω, ψυχὴ δὲ μία. Vid. Ouzel. ad Minuc. p. 41: an *pectoris?* de re ipsa v. Valckenar ad Eurip. Hipp. v. 195 et 273. Ommer. — Minucii locus est Octavii, cap. 1: « crederes unam mentem in duobus fuisse divisam ». Verba ea, ut et Græcum proverbium ab Ommereno adlatum, de arctissima amicitia agunt, quæ est ea animorum conjunctio, ut una mens in duobus corporibus videatur. Maximianus vero loquitur de conjugio, quod non animorum modo, sed et corporum infert copulam. Hæc copula autem quia consensionem animorum pro fundamento habet, hinc recte Maximianus conjugium dicit tanto mentes fœdere constringere, ut duo diversi sexus homines unius corporis esse faciat; quæ formula adeo in libris sacris et a scriptoribus ecclesiasticis usurpata est.

119. *Pulchra licet desit pretium si femina perdit* G. qua lectione sensus turbatur. Withofius, p. 332, lectionem vulgatam sic distinguendam putat: *Pulchra licet, pretium, si desit, femina perdit.* Sed ita jam distinguunt edd. B. et O. Withofius tamen mallet *sine tali*, si liceret.

121 *Gemma* vel *mamma* V. *conterat aurum* B. Pi. O. Bip. *conferat* Gr. L. G. *conferet* V. — *Rutilum non conferat aurum*, non conjungatur cum auro.

122. *Æternum fallit*, vel *est fallax multum* V. *fallit* Gr. G. *Extremum fallax* R. — *Fallax mortiferum genus*, scil. fit, vel erit, i. e. fallet, deficiet et intercidet generatio.

123. *Secretaque certa loquuntur* B. Pi. O. Bip. *cuncta loquuntur* V. *certa sequuntur* G. *cuncta locantur* L. quod optimum est. — *Pura fides secretaque certa locantur.* Hæc vera et certa lectio est, quam unicus servavit cod. Lun. quamque sequens versus minor satis confirmat. *Locare* dixit, quod Horat. Sat. I, 2, 13, « ponere in fenore nummos ». Locantur, inquit, per illud concubii secretum, ut adpellat Gellius, IX, 10, bona fide committuntur, et quasi sub pignore deponuntur certa secreta sensusque animi, quæ mutua fides et benevolentia tuto servet, atque adeo cum fenore reddat. Similitudine hac alia in re usus est Claud. de Cons. Mall. v. 183:

O vere pretium, fructiferumque bonum!
Cedunt cuncta tibi, quodque est sublimius, ultro
Cedunt imperiis maxima sceptra tuis,
Nec subjecta gemunt, sed se tibi subdere gaudent:
Vulnera sunt iræ prosperiora tuæ.
Ipsa etiam totum moderans sapientia mundum,
Porrigit invitas ad tua jura manus.
Sternitur icta tuo votivo vulnere virgo,
Et perfusa novo læta cruore jacet.
Flet tacitum, ridetque suum laniata dolorem,
Et percussori plaudit amica suo.
•Non tibi semper iners, non mollis convenit actus,

« Collectamque diu, certis utcumque locatam Sedibus, in dubium patiar deponere famam ». De secreto commercio conjugum paria significat Claud. Fescenn. 4, 16: « Adspirate novam pectoribus fidem, Mansuramque facem tradite sensibus ».

124. *O vere nostrum* V. Gr. G. *fructiferumque genus* V. — *O vere pretium*, etc. O bonum, quod vere dicas pretium sive fenus bene collocatum, et suos fructus laturum!

126. *Maxima quæque* B. Pi. O. H. Bip. et aliæ: sed *quæque* nihil sublimius infert, quam quod ante posuit, *Cedunt cuncta tibi*. Igitur longe melior lectio *maxima sceptra*, quam habent V. Gr. L. G.

127. *Nec subtracta gemunt* B. Pi. O. et aliæ. *Hæc subtracta* R. *Nec subjecta* V. Gr. P. L. G. *sese sibi subdere* R. G. *se tibi subdita gaudent* V. Gr. L.

128. *Posteriora tuæ* Amst. Bip. et fortasse aliæ recentiores habent: sed omnes scripti, et editiones antiquiores A. B. Pu. Pi. O. Han. exhibent *prosperiora*. — *Vulnera sunt iræ prosperiora tuæ*. *Iram* de congressione, lucta, ardore pugnantium sæpe dicit Statius, ut Theb. VI, 746: « simili stantem miratus in ira ». Plura dabit Barth. ad Theb. IX, 783. Hinc *vulnera* ab ea ira proficisci dicit auctor, quæ *vulnera nocturni prœlii* vocat Claud. Fescenn. 4, 29.

130. *Porrigit invitas* R. Pi. Han. Bip. *invictas* V. Gr. L. A. *injunctas* G. *tua jussa* V. R. Gr. L. *sua jussa* G. — Fere mallem *ad tua jussa*; nam *jura* hic cum manibus minus convenire videtur. Ed.

132. *Et percussa* omnes impressi, quod tamen ταυτολογεῖν videtur, quia præcessit *icta*. Igitur melius *perfusa* V. R. L. — *Novo læta cruore*. Claudianus *virginei cruoris* meminit Fescenn. 4, 27.

133. *Flet tantum* B. Pi. O. H. Bip. *Flet tacitum* V. Gr. quod melius puto: idque facillime corrumpi in *tantum* potuit. *Flet tacite* G. *laninta pudorem* L.

135. *Convenit ictus* G.

Mixtaque sunt ludis fortia facta tuis.
Nam nunc ingenio, magnis nunc viribus usa,
Nunc his quæ Veneri sunt inimica malis.
Nam tibi pervigiles impendunt sæpe labores
Imbres, insidiæ, jurgia, damna, nives.
Tum mihi sæpe feri commendas corda tyranni,
Sanguineus per te Mars quoque mitis erit.
Tu post exstinctos debellatosque gigantes,
Excutis irato tela trisulca Jovi:

137. *Ingenio magno* V. *nunc magna viribus usa es* G.

138. *Quæ juveni* vulgatæ pleræque: *quæ Veneris* V. Gr. G. scribo *Veneri*. Plane corrumpit hunc versum L. *Non quidem in penis non es amica malis.*

139. *Nunc tibi* vult Withofius, quod non probo: *impendunt sæpe dolores* B. Pi. O. Hau. Bip. *labores* V. R. Gr. L. G. forte *intendunt* vel *intentant*. Withofius corrigit *impendent*. — *Pervigiles impendunt sæpe labores. Pervigiles* tota nocte tolerandos *impendunt*, tua caussa movent, excitant, sed melius videtur legere *intendunt* vel *intentant*. Virgil. Æn. I, 91: « Præsentemque viris intentant omnia mortem ». Claud. in Ruf. I, 88: « populis communue intendere letum ». Nolim tamen spernere emendationem Withofii *impendent*.

140. *Damna, pudor* B. Pi. O. H. Bip. *damna, nives* V. R. Gr. L. G. quod præfero. — *Imbres, insidiæ, jurgia, damna, nives*. Hos labores amantibus subeundos repetit ex Ovidio, qui Am. I, 9, 9 seqq. amantem cum milite comparat, eumque pariter visrum molestias, frigora noctis, imbres nivesque patienter ferre narrat.

141. *Tum mihi* Pi. Hau. Bip. *Tu mihi* Gr. B. O. quod et probat Withofius. *Ut mihi* G. — *Commendas corda tyranni*, facis, ut mitiora et audabiliora videantur.

144. *Excutis aurato* V. Gr. — *Excutis irato tela trisulca Jovi*. Ovid. Am. II, 5, 51: « dedit oscula, qualia possent Excutere irato tela trisulca Jovi ». — Frequentissimum est poetis exemplo Jovis crimina sua et furtivos amores velare, et amantium licentiam iis prætexere, exaggerando Jovis ipsius furta. Sic Anthol. Lat. I, ep. 10: « Texit furta Jovis carmine dulcis olor ». Et hoc exemplo Helenam movet Paris apud Ovid. Epist. XVI, 289: « Jupiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis: Hæc tibi nempe patrem furta dedere Jovem ». Elegantissimus locus est Terent. Eun. Act. III, sc. 5, v. 351, ubi Cherea loquitur: « dum adparatur, virgo in conclavi sedet, Suspectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura hæc, Jovem Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum... Deum sese in hominem convertisse... At quem Deum! qui templa cæli summa sonitu concutit. Ego homuncio hoc non facerem! ego vero illud ita feci, ac lubens »:

Tu cogis rapidas adfectum ducere tigres,
Per te blandus amans redditur ipse leo.
Mira tibi virtus, mira est patientia, victos
Diligis, et vinci, vincere sæpe voles.
Quum superata jaces, vires animosque resumis,
Atque iterum vinci, vincere rursus amas.
Ira brevis, longa est pietas, recidiva voluptas,

quæ ultima conveniunt cum illis Ovid. Metam. II, 849: « Ille pater rectorque Deum, cui dextra trisulcis Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem, Induitur faciem tauri, etc. » Ita Propertius, Eleg. XXX, 28: « Illic adspicies scopulis hærere sorores, Et canere antiqui dulcia furta Jovis. Ut Semele est combustus, ut est deperditus Io, Denique ut ad Trojæ tecta volarit avis ». Noster quoque eodem colore supra v. 45: « Nec memorare pudet tali me vulnere victum, Subditus his flammis Jupiter ipse fuit ». Adpositus est Arnobii locus, quem adscribam quia omnia Jovis furta enumerat: « Quid tantum, quæso, de vobis Jupiter iste, quicumque est, meruit?... matrimonii prodidit jus Leda: Jupiter esse dicitur auctor culpæ. Virginitatem Danae custodire nequivit: furtum esse narratur Jovis. Ad mulieris nomen properavit Europa: expugnator pudicitiæ idem esse jactatur. Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ virgines ac mille matres, cumque illis Catamitus puer spoliatus est honestate: eadem ubique est Jupiter fabula, neque ullum turpitudinis genus est, in quo ejus non nomen consociatis libidinibus inseratis ». Ed.

145. *Rabidas* L. et hoc mavult Withofius, quam vulgatum *rapidas: adfectus discere* B. Pi. O. Bip. *effectus discere* Han. Amst. *effectum discere* V. Gr. *adfectum ducere* L. G. quod placet. — *Adfectum ducere tigres*, i. e. amoris adfectum concipere, contrahere, quemadmodum uva dicitur *colorem ducere* Virg. Ecl. IV, 49, saxa *ducere formam* dicuntur Ovid. Met. I, 402, *color ducere signa mentis* Nostro El. III, 20.

147. *Mira est patientia, victos* B. Pi. O. H. Bip. *est mira potentia* V. R. Gr. G. *victor* G. *victrix* R. *mira est patientia victæ* corrigit Withof. et addit: Explicatione non indigent hæc verba, adeo sunt clara, nec patiuntur, quamvis castis omnia sint casta.

148. *Vincere sæpe volens* pleræque vulgatæ: *voles* Gr. G. *soles* R. *velis* vel *vinci tu quoque sæpe soles* perperam L.

149. *Quum superata* B. Pi. Bip. *Quum* A. H. O. *Dum superata* G. *animosa resumis* R. *resumes* L. — *Vires animosque resumis*. Forsan respexit hæc Ovidii, Am. I, 9, 29: « Mars dubius, nec certa Venus; victique resurgunt, etc. »

150. *Rursus amans* pleræque impressæ: *amas* G. quod præfero.

151. *Recidiva voluptas* pleræque vulgatæ: *rediviva* vel *recidiva* V. L. *rediviva* Gr. G.

Et quum posse perit, mens tamen una manet.
Conticuit tandem, et longo satiata dolore
Me velut expletis deserit exsequiis.

152. *Et quum posse perit.* Uti supra El. III, 92: « ipsum talia velle fugit; meus tamen una manet », eadem voluptas et libido. Sic *mentem* accipiunt subinde poetæ. Virg. Georg. III, 267: « furor est insignis equarum, Et mentem Venus ipsa dedit ». Vid. nost. edit. t. I, p. 464, et t. V, p. 543. Sic etiam Noster, v. 102, accepisse videtur. Ed.

153. *Conticuit quondam* G. *satiata* vel *sanata* L.

154. *Ac velut expletis desinit exsequiis* pleræque vulgatæ. Sed *desinit* superfluum videtur, quia jam dictum est *conticuit*. Igitur melior lectio vetustiorum V. Gr. G. *Me velut expletis deserit exsequiis*. Sed hoc pacto commodum fuerit, hexametro copulam inserere: *Conticuit tandem, et longo*, etc. — *Expletis deserit exsequiis*, peracto quasi funeris officio, quo me funeratum prosequi voluit. Vid. v. 103.

MAXIMIANI ETRUSCI

ELEGIARUM LIBER.

ELEGIA VI.

CLAUDE, precor, miseras, ætas verbosa, querelas!
 Numquid et hoc vitium vis reserare tuum?
Sit satis, indignum leviter tetigisse pudorem,
 Contrectata diu crimina crimen habent.
Omnibus est eadem leti via, non tamen unus
 Est vitæ cunctis, exitiique modus.
Hac pueri atque senes pariter juvenesque feruntur,

1. In codice Bernh. Rottend. hæc Elegia præcedenti sine distinctione adhæret. *Querelas* G. B. Pi. O. H. Bip. *loquelas* V. Gr. — *Ætas verbosa*, senectus garrula. Vid. El. I, 203. Symmachus, Epist. VIII, 48: « Quid faciam senex garrulus? Trahit nos vitium senile verbositas ».

2. *Numquid adhuc* omnes fere edd. sed ex Msptis L. et ex edit. G. *Numquid et hoc*, quod præfero. — *Vis reserare*, aperire verbis et ostendere, hoc etiam vitium inesse tibi, quod in senibus vulgo reprehenditur. Sic in fragmento Petronii, quod huj. op. t. II, p. 128 dedimus: « Commissa verens reserare minister » dicitur, et in Anthol. Lat. lib. IV, ep. 140, 9: « Frangitur explicitis tristis fortuna querelis, Et reserata minus pectora vulnus habent ».

3. *Pudorem* omnes: L. tantum adjicit *vel dolorem*. — *Leviter tetigisse pudorem*. At non leviter, sed nimium tetigit impudens Maximianus, levis et mendax.—Sed *tangere* hic est carpere, reprehendere. ED.

4. *Contractata* R. G. — *Contrectata diu*. Ovid. ex Pont. I, 6, 22: « tractari vulnera nostra timent ». Sic supra El. II, 72: « Est grave, quod doleat, commemorare diu ».

5. *Eadem vitia lethi* R. — *Omnibus est eadem leti via*. Hor. Carm. I, 28, 16: « omnes una manet nox, Et calcanda semel via leti ».

7. *Hic pueri* R. *ferentur* vulgatæ: *feruntur* V. R. Gr. L. *fruuntur* G. — *Senes pariter juvenesque feruntur*. Horat. l. c. « Mixta senum ac juvenum densentur funera ». Ovid. Met. X, 33: « Serius aut citius sedem properamus ad unam; Tendimus huc omnes ».

Hac par divitibus pauper egenus erit.
Ergo quod adstrictum, quodque est vitabile nulli,
Festino gressu vincere præstat iter.
Infelix ceu jam defleto funere surgo,
Hac me defunctum vivere parte puto.

8. *Par divitibus pauper.* Paria habet Horat. Carm. I, 4, 13 seq. II, 3, 21 seq. et eum in his sequutus clar. poeta *Malherbe.* Eu.—Tritissimum hunc de communi hominum sorte moriendi locum, pluribus aliorum sententiis adcumulare vereor.

9. *Quod adstrictum* vulgatæ omnes post Ascens. *quod adtritum* V. G. *quod adtritum est quidquid vitabile nulli* L. — *Ergo quod adstrictum,* h. e. arcte cum humana conditione conjunctum, et necessitate quadam fixum est, quo se exsolvere nemo possit. Videtur eo verbo respicere ad sententiam Horatii, qua *diram Necessitatem clavos figere* hominibus, nec posse hos *mortis laqueis se expedire* scribit Carm. III, 24, 5 seq. Insinuat hoc scholiastes Horatii, qui eodem verbo ad enarrandum hunc locum utitur : « quum necessitate mortis adstricta sit humana conditio, nec possis te ullo remedio inde, aut præmio redimere ». Nonnulli codices legunt *Ergo quod adtritum,* quod si præferatur, explicandum erit, iter, quod multis multorum hominum passibus ante jam tritum et frequentatum est.

10. *Festino gressu vincere.* Conf. El. I, 275 seq.

11. *Seu jam defleto* R. *Infelix etiam defuncto funere* G.

12. *Hac me defunctum vivere parte puto.* Conf. El. I, 117.

OFILII SERGIANI

ELEGIA

DE PULICE *.

PARVE pulex, et amara lues, inimica puellis,
  Carmine quo fungar in tua facta ferox?
Tu laceras corpus tenerum, durissime, morsu;
  Cujus quum fuerit plena cruore cutis,
Emittis maculas nigro de corpore fuscas,
  Lævia membra quibus commaculata rigent.
Dumque tuum lateri rostrum defigis acutum,
  Cogitur e somno surgere virgo gravi.
Perque sinus erras; tibi pervia cætera membra;
  Is quocumque placet; nil tibi, sæve, latet.

* Inscripsi, ut Goldastus in Opusc. erot. Ovidii, quem potissimum sequor. Bersmannus inscribit « De Pulice Elegia, quam satis constat non esse Ovidii, nec cujusquam eruditioris ».

1. *Et amara lues.* Lues dicitur, quidquid noxium vagatur, et in alias aliasque partes diffunditur, quemadmodum et pestis. Similiter *lues acerba* Silio Ital. lib. XII, 184, dicitur turba effusa, telis petens hostes suos.

2. Corruptius vetus cod. Guelf. *Ense quo fungor in tua fata feror;* sed *ferox in tua facta* est iratus tuis factis.

3. *Corpus teneris* Guelf. *laceras corpus morsu*, h. e. morsu ita pungis, ut prurigine excitata corpus scabendo laceretur. Sic de scabie Gratius Cyneg. v. 408 : « At si deformis lacerum dulcedine corpus Persequitur scabies ».

4. *Plena cruore cutis.* Ex Horat. Art. Poet. v. ult. *plena cruoris hirudo.*

5. *Nigras de corpore fusas* Gu.

6. *Lenia* habet cod. Gu. sed τῷ *Lævia* magis convenit *rigent*, i. e. squalent, aspera fiunt.

7. *Cumque* Guelf. Gryph. et Dorn. *tuum rostrum lateri defigis* Guelf.

8. *E summo surgere virgo thoro* Guelf. quæ lectio deterior vulgata.

Ah! piget, et dicam, quum strata puella recumbit,
Tu femur avellis, cruraque aperta subis.
Ausus es interdum per membra libidinis ire,
Et turbare locis gaudia nata suis.
Dispeream, nisi jam cupiam fieri meus hostis,
Promptior ut fieret ad mea vota via.
Si sineret natura mihi, quo verterer in te,
Et quod sum natus, posse redire daret:
Vel si carminibus possem mutarier ullis,
Carminibus fierem ad mea vota pulex:
Aut medicaminibus, si plus medicamina possunt,
Vellem naturæ jura novare meæ.

11. *Ah piger edicam* cod. Guelf.

12. *Tu femur avellis.* Credo hoc eum velle: Tu pungendo irritas puellam, ut femur femori forte impositum avellat, et disjungat.

14. *Et turbare suis gaudia nata locis* Guelf. *gaudia* de voluptate Venerea, vulgatum; ut in hoc Propertii, I, 4, 14: « et quæ Gaudia sub tacita ducere veste libet ». Et *loca* de partibus muliebribus. Ovid. Art. Am. II, 719.

15. *Desperam si non* Guelf. corrupte. *Ah peream* Bersmannus ex alio codice notavit in margine. Sed *Dispeream* frequens est adseverandi, adjurandi formula. Virg. Catal. IX, 2: « Dispeream, nisi me perdidit iste putus »; et XIII, 3: « Dispeream, si te fuerit mihi carior alter». Martial. I, 40, 8: « Si quis erit magnæ subnixus robore mentis, Dispeream, si non hic Decianus erit ». Idem, II, 69, 2: « Si non mentiris, Classice, disperéam ». Et sæpius idem aliis locis.

16. *In mea vota* Guelf. Sed *ad mea vota* confirmat versus Ovidii ex Pont. IV, 12, 50: « Quoque viam facias ad mea vota vado ».

17. *Ut sineret* edidit Dorn. *Si natura mihi sineret* Guelf. *sineret* pro permitteret, concederet. Cum dativo positum hoc verbum deterioris latinitatis est, et ita Juvencus, II, v. 24: « Et sine defunctis defunctos condere terra ».

18. *Posse redire daret, quod sum natus* videtur exponendum, *posse redire* in id, *quod sum natus*, quemadmodum priore versu: *quo verterer in te*. Scilicet τὸ *redire* sæpe adjunctum habere accusativum sine præpositione, monui ad Maximiani El. I, 218: « prona senectus Terram, qua genita est, quam reditura, videt ». Cod. Guelf. legit *Et quo sum natus*, vitiose, ut puto.

19. *Ut si carminibus* et *mutarer in illis* Guelf.

20. *In mea vota* Guelf.

21. *Ac medicaminibus* et *possent* pro *possunt* Guelf.

22. *Naturæ jura novare meæ.* Phrasin ab Ovidio petiit, qui Met. IV, 279: « Nec loquor, ut quon-

Carmina Medeæ, vel quid medicamina Circes
Contulerint, res est notificata satis.
His ego mutatus, si sic mutabilis essem,
Hærerem in tunicæ margine virgineæ.
Inde means per crura meæ sub veste puellæ,
Ad loca, quæ vellem, me cito subriperem.
Cumque illa dudum, lædens nil ipse, cubarem,
Donec de pulice rursus homo fierem.
Sed si forte novis virgo perterrita monstris,
Exciret famulos ad mea vincla suos;
Aut lenita meis precibus succumberet illa,
Aut mox ex homine verterer in pulicem.
Rursus mutatus, fundensque precamina mille,
Accirem cunctos in mea vota Deos;

dam naturæ jure novato Ambiguus fuerit modo vir, modo femina, Scython ». Idem, Art. Am. II, 42, de Dædalo alas avis sibi parante: « Sint mihi naturæ jura novanda meæ ».

23. *Carmina Medeæ*. Corruptissime hunc versum expressit vetus exemplar Guelf. « Canam Medeæ tibi quas medicaverit artes ».

24. *Notificata satis*. Hoc verbo etiam Ovidius usus est, si versus genuinus est, ex Pont. I, 2, 12: « Atque modum culpæ notificare meæ ».

25. *His ego mutatis* Guelf. perperam; *sic sic mutabilis* Goldastus edidit; sed vet. Guelf. Bersmanni et Dornavi exemplar rectius legit *si sic mutabilis*.

26. *Hærerem in tunicæ*. Sic Gryph. Bersm. Gold. et Dorn. sed vet. Guelf. *in* omittit, idque etiam Bersmannus notavit unum librum suorum non habere.

29. *Cumque illa dudum*. Plane aliter vetus exemplum Guelf. « Sicut et optarem nullatenus usque probarem ». Versus rhythmicus barbariem olet.

31. *Novis virgo perterrita monstris*. Virg. Æn. III, 307: « magnis exterrita monstris Diriguit visu in medio ». Ovid. Met. XII, 175: « monstri novitate moventur Quisquis adest ».

32. *Exigeret famulos* Guelf.

33. *Aut tentata* Gryph. Bersm. Gold. Dorn. *Aut lenita* vet. Guelf. quod præferre alteri malim.

35. *Rursus mutatus, fundens humilesque precatus*, vetus Guelf. Ex rhythmo consonante adparet, versum spurium esse. *Precamina* an quis alius dixerit, dubito: certe in Lexicis hoc vocabulum non invenio.

36. *Accierem cunctos* Gu. Hoc fere præferam alteri, quod Bersm. et Gold. habent, *Adferrem cunctos*. Nam eam formulam *Accirem Deos* adcommodare et opponere auctor superiori v. 31, videtur, qua *excire*

Illam tum precibus, vel vi superator haberem,
Et jam nil mallet, quam sibi me socium.

famulos suos virgo dicebatur; præterea exprimere id, quod Virgilius dicit *Divos in vota vocare*, Æn. V, 234 et 514. *Vocare* autem *Deos in vota*, ut e Maronis locis intelligitur, ii dicuntur, qui extrema et maxima audent, atque alios vincere cupiunt. Conf. Sil. Ital. XIV, 396.

37. Bersmannus in margine ad hunc versum notavit, libros tres sic legere: «Dum bona vel precibus, vel vi, sperata tenerem»; et conspirat cum his cod. vet. Guelf. nisi quod *superata tenerem* habet. Neque vero eum versum, etiamsi non absurdum, magis probare possum, quam alterum, quem vulgata Bersmanni, Goldasti et Dornavii, exempla habent, quique melius, quam ille, cohærere cum suo pentametro videtur: «Illam dum precibus, vel vi, superator haberem»; modo *tum* legatur pro *dum*. *Illam tum haberem* ex consuetudine amatorum poetarum dictum pro *illa tum potirer*. Tibull. IV, 7, 6: «mea gaudia narret, Dicetur si quis non habuisse suam». Propert. III, 6, 22: «Me doceat livor meeum habuisse meam». Ut notum est illud Terentii, Andr. I, 1, 58: «quis heri Chrysidem habuit?»

ALBI OVIDII JUVENTINI

ELEGIA

DE PHILOMELA,

ET DE ALIARUM AVIUM, SIMUL ET QUADRUPEDUM, VOCIBUS.

Dulcis amica veni, noctis solatia præstans:
Inter aves etenim nulla tibi similis.
Tu, Philomela, potes vocum discrimina mille,
Mille potes varios ipsa referre modos.
Nam quamvis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulis æquivalere tuis.
Insuper est avium, spatiis garrire diurnis:
Tu cantare simul nocte dieque potes.
Parus enim quamvis per noctem tinnipet omnem,
At sua vox nulli jure placere potest.
Dulce palara sonat, quam dicunt nomine drostam,

4. In cod. Leidensi Burmannus scriptum ait: « Mille vales varios tuta referre modos »; ubi pro *tuta* fortasse scribendum erat *tute referre modos.*

6. In eodem cod. « Nulla potest modulos æquiparare tuos », quod fortasse melius.

9. *Tinninet* editio Aldi, ejusque sequaces Bersm. et Gold. *timpanet* cod. Leid. *tinnitet* Schottus, quod tamen apud eum mox sequitur de merulo dictum. *Tinnipet* rescripsit Burmannus e Glossario Leidensi, quod produxit, in quo *Pari tinnipant.* Vossius de Vit. Serm. IV, 28, pro *tinnipare* legendum censet *tintinare*, ut est apud Catull. Carm. 52.

10. *At sua vox nulli. Sua* pro *ejus*, ex more cadentis latinitatis. Schottus cum Burmanno edidit *Vox ejus nulli*, quod ex emendatione videtur esse.

11. *Palara* et *drostam* Ald. Bersm.

Sed fugiente die nempe quieta silet.
Et merulus modulans sat pulchris tinnitat odis,
Nocte ruente tamen cantica nulla canit.
Vere calente novos componit acredula cantus,
Matutinali tempore tunc mitilans.
Dum turdus truculat, sturnus tunc pusitat ore;

Gold. *pelora* et *droscam* Schott. *parala* et *drostam* legit vult Burm. quod sic apud Marium Matium, Adnotation. cap. 47: *dicunt quam nomine clausam*, cod. Leid.

13. *Tam pulchris concinit odis*, Ald. Bersm. Gold. *concinat* cod. Leid. sed melius videtur quod Schottus edidit: « « sat pulchris tinnitat odis »; nam in verbo *concinit* nulla vox propria adparet. *Odas* sequiore ætate dixerunt pro quocumque cantu suavi. Jul. Speratus de Philomela, vers. ult. « Porrige dulcisonas adtentis auribus odas ».

14. *Carmina nulla canit*. Ald. cum Bersm. et Gold. sed malo cum Schotto ponere *cantica nulla*.

15. *Vere calente* exhibent Ald. Bersm. Gold. *Voce calente* Schottus, sed illud prætulit Burm. Verba *componit acredula cantus* adludere videntur ad versum ex Ciceronis Prognosticis, quem adfert Isidorus, Orig. XII, 7, et Balbus Jannensis in Catholico, v. *Acredula*: « Et matutinos exercet acredula cantus ». Similes versus sunt apud Cicer. de Divin. I, 8: « Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen, Et matutinis acredula vocibus instat ». Acredulam Isidorus, Balbus et alii lusciniam dicunt esse, in quibus certe auctor hujus carminis non est: alii ululam, vel etiam ranæ speciem, quod statuit Grotius ad Cicer. fragm. Arat. p. 82; Goldastus in Epist. dedic. ex Alaudarum genere dicit esse. Vid. Vossius, Etymol. pag. 298, in *Acredula*. — Apud Matium *mutilare*, *acredularum*. Ed.

16. *Tempore tunc mitilans* Ald. cum Bersm. et Gold. *tunc*, i. e. vere calente, quod ante dixit. Schottus edidit « Matutino tempore rurilulans », quod verbum plane ignotum aliis. In cod. Leid. est *tunc rutilans*.

17. Bersm. et Goldast. ediderunt « Dum turdus trutilat, sturnus tunc pisitat ore »; Schottus: « Et turdus truculat: sturnus tum pusitat ore ». Utrumque *truculat* et *trutilat* probat Cangius in Glossario. — Et apud Matium *Trutilare*, *turdorum*. In Glossario Leid. *Turdi sotitant*, vel *facillant*, ubi lege *faccilant*. Sic in ep. seq. apud Burm. « Faccilat hic volitans turdus ». Papias in Vocabulario *Turdos cucillare*, vel *facilare*, vel *soccitare*: in Salemonis Gloss. *trucilare*. Ed. — In glossis Vossianis est *Turdus truculat*, atque hinc pro vitioso habendum, quod in codice Leid. legitur, *turculat*. Aldinæ lectionem *pisitat* sequitur Gesnerus, Hist. Anim. tom. II, p. 677; sed *pusitat* exhibuit Schottus, *pulsitat* cod. Leid. Burmannus emendandum censet « sturnus tum parsitat ore », quia sic in Glossis Leid. *Sturni parsitant*: huic accedit, quod in Salemonis et Papiæ Voca-

Sed quod mane canunt, vespere non recolunt.
Caccabat hinc perdix, hinc graccitat improbus anser,
Et castus turtur, atque columba gemunt.
Plausitat arborea resonans de fronde palumbes,
In fluviisque natans ore tetrinit anas.
Martia grus gruit, ast cycni prope flumina drensant,

bulariis legitur *Sturnos passitare.*

19. *Cacabat hinc perdix.* Sic Goldastus ex Aldina pariter, ac Schottus. Videtur tamen duplici litera scribendum *Caccabat*, quia κακκαβάζειν, vel κακκαβίζειν in Græco est apud Pollucem. Alii, qui *cacabare* scribunt, primam corripiunt, ut Epigramma sequens apud Burmannum: « Interea perdix cacabat », et Nemesiani fragmentum de aucupio, v. 13: « Inficiunt pullæ cacabantis imagine guttæ ». In Glossario Leid. *Perdices cacabant*, et sic apud Papiam et Matium *Cacabare, perdicum.* — *Hinc gratitat improbus anser* Ald. et Bersm. *gracitat* Goldast. *graccitat* Schott. quod præstantius esse videtur; unde Bondamius, Var. lect. lib. II, p. 306, γρακκάζειν in Polluce de hac avi corrigendum notat pro παππάζειν. *Gratitare* tamen multi retinent; *gingrire* idem Festo dicitur, unde in Glossario pro *Anseres crinciunt* corrigendum *gingriunt*: et hinc *anserum gingritus* ex Arnobio (lib. VI, pag. 205) notat Casaubonus apud Wolfium in Casaubonianis, p. 56. *Trinnire* de ansere in sequente apud Burmannum epigrammate usurpatur: « triunit tunc improbus anser », nisi forte et illic *gingrit* legendum.

20. *Atque columba gemunt.* Gemere turturum et columbarum proprium etiam Antiquis est. Virg. Ecl. I, 59: « Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo ». Videndus ibi Cerda in commentario.

21. *Plausitat arborea.* Apud Matium est: *plausitare, palumbium.* Hoc verbo non tam vocem, quam plausum alarum, ejusque sonitum expressum puto. In Leidensi Glossario *Palumbes rantitrant*: in Vossianis glossis *Palumbes runcitrant.* Spartiano in Geta, c. 5, *Palumbes minurriunt.* In edit. Ald. et Bersm. *arborea clamans de fronde*, cui præfero lectionem Schotti *resonans de fronde.*

22. *Sorte tetrinit anas.* Sic Ald. et Bersm. Gold. ubi tamen *sorte* vitiosum est, pro eoque *forte* vel *ore* legendum. Schottus habet *ore tritinnit*, cui tamen merito illud *tetrinit* præfertur. Matius *tetrinire, anatum.* Papias, *Anates tretriliture*, forte pro *tetrinitare.*

23. *Grus gruit, inque glomis cycni prope flumina drensant.* Sic scribunt Ald. Bersm. Gold. Sed *in glomis* quid sit, difficulter explico, nisi *in globis* legatur, h. e. catervatim. Verior tamen et elegantior lectio Schotti videtur: « Martia grus gruit, ast cycni prope flumina drensant ». *Martia grus* dicitur propter fabulosam gruum pugnam cum Pygmæis. Τὸ *gruit* explicat Isidorus, Orig. XII, 7: « Grues de propria voce nomen sumpserunt: tali enim voce susurrant ». Papias: *olores drensare, grues gruere* dicuntur. Apud Ma-

Accipiter pipat, milvus hiansque lipit.
Cucurrire solet gallus, gallina gracillat,
Pululat at pavo, trissat hirundo vaga.
Clangunt porro aquilæ, vultur pulpare probatur,
Et crocitat corvus, fringulit et graculus.

tium et Bonciarium in Epist. p. 72: *Drensare*, *cycnorum*. Glossarium Leid. *olores drensitant*.

24. *Accipiter pipat, milvus hiansque lipit.* Sic Aldus et Schottus. Utrumque verbum de accipitre et milvo etiam agnoscit Bonciarius in Epist. p. 72, et Matius, apud quos *Pipare, accipitrum*, *Lipire milvorum*. Alii et *piplant accipitres* enuntiant, et milvos *jugire*. In Glossis Leid. *milvi jugiunt*, et apud Papiam in Vocabulario: *Milvos lupire vel jujere*, ubi emendandum *lipire vel jugire*.

25. *Cucurrire solet gallus.* In Glossis est *Galli cantant vel cucurriunt*, et idem verbum apud Papiam, Salemonem et Matium est. *Gallina cacillat*, ut hic Schottus legit, etiam in sequenti epigr. apud Burmannum, v. 10, exstat. Aldus tamen, Bersm. et Gold. ediderunt *gracillat*; unde apud Matium *Gracillare*, *gallinarum*, *quum cantant*. In Glossis Voss. *Gallinæ cracinnunt*, ubi corrigendum *gracillant*. Aliud verbum gallinarum proprium apud Festum est *glocire* et *glocitare*, *quum ovis incubituræ sunt*. Et gallinas proprie *pipare* e Varrone docet Nonius cap. II, p. 156, Merc.

26. *Pululat at pavo* Schottus. *Pupillat pavo* Ald. Bersm. Gold. unde Matius hanc lectionem sequutus *Pupillare pavonum*. At Burmannus hic et apud Nostrum scribendum esse contendit *Paululat at pavo*, ut in Glossis Leidens. et Vossianis est; quod melius sonum vocis pavonum exprimit, et convenit Isidoro, Orig. XII, 7: « Pavo nomen de sono vocis habet ». *Trissat hirundo* Schottus et epigr. seq. apud Burm. v. 5. Glossar. Leid. *Hirundines trissitant vel trissant*. Alii tamen *trinsat* scribunt, ut hic Aldus edidit cum Bersm. et Gold. quos sequitur Matius. Alias hirundo et *friinnire* et *minurrire* dicitur. Vid. Sirmond. ad Sidon Apoll. p. 29.

27. *Dum clangunt aquilæ* Ald. cum seq. sed magis placet, quod Schottus edidit, *Clangunt porro aquilæ*. Sic in Glossis *Aquilæ clangunt*, et apud Papiam et Salemonem. *Clangere* etiam de anseribus et cycnis dici notat Savaro ad Sidon. p. 119. Sic auctor Comœdiæ Queroli, de anseribus: « Cuncti alas quatiunt diris cum clangoribus ». — *Vultur pulpare probatur.* Ita Aldus, pariter et Schottus. Hinc bene in Glossario Salemonis et apud Ugutionem *Vultures pulpare*, et apud Matium *Pulpare vulturum*.

28. *Et crocitat corvus.* Apud Papiam et in Salemonis Glossario *corvos craxare vel crocitare*. Glossar. Leid. *Corvi crocciunt vel croccant*, lege *crocitant*. Sed *crocire* de corvo jam Plautus usurpavit Aulul. IV, 3, 2. — *Gracculus at frigulat.* Sic Ald. Bersm. Gold. quod reprehendit Burm. et Schotti lectionem sequitur *fringulit et graculus*, quam firmat Papias in Vocabulario, *gra-*

Gloctorat immenso de turre ciconia rostro,
Pessimus at passer tristia flendo pipit.
Psittacus humanas depromit voce loquelas,
Atque suo domino χαῖρε sonat, vel ave.
Pica loquax varias concinnat gutture voces,
Scurrili strepitu quidquid et audit, ait.
Et cuculi cuculant, et rauca cicada fritinnit,

culos fringulire vel grincire dicens. Burmannus vero conjicit forte legendum *fringutit*, quod a fringilla avi. Vid. Festus, qui *fringutire* esse a friugilla ait.

29. *Gloctorat immenso* Schottus : sic etiam epigr. sequens apud Burm. v. 7 : « longoque ciconia collo Glotorat ». *Glotorat* tamen Aldus et Gold. quem sequitur Matius : et parum interesse videtur. Papiæ ciconiæ *crotolare*, Salemoni *glottorare* dicuntur. Fortasse *crotalum* huic verbo originem dedit, cui simile est rostrum crepitans ciconiæ. Ovid. Met. VI, 97 : « Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro ».

30. *At passer tristia flendo pipit.* Sic Aldina, Colinæi et al. Bersmannus edidit *flendo rapit*, et in marg. *pipit* e libris duobus. Goldastus *flendo ripit*, quo ipso lectio Aldiua firmatur. At Schottus miram lectionem, et nullius sensus dedit : « Pessimus at passer solstitia recolit ». Burmannus ex hac scriptura verbum *titiare* passeribus proprium elicit, siquidem epigr. sequens apud Burm. v. 4 habet : « Hinc titiare cupit diversa per avia passer », et Glossarium Leid. *Passeres titiant.* Igitur castigat : *Pessimus ut passer, sic titiare solet.* Hæc vero quia coactior emendatio est, equidem malim : *Pessimus at passer sat titiare cupit.* Cæterum verbum *pipit*, quod lectio Aldina exhibet, non minus usitatum est, siquidem tale quid etiam Catullus in morte passeris, Carm. 3 : « Ad solam dominam usque pipilabat » ; ubi Muretus vult *pippiebat.*

32. *Atque suo domina χαῖρε valeque sanat.* Sic Ald. Bersm. Gold. Sed rectius videtur Schottus edidisse χαῖρε *sonat vel ave.* Nam utraque psittaci vox a vetustioribus poetis laudatur. Persius in prologo : « Quis expedivit psittaco suum χαῖρε ? » et Martial. XIV, 73 : « Psittacus a vobis aliorum nomina discam ; Hoc didici per me dicere, Cæsar ave ! »

33. *Pica loquax varias modulatur gutture voces.* Sic Ald. Bersmann. Gold. *varias concinnat gutture voces* scribit Schottus, idque præfert Burm. *Pica loquax* etiam dicitur Martiali, XIV, 76 ; eidem *pica salutatrix*, VII, 87 ; *pica varia* Petronio, cap. 28.

34. *Scurriliter strepitu* male edidit Ald. et Gold. sed melius Bersmannus cum Schotto *Scurrili strepitu.*

35. *Et cuculi cuculant, fritinnit rauca cicada.* Sic Ald. Bersm. Gold. *et rauca cicada fritinnit* Schottus, quod præfero. Illud *cuculare* de cuculo, ut *ululare* de ulula, *gruere* de grue, *bubulare* de bubone. Avium nomina multa a sono vocis compo-

Bombilat ore legens munera mellis apis.
Bubulat horrendum ferali carmine bubo,
Humano generi tristia fata ferens.
Strix nocturna sonans, et vespertilio stridunt,
Noctua lucifuga cucubat in tenebris.
Ast ululant ululæ lugubri voce canentes,
Inque paludiferis butio butit aquis.

sita, ut ait Isidor. Orig. XII, 7.

36. *Bombilat ore legens.* Sic omnes editi. *Bombilare, bombinare, bombire* de apibus proprium verbum est, et in Glossariis varie corrumpitur. Et sonus apum *bombus* apud Varr. de R. R. III, 16. Eadem Græcis usitata, βομβεῖν, βομβεύειν, βομβίζειν, βόμβος. Forsitan hic scribendum est *Bombitat;* nam Festus: « Bombitatio est sonus apum, ab ipso sonitu dictus; sicut mugitus boum, hinnitus equorum ». — Et vide notata ad Pers. I, 99. Ed.

37. *Bubilat horrendum* scribit Schottus, sed rectius est *Bubulat*, quod Ald. Bersm. et Gold. habent. Iidem scribunt *ferali carmine bubo*, quod expressum e Virgilio est, Æn. IV, 462. Schottus contra edidit *ferali murmure.*

39. *Strix nocturna sonans.* Ipsum strigis nomen a stridendo ducit Ovid. Fast. VI, 140: « Est illis strigibus nomen: sed nominis hujus Caussa, quod horrenda stridere nocte solent ». *Strix nocturna* etiam Horatio dicitur, Epod. V, 20, et Lucan. VI, 689: « Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur, Quod strident ululantque feræ ». Vespertilionem Isidorus, l. c. ait « non tam voce resonare, quam stridore ».

40. *Noctua lucifuga cucubat.* Sic omnes editi. Isidorus, XII, 7: « Nycticorax ipsa est noctua, quia noctem amat. Est enim avis lucifuga, et solem videre non patitur ». Pro *lucifuga* forte legendum *lucifugax*, ut metro aptius. *Tutubat* pronuntiandam esse vocem noctuæ contendit Boxhornius ad Plauti Menæchm. IV, 2, 90, et ex illo Plauti loco probat, ubi: « Tu tu istic, inquam; vin' adferri noctuam, Quæ tu tu usque dicat tibi ». Et sat probabilis mihi ea ratio videtur, siquidem in scriptura Longobardica veterum codicum forma literarum *c* et *t* sæpe ambigua est.

41. *Ast ululant ululæ.* Isidorus, lib. XII, c. 7: « Ulula avis ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, id est a planctu et luctu nominata. Quum enim clamat, aut fletum imitatur aut gemitum ». Infra *ululare* etiam lupis tribuitur, quippe et canibus solet.

42. *Butio butit aquis.* Sic Schottus: *bubit aquis* editi: *butit* scribendum existimat Burmannus. Videtur etiam *buteo* magis, quam *butio* scribendum esse. Nam Pomp. Festus: « Buteo genus avis, quæ ex eo se alit, quod accipitri eripuit, vastitatisque est caussa his locis, quæ intraverit, ut bubo; a quo etiam adpellatur buteo ». Et familiam Romanam ex eo cognominatam esse testatur Plinius, Hist. Nat. lib. X, c. 8. Ea vero familia est *Buteonum*, gentis Fabiæ.

Regulus atque merops, et rubro pectore Progne,
Consimili modulo zinzilulare sciunt.
Scribere me voces avium Philomela coegit,
Quæ cantu cunctas exsuperat volucres.
Sed jam quadrupedum fari discrimina vocum,
Nemine cogente, nunc ego sponte sequar.
Tigrides indomitæ raccant, rugiuntque leones,
Panther caurit amans, pardus hiando felit.
Dum lynces hircando fremunt, ursus ferus uncat;
Ast lupus ipse ululat, frendet agrestis aper.

44. *Tintinulare sciunt* edidit Schottnt, sed *zinzilulare* præferendum, qnod habent Ald. et Gold. alii tamen *zinzinulare* seribunt. Verbum *zinzulare* ut merulæ vocem interpretatur Cangius.

45. *Scribere me voces*. Hoc distichon Schotti exemplum toti Elegiæ præmittit; sententia tamen ejus et connexio docet, aptius illud hnic medio, quam principio esse.

48. *Neminc cogente.* Bersmannus in margine corrigit *cogenti*. Sed hoc barbarum est, nisi in scriptore barbaro tolerandum. Nam in participiis etsi auferendi casus in *e* et *i* exeat, quando tamen is ponitur absolute, semper in *e* terminatur, nt monet Vossins, de Vit. Serm. lib. I, p. 83. Exemplnm Schotti hoc distichon ita mntat: « Quadrupednm quoque nunc andi discrimina vocum, Quæ retinent voces, sunt ut eis species ».

49. *Tigrides indomitæ rancant.* Sic ed. Ald. et Gold. *raucant* Bersm. *raccant* Schott. et apud Papiam et Salemonem tigrides *rhachare* dicuntnr; aliis etiam *rechanare*. Vid. Cangins in Gloss. v. *Raccare*.

50. *Panther caurit amans, pardus hiando felit.* Sic omnes impressi. Utrumque verbum etiam apud Papiam: *pardos felire, pantheras caurire*. Et in Glossario Leid. *Pantheræ chauriunt; Pardi peliunt*, nbi corrigendum *feliunt*. Apud Spartian. Geta, c. 5, *leopardi rictant.*

51. *Lynces cando fremunt; ursus nec non ferus uncat.* Sic Schotti exemplum. Incorruptior lectio videtnr Ald. et seq. « Dum lynces orcando fremunt, ursus ferus uncat »; ubi tamen *orcando* mntandnm in *hircando*: nam *hircare* lyncum est, ut in Glossis Leid. et Voss. *Linces hircant*, et in epigr. seq. apud Burmannnm vers. ult. « Sic ululare lnpos certnm est, hircareqne linces ». Ursos *uncare vel sævire* est apud Papiam et Ugutionem; et in Glossar. Leid. *Ursi nrgant vel sæviunt*, ubi legendum *uncant*. *Sævire* ursorum etiam est apud Veteres. Virg. Æn. VII, 18: « præsepibus nrsi Sævire, et formæ magnorum ululare luporum ». Item Spartianns l. c.

52. *Ast lupus ipse ululat* edid. Ald. Bersm. Gold. quod præfero lectioni Schotti *Porro lupus ululat, Frendit agrestis aper* Ald. et Gold. *frendet* Bersm. et Schott. Ovid. Art.

Et barrus barrit: cervi clocitant; equus hinnit.
Ast taurus mugit, et mugilant onagri.
Quirritat verres, tardus rudit, oncat asellus;
Blatterat ast aries, et pia balat ovis.

Am. lib. I, 64: « Scit bene, qua frendens valle moretur aper ».

53. *Et barrus barrit.* Damus hoc distichon e lectione Schotti et Burman. In editione Ald. Colinæi, Bersmanni, Goldasti sic exhibetur: « Et barrus barrit: Cervi glocitant et Onagri. Ast Taurus mugit, et celer hinnit Equus ». Barrus est elephas, ut ex illo Horatii patet, Epod. XXII: « nigris dignissima barris », ubi videndi Scholiastæ. Hinc *barrire* vel *barritus* elephantorum. Vid. Festus iu *barrire*, et Veget. de Re mil. lib. III, c. 24. Apud Matium est *Glocitare*, *corvorum* (lege *cervorum*), *onagrorum*. Id verbum alias gallinarum proprium esse, supra monuimus.

54. *Et mugilant onagri.* Sic in Excerptis Ugutionis: *Onagrorum mugilare.* In Glossario Leid. et Voss. *Onagri vagillant*, et apud Papiam et Salemonem male legitur *onagros magillare.*

55. Schottus edidit cum Burmanno *Quiritat verres setosus; et oncat asellus.* Sed ego malim sequi editiones Aldi, Colinæi, Goldasti: *Quirritat verres, tardus rudit, oncat asellus*, ut duo verba asinis propria jungantur, sicut fit in Glossario Leid. *Asini oncant vel rudiunt.* Scilicet notissimum vulgatissimumque verbum *rudere* non omittere poterat auctor, quum rarius *oncat* vellet adponere. *Oncare* apud nullum Latinorum se legisse fatetur Gesnerus, Hist. Anim. tom. I, p. 14. Ex Apuleio tamen id notatur in Casaubonianis. *Quirritat verres* significationem eam habere videtur, quam *querula sus* in carmine Petronii ad Priapum, huj. op. t. III, p. 302; siquidem antiquis etiam et bonis scriptoribus *quiritare* miserabilem querelam et ejulationem edere notat. Bersmannus vitiose edidit: *Quin citat verres, tardus rudit, oncat asellus*, et in margine ponit *uncat.*

56. *Blacterat hinc aries* Ald. Bersmann. Gold. *Braterat ast aries* edidit Schottus, quod rejicit Burmannus, et *blatterat* vel *blaterat* legendum esse censet. Ita enim Glossarium Leid. *Arietes crissitant vel blatterant.* Glossæ Vossianæ *Arietes crissitant vel craterant*, quod adfine est illi Schotti *braterat.* Cæterum et camelos *blaterare* dici, quum voces edunt, Festus in *blaterare* monet.— Hoc quoque de ranis dicitur; vid. Savaro ad Sidon. Apollin. p. 119. *Blaterat* igitur edidi, quod adfert etiam Gesner. vol. I, Hist. Anim. pag. 805. Ed. — *Et pia balat ovis.* Male in fragmento Gloss. Lambeciani *bobat ovis:* nisi illius auctor voluerit *bebet*, vel *bebat;* ut sonum ovis referat, formatum ex βῆ βῆ, ut notatur in Casaubonianis. Et vide Jungermann. ad Pollucem, lib. V, c. 13, ubi de verbo βληχᾶσθαι ovium sonitum exprimente. Hinc et de hædis in Papiæ et Salemonis Glossariis *Hædi vehare*, corrige *bebare.* In Anth. V, 14: « Adludunt teneri tremulis balatibus agni ». Ed.

Sordida sus pascens ruris per gramina grunnit;
  At miccire capris, hirce petulcæ, soles.
Porro canis latrat; fallax vulpecula gannit;
  Glaucitat et catulus, at lepores vagiunt.
Mus avidus mintrit; velox mustecula drindit;
  Et grillus grillat; desticat inde sorex.
Ecce venenosus serpendo sibilat anguis;
  Garrula limosis rana coaxat aquis.
Has volucrum voces descripsi, quadrupedumque,

57. *Sordida sus pascens* Ald. Bersmann. Gold. quod præfero lectioni Schotti *Sordida sus subigens*. De verbo *grunnire*, suibus vel porcis proprio, vid. Nonius, p. 114, ed. Merc.

58. *At mutire capris* edid. Ald. et Bersm. *At micere* Schottns cum Burmanno. Rectum videtur *At miccire*, quod Goldastus dedit : nam hoc de hircis etiam exstat in Excerptis Ugutionis et apnd Papism in Vocabnlario.

59. *Rite canis latrat* Ald. Bersm. Gold. cui præfero, quod Schottus habet, *Porro canis latrat*. De cauum ejulatu Veteribus usitatum verbum *baubare* vel *baubari*. Lucret. V, 1070 : « Aut qunm deserti banbantur in ædibus ». Et *baubare* latrare explieat Nonius, p. 80 Merc. — *Vulpecula gannit*. Hoc *gannire* etiam legitur in Salemonis glossario, et spud Ugutionem. Veteres *gannire* et *gannitum* canibns tribuunt, teste Nonio, *de impropriis*, p. 450. Merc. et *gannitionem* querulam murmurationem canum dicit Festns.

60. *Glutinat et catulus* edidit Burmannus cum Schotto. Sed hoc verbum apud neminem slium legitur, et Burmsnnus corrigere tentat *gratulat*, quia in Glossario Vossiano *Catuli gratulant*. Magis mihi placet, qnod Ald. Bersm. et Gold. habent, *Glaucitat et catulus*. — *Lepores vagiunt* omnes impressi agnoscunt. Hoc etiam est apnd Papiam. In glossis Vossiauis *lepores vagitant*.

61. *Mus avidus mintrat, velox mustellaque dintrit* ediderunt Ald. Bersmann. Gold. *Mus avidus mintrit; velox mustecula drindit*, Schottus et Burm. *Mus avidus mincrit* glossarium metricum biblioth. nostræ publ. cujus mentionem iu procemio feci : alia glossaria *mintrit* habent. Bondamius in variis lection. p. 241, legeudum notat *murrit* et *drindit* vel *drindat*. In Papiæ vocabulario scribitur *mustellas drinorare* (corrige *drindare*) *mures murire*. In glossis Vossianis *mustellæ drindant*.

62. *Desticat inde sorex*. Sic omnes editi, Glossarium Salemonis et Ugutio. In aliis *dentitare* et *denticare* legi observat Burmanuus.

63. *Nempe venenosus* Schottus et Burm. *Ecce venenosus* Ald. Bersm. Gold. quod melius videtur. *Sibilat angnis* vulgatum et scriptoribus antiqnis tritum est.

64. *Rana coaxat*. Hoc ipsum est

Quas natura illis grata parens tribuit.
Sed cunctas species animantum nemo notavit,
Atque sonos ideo dicere quis poterit?
Cuncta tamen Domino depromunt munera laudum,
Seu semper sileant, sive sonare queant.

apud Suet. Aug. 94, et Spartian. in Geta, cap. 5.

69. *Cuncta suo Domino* Ald. Bersm. Gold. sed melius Schotti exemplum *Cuncta tamen Domino*. Sic magis se referunt hæc ad superius distichon. —*Domino*, Deo, more christiano.

70. *Seu semper sileant nocte dieve canant*. Hæc satis inepte lectio Schotti. Quanto melior illa, quam reliqui habent: *Seu semper sileant, sive sonare queant*. Nam bene hæc consequitur e præcedentibus. Nemo, inquit, omnes animantum species observavit, ut singulorum adeo sonos edicere queat; omnia tamen Dominum et creatorem suum suo modo laudant, sive illa plane muta sint, sive aliquam vocem emittere queant.

JULII SPERATI V. C.

ELEGIA

DE LAUDE PHILOMELÆ

ET ALIORUM EPIGRAMMATA DE ANIMALIBUS.

I. PHILOMELA.

Sum noctis socia, sum cantus dulcis amica:
  Nomen ab ambiguo sic Philomela gero.
Traducit Philomela insomnem carmine noctem,
  Nos dormire facit, se vigilare docet.
Dic, Philomela, velis cur noctem vincere cantu?

1. *Sum noctis socia, et sum cantus.* Ita Pithœns, cnm eoque Burmannus ediderunt. Sed Goldasti exemplum copulam *et* omittit, et, teste Burmanno, etiam codex Leidensis. Idem in utroque fit in sequentibus vs. 9, 11 et 13. Qunmque hoc ipsum Alvari Cordub. imitatio, tribus in versibus a Burmanno recitatis, observarit, adparet, sic scripsisse anctorem pro licentia serioris ævi poetarum, qui breves syllabas medio in versu, ubi cæsura est, sæpe producunt. *Noctis socia* dicitur Philomela, quia noctu diligenter canit, præter morem aliarum avium. Quod ipsum iu Philomela notavit Virgil. Georg. IV, 514: « at illa Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen Integrat ». Plin. lib. X, c. 29, s. 43: « Lusciniis diebus ac noctibus continnis quindecim garrulus sine intermissu cantus, densante se frondium germine ». Conf. etiam Juventini superior Elegia v. 7.

2. *Nomen ab ambiguo sic Philomela gero*, h. e. nomen gero ab ambigua significatione ductum, siquidem Philomela dici possum, quod et ipsa cauere amem, et quod ob cantum dulcissimum amer ab aliis.

3. *Traducit Philomela insomnem carmine noctem.* Virgil. Æn. IX, 166: « noctem custodia ducit Insomnem ludo ». Stat. Theb. II, 74: « Insomnem ludo certatim educere noctem ». Val. Flaccus, I, 277: « Thracins hic noctem dulci testudine vates Extrahit ». Vid. etiam not. ad Avieni Descr. Orb. v. 753.

4. *Nos dormire facit*, cantu suo somnum invitat. Quod ipsum significat Juventini Eleg. v. 1: « Dulcis amica veni, noctis solatia præstans ». Cantu volucrum conciliari somnum, sicut et aquæ labentis

Ovis ne noceat vis inimica meis.
Dic age, num cantu poteris depellere pestem?
Aut possim, aut nequeam, me vigilare juvat.
Vox, Philomela, tua cantus ediscere cogit,
Inde tui laudem rustica lingua canit.
Vox, Philomela, tua citharas in carmine vincit,

murmure, sæpe prædicant poetæ. Ovid. Fast. III, 17: « umbrosæ salices volucresque canoræ Fecerunt somnos, et leve murmur aquæ ». Add. Horat. Epod. II, 25 seq.

6. *Ovis ne noceat. Ne noceat ovis* exemplum Goldasti et cod. Leid. *tuis* forte legendum pro *meis* existimat Burm. Sollicitudinem miram lusciniæ de ovis et pullis suis, et super amissia mœrorem sæpe notant poetæ: ut Virgil. Georg. l. c. « Qualis populea mœrens philomela sub umbra Amissos queritur fetus, quos durus arator Observans nido implumes detraxit ». Quintus Calaber, lib. XII Paralip. v. 481 seqq. uxorem Laocoontis liberos suos a draconibus devoratos deflentem comparat cum Philomela, ob pullos a dracone raptos quiritante. Et serpentis nidos avium deprædantis sæpe mentionem faciunt poetæ; ut Homerus, Iliad. II, 299 seqq. portentum narrans, quod Græcis in Aulide evenit, et Stat. Theb. V, v. 599 seqq.

7. *Dic age, nam cantu. Cantus* cod. Leid. Aliter ordinat hunc versum Goldastus: « Pestem, dic age, num poteris depellere cantu? » Pestis poetis est quælibet res perniciosa, sigillatim animal aliis exitiosum. Sic Virgilio, Georg. IV, 419, coluber dicitur « pestis acerba boum ». Conf. Maximiani Eleg. III, 51.

8. *Ut possim, aut nequeam.* Sic Pith. et Burm. sed præstantius est, quod habent Gold. et cod. Leid. *Aut possim, aut nequeam.*

9. *Vox, Philomela, tuos.* Sic Pith. et Burm. *Vox, Philomela, tua* Gold. et cod. Leid. quod verius esse videtur: *ediscere cogit* Pith. et Burm. *educere* Gold. et cod. Leid. Illud præstat; et sensus est: Vocis tuæ tam admirabilis est suavitas, ut unumquemque audientem adliciat, ut cantus tuos ediscere, repetere, imitari cupiat. Sic Juventinus Elegia superiore v. 45: « Scribere me voces avium Philomela coegit », h. e. invitavit ut scriberem. Distichon hoc, et duo sequentia, quæ idem initium habent, trajecta et aliter disposita sunt in Goldasti, quam in Pithœi exemplo, ita ut, quod in hoc primum est, ibi tertio loco, quod hic secundum, ibi primo, et quod tertium, ibi secundo loco positum adpareat. Mihi placuit ordinem servare Pithœi.

10. *Inde tui laudem rustica lingua canit.* Ut in Bedæ Eclogâ de Cuculo, v. 5: « Conveniunt... Pastores pecudum vernali luce sub umbra Arborea... Omnes qui Cuculo laudes cantare parabant ».

11. *Vox, Philomela, tua citharas.* Sic Gold. et cod. Leid. *tua et citharas* Pith. et Burm. *citharas et carmina* legi vult Burm. quod non sequor. Nam hic tantum citharæ, et

Et superat miris musica flabra modis.
Vox, Philomela, tua curarum semina pellit,
Et recreat blandis anxia corda sonis.
Florea rura colis, herboso cespite gaudes,
Frondibus arboreis pignora multa foves.
Cantibus ecce tuis recrepant arbusta canoris,
Consonat ipsa suis frondea silva comis.
Judice me cycnus, et garrula cedat hirundo:

versu seq. tibiarum sonum cum Philomelæ cantu comparare vult.

12. *Et superat miris musica flabra modis. Labra* conjecerat Heinsius, sed postea delevit: sic enim in carmine Astronomico Sisebuti Anth. Lat. V, n. 46 edito, vs. 2: « Argutosque inter latices, et musica flabra Pierio liquidam perfundis nectare mentem ». BURMANN. — Per *argutos latices et musica flabra* optime intelligi puto organon hydraulicum, quod vento et flatu per aquas concitato sonos edit. Ita et in nostro *musica flabra* esse reor tibiarum vento et spiritu inflatarum sonos, siquidem et *ventus* vocari sonus ille poetis solet. Claudian. Epith. Pall. et Celer. v. 38: « orisque recursu Dissimilem tenui variabat arundine ventum ». Et Flacc. Avianus, Fab. 39, v. 11, ubi lituus inquit: « Sed tantum ventis et cantibus arma coegi ». Plinius l. c. lusciniarum cantum inprimis cum tibiarum flatu confert: « Omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit ».

13. *Tua et curarum semina pellit.* Sic Pith. *et* deest in cod. Leid. et edit. Goldast. *curarum semina*, ut apud Propert. libro III, Eleg. 7 in avaritiam, v. 4: « Semina curarum de capite orta tuo ». Hoc Burmann.

14. *Et recreat bl.* Pith. et Burm. *Recreat et blandis* Gold. et cod. Leid.

15. *Florea rura colis.* Virg. Æn. I, 430: « Qualis apes æstate nova per florea rura Exercet sub sole labor ». Auctor epigrammatis de Hyacintho, Anthol. Burm. lib. I, epigr. 155: « Sed cruor exstincti florea rura replet ». *Florea* inter et *florida* discrimen esse, multis exemplis docet Brouk. ad Tib. I, 1, 16, p. 9.

16. *Pignora multa foves*, i. e. pullos educas: quomodo et vocat Stat. Silv. IV, 5, 59: « non sic Philomela penates Circuit amplectens, animamque in pignora transfert ».

17. *Cantibus ecce tuis recrepant arbusta canoris. Cantibus et cœtus recrepant* male in cod. Leid. Pro *recrepant* malim *resonant*, ut sit imitatio Virgilii, Ecl. II, 13: « Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis ». BURM.

19. *Judice me cycnus cedat.* Alii quidem cycni cantum præferunt lusciniæ. Salei. Bassus carm. ad Pis. v. 255: « Sic nec olorinos audet Pandionis ales Parva referre sonos, nec, si velit improba, possit ». — *Et garrula cedat hirundo. Garrula* quidem *hirundo* passim poetis dicitur. Vid. ad Pentadii Epigr. de adventu veris: « Nota tigilla linit

Cedat et illustri psittacus ore tibi.
Nulla tuos umquam cantus imitabitur ales:
Murmure namque tuo dulcia mella fluunt.
Dic ergo tremulos lingua vibrante susurros,
Et suavi liquidum gutture pande melos.
Porrige dulcisonas adtentis auribus odas,
Nolo tacere velis, nolo tacere velis!

jam garrula luce chelidon». Hoc tamen loco Heinsius reponebat *aedon*, quod probo, ut aptius cum psittaco conjungatur. BURMANN. — Et Heinsium et Burmannum miror tam parum fuisse memores rei propositæ, ut hic aedonem reponendam putarent, adeoque comparandam cum Philomela, quæ eadem est.

20. *Illustri psittacus ore*, i. e. cujus loquendi facultas adeo celebrata est. Statius in Psittaco Atedii Mel. Silv. II, 4, 16: «Hnc doctæ stipentur aves, queis nobile fandi Jus natura dedit».

22. *Murmure namque tuo.* Plinius l. c. de lusciniæ sono: «interdum et secum ipse murmurat». Statius l. c. v. 3, de psittaco: Quis tua tam subito præclusit murmura fato». *Dulcia mella* pro suavi sermone, cantu, eloquentia poni vulgatum est. Vid. Burm. Anthol. tom. I, p. 426.

23. *Tremulos lingua vibrante susurros. Susurras* cod. Leid. BURM. — Ovid. Met. XV, 684: «Ter repetita dedit vibrata sibila lingua».

24. *Et suavi liquidum gutture pande melos. Suave* et *paugere* cod. Leid. unde *pange melos* posset legi; ut in Sisebuti carmine astrologico, in initio: «Tu forte in luco lentus vaga carmina pangis»; ut legebat Heinsius, pro *gignis*. BURM. — Sed *pande* hic minime submovendum. *Pandere* esse poetarum observat Gronovius, Observ. IV, 12, quando nempe incipiunt canere, ut Nemes. Cyneg. v. 2: «securi prælia ruris Pandimus»; ita et de avis carmine commode dicitur *pande melos*, i. e. incipe. Similis huic versus Ovidii, Am. I, 13, 8: «Et liquidum tenui gutture cantat avis».

25. *Porrige dulcisonas adtentis auribus odas. Adtentis viribus escas* cod. Leid. quæ esurientis librarii scriptura est: alterum sic expressit Alvarus Cordub. ut ex hoc loco supplendum est, *Porrige dulcisonum gaudenti pectore plectrum*. Odas vero ista ætate dixerunt pro quocumque cantu suavi. Sic in Elegia de Vocibus anim. supra edita: «Et merulus modulans tam pulchris concinit odis». BURM.

26. *Nolo tacere velis, volo tacere cupis*, ut Pithœus edidit, ineptus et vitiosus versus est, prima in *volo* perperam producta: bis repetit codex Leidensis: *Nolo tacere velis, nolo tacere velis*. Mendose certe hic legi *Volo tacere cupis* notat Rivinus ad Pervig. Ven. p. 135, qui adfert *Nolo tacere velis, malo tacere ehelyn*. An ex Alvaro Cordubensi emendandum? *Nolo timere velis, nolo tacere velis*. BURM. — Goldastus hunc versum dedit, uti eum codex Leidensis habet, nec caussa est, cur eum mutare et emendare velimus.

II. DE ELEPHANTE.

Monstrorum princeps Elephas promuscidis armis
Horret mole nigra, dente micat niveo.
Sed vario fugienda malo quum bellua gliscat,
Est tamen ex certis mors pretiosa feræ.
Nam quæ conspicimus montani roboris ossa
Humanis veniunt usibus apta satis.
Consulibus sceptrum, mensis decus, arma tablistis,
Discolor et tabulæ calculus inde datur.
Hæc est humanæ semper mutatio sortis:
Fit moriens ludus, qui fuit ante pavor.

1. *Monstrorum princeps. Monstra* enim passim Elephanti. Hinc monstra eburnea dicuntur Dracontio in Hexaem. vs. 190 : « India cum gemmis et eburnea monstra minatur ». Ed. — *Promuscidis :* sic Burm. sed legendum *proboscidis*. Hæc *manus nasuta* Latinis vocatur. Ed.

2. *Horret mole nigra.* Sic apud Sil. Ital. IX, v. 239, de Elephantibus : « Turritæ moles, ac propugnacula dorso Bellua nigranti gestans ». *Atram molem* ibidem habes v. 570. Ed.

3. *Quum bellua gliscat,* h. e. quum ira tumeat. Virg. Æn. XII, vs. 9 : « Haud secus accenso gliscit violentia Turno ». Ed.

4. *Ex certis* vitiose Burm. legendum *expertis*, ut apud Horat. Epist. I, 18, 86 : « Dulcis inexpertis cultura potentis amici ». Ed.

6. *Usibus apta satis*, forte *lusibus* ob versum ultimum conjiciunt quidam ; sed bene præfert Burmannus *usibus*, quia proximo disticho enumerantur illa, quæ ex ebore dentis elephantini in usus humanos cedunt. Ed.

9. *Mutatio sortis.* Pithœus male *mortis*, et versu seq. *arte*, quod bene correxit Douza. Ed.

III. DE AQUILA*.

Mensa coloratis Aquilæ sinuatur in alis,
Quam floris distinguit honos; similisque figura
Texitur; implumem mentitur gemma volatum.

* *De Aquila.* Hoc ex codice Claudiani Ambrosiano descripsit Heinsius. Ed.

1. *Sinuatur.* Claver. male *juvatur*.

3. *Gemma.* Huic enim epigr. apud Almeloveenium titulus erat : « De Aquila, quæ in mensa de sardonyche lapide. Ed.

IV. DE GALLO GALLINACEO *.

CANDIDA Phœbeo præfulgent ora rubore,
Crista riget radiis; ignea barba micat.
Alæ, colla, comæ, pectus, femur, ungula, cauda,
Pæstanis lucent floridiora rosis.
Flammea sic rutilum distinguit pinna colorem,
Ut vibrare putes ignea membra faces.

* *De Gallo gallinaceo.* E Pithœanis, lib. IV, p. 153, sub nomine Alcimi adfertur in notis var. apud Ovid. Fast. I, 455. In schedis Salmas. erat inscriptio de Capone fassanatio, legendum forte Phasiano: huic enim optime convenit hoc epigramma. De hac ave Martial. XIII, ep. 69. Plura de Phasiano in notis doctorum ad illud Petronii, c. 93: « Ales Phasiacis petita Colchis »; et vide notas huj. op. tom. II, p. 124. Seneca, Consol. ad Helviam, c. 9: « Ultra Phasin capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat. » *Pictam Phasidis avem* vocat auctor Phœnicis, vs. 144. ED.

1. *Phœbeo præfulgent ora rubore.* *Phœniceo* emendaverat Heinsius; sed postea delevit. *Præfulgunt* Vossianus cod. ED.

2. *Crista rubet.* In cod. Vossiano *crusta.* ED.

3. *Ungula.* Heins. conj. *inguina.* ED.

4. *Pæstanis floridiora rosis.* Pæsti rosaria sæpe apud poetas in pulchritudinis descriptione memorantur. Claudian. Epith. Honor. 247, et adposite Mart. IV, 42: « Pæstanis rubeant æmula labra rosis ». ED.

V. DE ANSERE *.

ÆDIBUS in nostris volitans argenteus anser
Dulcisono strepitu colla canora levat.
Ales grata bono duplici, nam fercula mensæ
Complet, et adservat nocte silente domum.
Solus, Tarpeia canibus in rupe quietis,
Eripuit Gallis Romula tecta vigil.

* *De Ansere.* Debetur hoc epigr. schedis Salmasianis. Respicit ad Gallos Capitolium obsidentes, anserum strepitu proditos, ut notum. Ovid. Fast. I, 453: « Nec defensa juvant Capitolia, quominus anser Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas ». Propertius, Eleg. III, 2, 12: « Anseris et tutum voce fuisse Jovem ». Plin. Hist. Nat. X, cap. 22: « Est et anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus ». Isid. Orig. lib. XII, cap. 7: « Nullum animal ita odorem hominis sentit, ut anser; unde et clangore ejus Gallorum adscensus in Capitolium deprehensus est ». ED.

AD CÆLII SYMPOSII

ÆNIGMATA

PROOEMIUM.

Ludicri carminis et lusuum poeticorum specimen haud ignobile propono, Syllogen centum ænigmatum vetusti auctoris, quo genere antiqui omnis memoriæ poetæ, rhetores, philosophi, ad honestam animi oblectationem, in conviviis maxime, ingenium, sales jocosque exercuerunt. Ænigmata et *griphos* vocarunt Græci, *scirpos* Latini (1), pari utrimque ratione nominis, quod captiosi, tortuosi implicitique sermones essent, tamquam nassæ et retia (2). Naturam et diversa genera ænigmatum satis luculente exposuerunt Vossius (3) et Glassius (4). Frequentatum eorum per omnes gentes et ætates usum, moremque promendæ exercendæque per quæstiones obscuras et implicatas sen-

(1) Gellius, Noct. Att. lib. XII, cap. 6.

(2) Sufficiat hic adponere adnotationem Jos. Scaligeri in Conjectan. in Varr. lib. IV, p. 60 : « Quæstiones obscuræ scirpi olim Latinis, Græcis vero γρῖφοι dicebantur, quod ut γρῖφοι erant πλέγματα ἁλιευτικὰ ex scirpo, ita etiam ex scirpis nassæ piscatoriæ, quæ dicebantur scirpiculæ, ut Plauto, Lucillio et Propertio. Itaque improbe fecerunt, qui apud Gellium ex scirpis scrupos fecerunt ». Similiter Cælius Calcagn. Epistolic. Quæst. pag. 44 : « Sicut Græcis γρῖφος et rete et implicitam tortuosamque orationem notat, unde γριφώδης λόγου · sic nostris scirpi non juncos tantum et vitilia, sed inextricabiles et obtortos sermones designant ».

(3) Instit. Orat. lib. IV, cap. 11, § 5.

(4) Philol. sacr. lib. V, Tract. I, cap. 22, p. 1977.

tentias sapientiæ, in congressibus sapientum et conviviis, ad doctrinæ ostentationem pariter, ac hilaritatem excitandam compositas, tum etiam collecta ex antiquis quibusque scriptoribus permulta ænigmatum exempla, enarrarunt inter Veteres maxime Athenæus (1), Jul. Pollux (2), A. Gellius (3), Macrobius (4); inter recentiores Lil. Greg. Gyraldus (5), Cælius Calcagninus (6), Cælius Rhodiginus (7), Jac. Pontanus (8), et alii plures, quos recenset Nic. Reusnerus in Ænigmatographia; tum Casaubonus in Animadvers. ad Athenæum (9), et Conr. Rittershusius, qui ænigmata veterum poetarum Græcorum Latinorumque collegit, ad calcem Phædri, Lugd. Bat. 1598, in-8. Quamquam vero, ut ex his scriptoribus patet, ænigmatum variorum exempla sparsa per historicorum, philosophorum, rhetorum, poetarum monumenta magno numero sunt, pauci tamen e Græcis reperti sunt, qui griphis et ænigmatibus excogitandis, et singulari libro prodendis se darent. Cleobulum, Lyndiorum tyrannum, et philosophum, cantica et griphos ad tria millia versuum scripsisse, pariterque Eumeten, Cleobuli filiam, quam vulgo de patris nomine Cleobulinam adpellant, ænigmata hexametris condidisse, memorant Diogenes Laert. (10) Athenæus (11), Plutarchus (12). Alios nonnullos, ut Diotimum Olympium, Clearchum, Theodectem, Dromeam Coum,

(1) Deipnos. lib. X, cap. 15 seqq.
(2) Lib. VI, cap. 19, n. 107.
(3) Noct. Att. lib. XVIII, cap. 2.
(4) Saturn. lib. VII, cap. 1 seqq.
(5) Libello singul. *in quo ænigmata pleraque antiquorum explicantur*, Opp. tom. II, p. 610.
(6) Epistol. Quæst. lib. III, Opp. p. 44.
(7) Antiq. Lect. lib. XXVIII, cap. 4.
(8) In Dialogo, qui inscribitur *Ænigmata*.
(9) Ad lib. X, cap. 15, 16, 17, 18 seqq.
(10) Lib. I in Cleobulo.
(11) Lib. X, cap. 15.
(12) In Conviv. sept. Sap. vol. VI, Opp. edit. Reisk. p. 562.

Aristonymum Psilocitharistam, et Cleonem, Mimaulum cognomine, laudat Athenæus (1). E Latinis veteribus solus hodie eorum, qui ænigmata carminibus inclusa et collecta prodiderint, superest noster Symposius, et qui præterea similis genii libelli, a nonnullis antiquis scripti, reperiuntur, ii neque mera continuisse ænigmata videntur, neque etiam ad nostram ætatem servati sunt. A Cicerone, quem multis facete et jocose dictis celebratum esse constat, *jocularem* quemdam *libellum* scriptum esse, testatur Quintilianus (2), ex eoque hos duos versus adducit :

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet.

E quibus quidem, carmina eum exhibuisse, sed non omnino ænigmata, intelligimus. Apuleius librum *Ludicrorum* et *Griphorum* reliquit, ut ipse memorat (3), sed qui ætatem non tulerunt. *Griphorum* unicum carmen exstat Ausonii, qui conjungi Symposio meretur. Auctorem ænigmatum, quæ proponimus, plerique *Symposium* nominant, quorum consuetudinem nos quidem deserere noluimus, etsi *Symphosium* potius scribendum esse, facile e codicibus Msptis, ac primis editionibus Perionii et Pithœi probari possit, qui eam scripturam in titulo libelli pariter, ac versu primo Prologi servant. Inde Sigebertus Gemblac. et Anonymus Mellicensis de Script. Eccles. eum corruptius vocarunt *Symphrosium*, alii *Symphorium*, *Symphorosium*, *Symphonium*. Sub *Cœlii Firmiani Symphosii* nomine duo carmina, unum *de Livore*, alterum *de Fortuna* P. Pithœus edidit inter Epigr. vet. pag. 28 et 29 edit. Paris. nosque ipsi repetivimus et illustravimus inter Lyrica, num. IV et V,

(1) Lib. X, cap. 20. Recentiores Græcos, ænigmatum auctores, vide apud Fabric. Bibl. Gr. vol. X, p. 539.

(2) Lib. VIII, cap. 6, n. 73.

(3) Apolog. pag. 276, et Florid. p. 346, edit. Elmenh.

tom. II Poet. min. quæ eumdem ac Ænigmata auctorem habere probabile est, quum et *Cælium Symphosium* libello Ænigmatum inscripserit Pithœus, haud dubie ex veteri codice. Integrum itaque nomen auctoris fortasse fuerit *Cælius Firmianus Symphosius*, nos tamen, id quod certius est sequuti, *Cælium* tantum *Symposium* inscribere voluimus auctoritate codicis Pithœani. Ipsum Symposii nomen iis sæculis, quibus adsignanda nostri auctoris ætas est, non inusitatum fuisse, jampridem ego Fabricio auctore duobus exemplis, sæculo quarto obviis, probavi in Præfat. ad Lactantii Phœnicem (t. II P. M. p. 344. Ed.) Alio loco, (nempe t. II, p. 382 seq. Ed.) morem sequiorum temporum nomina propria ex adpellativis diversi generis formandi, ut in hoc Symposii factum est, aliorum nominum propriorum exemplis demonstravi. Ex Africa, et fortasse Siccæ, Numidiæ civitate, ortum fuisse Symposium, concedam iis, qui ita volent statuere, quum in versibus ejus, præsertim in Prologo, Africismos observare sibi visi sint eruditi, et nonnulli scriptores, patria Siccenses, ut Cælius Firmianus Lactantius, et Cælius Aurelianus, medicus, idem prænomen gerant. Satis antiquum auctorem, nec ad inferiorem barbaramque ætatem rejiciendum, multa declarant, quum ipsa ejus oratio, quæ satis casta et elegans, et a nævis corruptioris Latinitatis pura est, sæpe etiam optimorum poetarum lectionem resipit (1), tum testimonia antiquiorum scriptorum, qui eum laudant, ut Aldhelmi, qui sæculo VII vixit, Sigeberti Gemblacensis, et aliorum, tum denique ænigmata nonnulla, antiquitatis plane spirantia genium, et res ritusque notantia, qui antiquioribus tantum sæculis inter Romanos usitati fuerunt. Tale est ænigma I de graphio, LVII de clavo caligari, LXVII de Speculari, LXIX de clepsydra, LXXXVI de strigili, LXXXVII de balneo.

(1) Sic Horatium respicit Prologi vs. 16, Ænigm. XIII, 1; Virgilium ibidem, et pluribus locis.

Quamquam vero ætas ejus scriptoris certo definiri nequit, id tamen facile mihi persuadeo, sæculo quarto non inferiorem esse. Quæ subinde singulares dictiones et formulæ, et qui lapsus prosodici occurrunt, non sunt ea ejusmodi, ut auctorem ad deterioris ævi stribliginem dejicere debeant, quin potius idiotismis, quibus nec alii scriptores carent, accenseri, sæpe etiam meliorum scriptorum exemplo et auctoritate defendi queant. Occasionem concinnandi hujus ænigmatum libelli auctor nactus est in Saturnalium conviviorum celebratione, quibus quum sæpe interesset, videretque in magna concertatione ebriorum hominum, ponentium invicem et solventium quæstiones, multos multa meditari diu, multa frivola expedire et loqui, ipse ut paratior ad ejusmodi certamen veniret, et ne solus tacuisse videretur, hosce versus ænigmaticos extemporali opera se fecisse scribit in Prologo. Hujus in introitu ipse suum auctoris nomen profitetur, atque hæc quasi deliramenta sua Sexti alicujus, quem adpellat, exemplo excusat:

Hæc quoque Symposius de carmine lusit inepto:
Sic tu, Sexte, doces, sic te deliro magistro.

Verba *Hæc quoque* haud dubie significant plura alia Symposium lusisse carmina, atque hunc Ænigmatum libellum post alia editum subjunctumque. Nam eadem formula antiquiores poetæ libros suos continuare solent, ut Virgilius libri III Georg. initio: « Te quoque, magna Pales, et te, memorande, canemus, Pastor ab Amphryso »; et Columella lib. X: « Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo ». Sextum, quem auctor adloquitur, pronum est suspicari, fuisse aliquem scriptorem superioris ævi, qui Saturnaliorum hilaritati scriptum aliquod joculare, griphos, aut alia problemata ludicra, adcommodaverit, et cujus tamquam magistri sui exemplo vel præcepto suum ipse ænigmatum scribendorum propositum commendare velit. Sed in tam obscura Sexti ejus memoria, quam auctor ipse nulla nota

vel charactere adposito declarat, et in tanta multitudine eorum, qui antiquis temporibus Sexti nomen gesserunt, quosque magno numero recenset J. A. Fabricius (1), difficillimum sane est, quis Sextus hic nominetur, indagare. Possis cogitare de Sexto Chæronensi, philosopho Stoico, Plutarchi sororis filio, M. Aurelii Imp. præceptore, de quo Suidas, vel de Sexto Empirico, philosopho sceptico, cujus libri exstant. Sed quis credat, a talibus philosophis dicta vel scripta esse, quibus imitandis *delirare* se dicat Noster? Sextum aliquem, rhetorem parum eloquentem, notare videtur epigramma Anthologiæ, lib. II, c. 46, pag. 247. Sed hujus præterea nec ætatem, nec ullum dictum vel factum novimus. Prætereo alios, quos pariter ineptos huic caussæ reperio. Ne tamen frustra per omnes oberrasse, et infecta plane caussa rediisse videar, proferam aliquam de Sexto illo opinationem, leviusculam illam quidem, sed qua meliorem vix mihi videar posse reperire. Lego, apud Romanos olim *dicta Sextiana* in proverbio fuisse pro ineptis, insulsis et parum urbanis. Duo hoc Ciceronis loci docent. Unus est in Epistola XXXII libri VI ad Divers. ad Volumnium Eutrapelum scripta, qua conqueritur, omnia, quæ passim ferantur, joca et dicta, etiam insulsa et suo nomine indigna, sibi vulgo adscribi, Volumnio non contradicente : « Ais enim, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sestiana (2), in me conferri ». Alter exstat Epist. ad Att. VII, 17 : « In quo accusavi mecum ipse Pompeium, qui quum scriptor luculentus esset, tantas res, atque eas, quæ in omnium manus venturæ essent, Sestio nostro scribendas dederit : itaque nihil umquam legi scriptum σηστιωδέστερον ». Dicit, more Sextiano, h. e. inepte scriptum esse, quod Sextius, mandante Pompeio, scripserat, intelligit-

(1) Bibl. Gr. lib. VI, cap. 7, vol. XII, p. 615.

(2) *Sextiana* scribunt alia exemplaria, et *Sextii Sestiique* nomina sæpe promiscue ponuntur.

que, ut Manutius et Popma monent, P. Sextium, amicissimum Ciceronis, qui olim tribunatum pro salute ejus gesserat, ab eoque oratione defensus, et nunc cum Pompeio erat. Quoniam vero hunc Sextium cum amicitiæ significatione *nostrum* vocat, non videtur proverbiale illud σηστιῶδες ab hujus nomine primum duxisse, sed nominis ejus mentione adductum, proverbium, alias ab se usurpatum, ad hunc Sextium adplicasse, ut diceret, pœnitere se Sextii sui, quod male adeo res a Pompeio mandatas exposuisset, ut convenire in eum proverbium de dictis Sextianis videatur: revera enim tam insulse, tam minus apte pro ratione caussæ et gravitate rei scripsisset, ut adfirmare possit, nihil umquam se legisse magis Sextianum. Et ad priorem Ciceronis locum inprimis anquisivit Petr. Victorius, quisnam ille Sextius fuerit, cujus dicta ita insulsa essent, ut proverbio locum fecerint. Et suspicatur, illum intelligi, quem politissimus poeta Catullus et ipse deridet, et secum pessime actum tradit, quod ejus conviva esse voluerit; quum in illius scripta inciderit, quæ tantum morbum repente ei conciliarent, ut vix in agellum suum confugiens, atque ibi se diligenter curans, illum pellere potuerit:

Nam Sextianus dum volo esse conviva (1).

Adsensit huic Victorii opinioni nuper in nova Catulli editione Vir Clar. Fr. Gu. Doeringius. At mihi Sextius ille vix satis aptus proverbio de dictis Sextianis declarando videtur, qui Catullo dicitur orationem in Antium petitorem pestiferam et venenatam legisse, in qua fortasse tam frigidis et ad caussam probandam ineptis argumentis usus erat, ut Catullus inde frigida gravedine et frequente tussi quassaretur. Oratio igitur hujus Sextii erat perpetua, e sententiis et argumentis ineptis conferta: *dicta Sextiana* Ciceronis singularia et brevia dicteria, joca et facetias passim jactatas

(1) Catullus, Carm. XLIV, 10.

respiciunt. Quorum mihi magis idoneus auctor videtur, quem Martialis nominat Sextium Caballum (1), ubi Cæcilium quemdam perstringit, quod sibi urbanus et facetus videatur, et famosissimos quosque scurras salibus et dicacitate vincere posse credat:

Quare desine jam tibi videri,
Quod soli tibi, Cæcili, videris:
Qui Galbam salibus tuis, et ipsum
Possis vincere Sextium Caballum.

Videtur hic Sextius ob facetum ingenium, et frequentem jocorum et dicteriorum usum singularem celebritatem nactus, in quibus quum multa inessent a scurrili dicacitate non aliena, Cicero hujus Sextii dicteria noluit suis salibus æquiparari. Etenim Sextius Caballus, nisi ipse Sextius Catullianus est, haud immerito videtur ad ætatem Ciceronis posse referri (2), quia Martialis eum adjungit Galbæ, et præponere adeo videtur, non solum celebritatis, puto, caussa, sed etiam ætatis. Galbæ autem ætas ad tempora Cæsaris Augusti adscendit, cui jucundus parasitus, et scurra nobilis fuisse dicitur. Sic enim Martialis, lib. X, ep. 101:

Elysio redeat si forte remissus ab agro
Ille suo felix Cæsare Galba vetus.

(1) Lib. I, epigr. 42, 17.

(2) Alioqui ætas Sextii Caballi, licet antiqua videatur, definiri nequit, quia nulla ejus apud alios scriptores mentio. Ad ætatem Augusteam referre eum videtur Raderus, Comm. ad Martial. l. c. sola conjectura ductus, quod eumdem putat, ac Sestium Gallum, hominem fœdum et libidinosum ab Augusto ignominia notatum, et Tiberio familiarem, cujus meminit Suet. Tiber. cap. 24. Hunc enim opinatur a dicacioribus Sestium Caballum dictum, quod moribus ad equum potius, quam hominem accederet. Alii, ut idem Raderus monet, Caballum Vespasiano, Tito et Domitiano Cæsaribus dicunt in deliciis fuisse, fidem tamen non faciunt, auctoritate omni destituti.

Præterea Juvenalis, Sat. V, 4:

> Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
> Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset (1).

Eumdem parasitico more solitum esse in gratiam Mæcenatis somnum simulare, narrat Plutarchus ἐν Ἐρωτικῷ (2), qui eum γελωτοποιὸν adpellat. Cæterum hujus Galbæ dicta scripto consignata et in libellum collecta exstiterint necesse est, quia diu eorum memoria viguit, et ab ipso Quintiliano usurpata est, qui libri VI cap. 3, ubi de ridiculis et facete dictis longam disputationem instituit, Galbæ dicteria pleraque judicat lasciva et hilaria esse, et deinceps plura eorum exempla profert. Idem Sextii Caballi salibus obtigisse, dubitari non potest. Etenim Martialis eos non æque ac Galbæ ita laudare, ut fecit, et Cæcilio scurræ opponere potuisset, nisi publice ad notitiam omnium prostitissent, ut possent cum quibusque aliis comparari. Nec quisquam mirabitur multos ejusmodi scommatum et facetiarum libellos Romæ per manus et ora hominum volitasse, qui Romanorum ad scurriles jocos et omnes ridiculi genus summam proclivitatem noverit, quæ tanta fuit, ut non solum fora, judicia, theatra, cœnæ et convivia iis personarent, sed et domi procaces vernæ, et pueri dicaces, deliciæ dicti, alerentur, et in hoc ipsum instituerentur, ut ridiculis, argutiis et jocularibus conviciis jaciendis delicias suis dominis facerent. Magistros esse adhibitos ad eorum nequitiam acuendam, aperte conqueritur Seneca (3): « Pueros in hoc mercantur procaces, et eorum impudentiam acuunt, et sub magistro

(1) Nonnulli apud Martialem et Juvenalem *Gabba* legunt pro *Galba*, auctore, ut puto, scholiaste Juvenalis, qui narrat, Apicium Gabbam dictum, et sub Tiberio scurram nobilem fuisse. Sed fortasse et lectio scholii ad Juvenalem vitiosa est. In Plutarchi nonnullis codicibus nomen ejus Κάλβας scribitur, in aliis Κάββας.

(2) Vol. IX Opp. edit. Reisk. p. 45.

(3) De Const. Sap. cap. 11.

habent, qui probra meditate effundant ». Nec alius, credo, est *de Gadibus improbus magister,* cujus mentionem Martialis eodem carmine, quo Sextii Caballi, facit. Nam e Gadibus maxime hi et pueri procaces, et eorum magistri petebantur. Mos præterea Romæ Saturnalibus erat, ut carmina jocularia et libelli nequitiarum pleni invicem muneri mitterentur, ad juvandam ejus temporis hilaritatem et licentiam. Testes sunt Catullus, Carm. XIV, vs. 12 seqq. et Martialis, lib. V, epigr. 18, vs. 4, et epigr. 30, vs. 5. Qui igitur jocis et dicteriis adeo delectabantur Romani, ut quibuscumque libellis jocularibus, missitandis et communicandis inter se, alere hanc libidinem solerent, ii videntur etiam nobiliorum scurrarum libellos et collecta scommata servasse in primis et edidicisse, ut his tamquam auctoribus nequitiarum uterentur, quando vel ipsi se nugis ejusmodi oblectare in cœna, vel, magistri vernis et delicatis dati, acuere hos ad scurrilia meditanda vellent. Inter hos, aut ego magnopere fallor, aut præcipuus celebratissimusque fuit Sextius Caballus, vel quisquis alius Sextius fuit, a quo *dicta Sextiana* nomen acceperunt, quem adeo non mirandum est, ad seriora usque tempora plurimorum lectione celebratum esse, et tamquam magistrum et promumcondum habitum esse jocularium dictorum. Et ipsa illa *dicta Sextiana* collecta ex eorum genere fuisse videntur, quæ ex usu Saturnalium dierum profecta, et festæ eorum licentiæ adcommodata essent, et maxime a juvenibus privatim et sibi ludentibus exercerentur. Hoc enim sensu peculiariter vocata esse *Dicta*, Quintilianus loco haud obscuro prodit, quem subjicimus (1). Quæ quum ita sint, hoc mihi

(1) Quintil. VI, 3, 16: « Quin illæ ipsæ (res), quæ *Dicta* sunt ac vocantur, quas certis diebus festæ licentiæ dicere solebamus, si paullum adhibita ratione fingerentur, aut aliquid in his serium quoque esset admixtum, plurimum poterant utilitatis adferre: quæ nunc juvenum, vel sibi ludentium exercitatio est ».

facile concessum iri spero, si credam, Sextium illum, *Dictorum* auctorem, esse, quem adpellet Symposius, quemque se dicat quasi magistrum in ænigmatibus, Saturnalium caussa scribendis, sequi:

Sic tu, Sexte, doces, sic te deliro magistro.

Ne quem offendat, Sextum a Symposio dici, qui antiquis Sextius est, animadvertendum omnino est, sequioribus Romanorum temporibus Sextiorum nomen fere exolevisse, Sextorum frequentatum esse. Sextii nominati in historia Romana vix ad sæculum secundum reperiuntur; hoc autem et sequentibus inter scriptores solum occurrunt Sextus Chæronensis, Sextus Empiricus, Sextus Cæcilius jurisconsultus, Sextus Aur. Victor, Sextus Rufus, Sextus Placitus, alii, gentiles et Christiani, quos Fabricius l. c. nominat. Unde proclive est opinari, etiam qui olim Sextii dicti sint, postea in Sextos mutatos esse, et duo hæc nomina frequenter esse confusa. Vel unus hujus rei documento sit Sextus, Pythagoreus Philosophus, sententiarum auctor, quas Rufinus latine vertit, quem licet Sextum nominent Origenes et Eusebius, viri docti tamen eumdem censuerunt, ac Quintum Sextium, Pythagoreum, temporibus Augusti viventem, cujus Seneca aliquoties cum admiratione meminit, videlicet Thom. *Gale* in Præfat. ad Opusc. mythol. phys. et eth. § XI, et ante eum auctor observationis de Xysto, Thesauro scholast. Bas. Fabri insertæ, quem Jac. Thomasium esse censet Fabricius, Bibl. Lat. t. III, p. 501.

Quicumque autem Sextus ille, quem Symposius adpellat, fuerit, id certe hactenus dictis demonstratum dedimus, scriptorem aliquem ab eo significari, ludicris dictis, aut Saturnalibus jocis conscriptis celebrem, quem ipse tamquam talium ineptiarum magistrum in componendis ænigmatibus sequutus sit; neque igitur magistrum aliquem scholæ intelligi, qui ænigmata componenda Saturnalium caussa tironibus suis, tamquam exercitationis genus, proposuerit.

Huc enim redit sententia Christoph. Aug. Heumanni, qui auctorem ænigmatum, quem Firmianum Lactantium esse putat, versu eo significare ait, se, quum ista ænigmata scriberet, scholasticum adolescentulum fuisse; libellum ipsum *Symposium* inscribendum existimat; et quia Lactantius Arnobii, qui Siccæ in Africa docuit, teste Hieronymo, discipulus fuit, hinc versus priores proœmii ita refingit:

> Hoc quoque Symposium lusi de carmine inepto:
> Sic me Sicca docet; Sicca deliro magistra.

Sed hæc et alia, quæ de auctore Ænigmatum observari possunt, diligentius declarabimus, excutiendis mox argumentis, quibus Heumannus ad sententiam suam stabiliendam usus est, de qua nunc dispicere animus est.

Nempe Christoph. Aug. Heumannus an. 1722 Hannoveræ edidit: « L. Cæcilii Firmiani Lactantii *Symposium*, sive centum epigrammata tristicha ænigmatica, quæ vero suo auctori post longissimi temporis decursum reddidit, a librariorum mendis ope Codd. MSS repurgavit, suisque, Jos. Castalionis, Casp. Barthii, Frid. Besselii aliorumque notis illustravit C. A. H. » In Præfatione copiosa, ipsi Symposio præmissa, argumenta sententiæ suæ, et quos vel fautores, vel adversarios nacta sit, recenset, de ipso Lactantio multa adfert, scriptores antiquiores, qui Symposii mentionem fecerunt, tum editores ejus omnes et singulos ordine commemorat, denique codices Msptos, et quibus aliis subsidiis ad recensendum Symposium usus est, describit. Tota ejus disputatio testimonio Hieronymi, tamquam fundamento, nititur, qui in Catalogo Script. Eccles. cap. 80, de Firmiano Lactantio agens, recensionem librorum ejus his orditur verbis: « Habemus ejus Symposium, quod adolescentulus scripsit, et ὁδοιπορικὸν de Africa usque Nicomediam, hexametris scriptum versibus, etc. » Hoc igitur loco quum Hieronymus testetur, a Lactantio adolescentulo scriptum fuisse Symposium, hinc manifestum esse putat Heumannus, ve-

rum libri Ænigmatum auctorem esse Lactantium, verum ejus titulum esse *Symposium*, ex eoque in barbari ævi tenebris temere effictum esse poetam Symposium. Argumenta, quibus id firmat, quæque ipse summatim § X præfationis repetit, hæc fere sunt: Auctor Symposii secundo Prologi versu luculenter testatur, adolescentulum se scholasticum esse, quod ipsum de Lactantio adfirmat Hieronymus. Præter Lactantium nemo inter veteris ecclesiæ scriptores memoratur, qui librum Symposii titulo inscriptum vulgarit. Ipse Prologus libri prodit, auctorem ejus scriptum voluisse Symposium, agitatasque in convivio Saturnalitio quæstiunculas hoc libello complecti adgressum esse. In codice MS quo Pithœus usus est, auctor libri nostri nominatur *Cœlius Firmianus Symposius*, quorum nomina priora sunt ipsius Lactantii. Denique vero nec stylus Symposii Lactantio indignus est, nec vel ætas, vel aliud quidquam obstat, quominus id Lactantium habere possit auctorem. Multum Heumannus, vir omnino acutissimi ingenii et amplissimæ eruditionis, his argumentis confisus, hoc invento literario gavisus est, viditque initio multos doctrina et auctoritate præstantes viros suam in sententiam certatim ire, quorum ipse nonnullos in Præf. ad Symp. § XI, nempe Theod. Hasæum, Jo. Theoph. Krausium et Jo. Matth. Gesnerum, plures alios in Pœciles tom. III, lib. II, pag. 215 seq. nominat (1). Atque hic consensus eo valuit, ut deinceps Ænigmata illa, titulo Symposii Lactantiani, inter ipsa Opera Lactantii quum ab historiæ literariæ et ecclesiasticæ enarratoribus quibusdam, tum ab editoribus Operum Lactantii, qui post Heumannum exstiterunt, referrentur. Neque vero Heumannus opinionis suæ adversarios nec minores, nec pauciores expertus est. In quibus primo loco nominandus merito est Jo. Alb. Fabricius, qui postquam dissensum

(1) Accesserunt his deinceps Schœtgenius in Fabric. Bibl. Med. Lat. tom. VI, p. 608, et Christoph. Saxius in Onomast. lit. tom. I, p. 388.

suum obiter significaverat Bibl. Gr. lib. V, cap. 45, p. 539, strenue deinceps contra eum pugnavit Bibl. Lat. tom. III, p. 273, et t. III, p. 253 edit. Ern. aliisque in locis (1). Cujus quidem argumentis nondum se victum professus est Heumannus in Pœcil. t. I, p. 255 seqq. et t. III, lib. II, p. 215. Alter ei contradixit Theoph. Sigefr. Bayerus (2), cui ipse nonnihil respondit in Præf. ad Lact. Symp. § XIII. Ipse Gesnerus, qui Heumanno adstipulatus videbatur, adeo ut prooemii initium ad sublevandam Heumanni sententiam ita emendaret: *Hoc quoque Symposium de carmine lusus inepto*; post tamen in Thesauro linguæ Latinæ ænigmata illa numquam sub Lactantii, semper sub Symposii nomine citavit (3). Et Jo. Laur. Moshemio sententiam Heumanni minus placuisse, e Thesauro Epistol. Lacroz. tom. I, pag. 293-295, et tom. II, pag. 165 intelligi potest. Denique Jo. Fridericus Heynatz, elegantis doctrinæ vir, qui centum ænigmata Symposii ante aliquot annos denuo castigata et illustrata edidit, sententiæ Heumanni, argumentis ejus diluendis, derogavit, totamque controversiæ illius historiam exposuit in Præfat. ad Ænigm. pag. 5 seqq. Et fatendum

(1) In Syllabo scriptorum, qui veritatem religionis Christianæ adseruerunt, cap. 5, § 8, p. 239, tum in Bibl. Lat. medii ævii, tom. IV, pag. 693.

(2) In Epistola Novis literariis Lipsiensibus anni 1720, p. 155, inserta, alteraque in Norimbergensi Sylloge nova Epistolarum, lib. I, pag. 25 seqq.

(3) Ad voces *caligaris*, *de*, *graphium*, *strigilis*, *symposium* ablegat J. Fr. *Heynatz* V. C. de quo mox dicam. Nescio etiam an serio egerit Bünemannus, in nota initio Symposii Lactantii subjecta, ubi se e primi versus voce *lusit* ipsum lusuum horum Symposiacorum auctorem procudere ait, hoc modo: « Hoc quoque Symposium de carmine Lucii inepto », id est, Hæc quoque centum epigrammata sunt pars de Lucii (Cæcilii Lactantii) carmine inepto Symposii. Certe hæc si scriptura satis probata esset, atque bene inde Lucius Apuleius auctor ænigmatum conficeretur, quem *griphos* et *convivales quæstiones* scripsisse, tum ipse Apuleius testatur Florid. p. 346 edit. Elmenh. tum Macrobius, Saturn. VII, c. 3 extr.

quidem est, inesse Heumanni conjecturæ nativam aliquam facilitatem, et speciosam elegantiam (1), quæ legentes facile pelliciat; et in procemio Ænigmatum, unaque in loco Hieronymi, de Lactantii Symposio loquentis, res nonnullas et verba tam commode convenire, ut sententiam, quam Heumannus inde collegit, ultro conflare videantur. Sed hæc omnia, quamvis facillime comparata, solo tamen ingenio et conjectura, quæ facile illudunt, nituntur, nulla fulciuntur auctoritate; et si rerum vel verborum, quæ hic comparantur, acrior consideratio interpretatioque accedat, efficietur haud dubie, ut minus ea convenire inter se adpareat, et sententia, quæ inde ducitur, inanis solidoque destituta fundamento videatur. Talem omnino sententiam Heumanni quum judicemus esse, age jam argumenta ejus, quæ supra enarravimus, lustremus accurate et perpendamus. Ac primo quidem, quando Heumannus opinatur, titulum Symposii temere in Symposium auctorem mutatum esse, probabilior hæc ratio esset, si contra factum dici posset, et Symposius auctor mutatus in titulum libelli esset. Nam Symposii titulus, multis veterum scriptorum libris impositus, notior omnino vulgatiorque erat, quam Symposius nomen proprium, seriore demum ætate ex isto deductum, et librarii citius faciliusque vulgatiora sibique notiora verba ponunt pro rarioribus, quam contra. Neque hi tantum Symposium auctorem ponunt, sed etiam distinctum ab eo titulum libelli. Inscribunt : *Incipiunt Ænigmata Symphosii poetæ*, idque faciunt ex indicio et auctoritate ipsius auctoris, qui primo statim versu nomen suum profitetur: *Hæc quoque Symphosius de carmine lusit inepto.* Heumannus contra, ut sententiam suam stabiliat, pervertere scripturam.

(1) Quam Ernestus etiam agnovit in adnot. ad Fabricii Bibl. Lat. tom. III, pag. 254 : « Est certe, inquit, elegans et speciosa conjectura, inprimis ex eo, quod in conviviis genus oblectationis fuit in ænigmatibus proponendis et solvendis ».

omnium codicum cogitur, et pro Symposio auctore, qui inscriptus est, Lactantium ex Hieronymo reponere, qui non scriptus est, contra Symposium, titulum libri ex Hieronymo petitum, in versum primum, ejecto auctoris nomine perversum et corruptum, inferre. Codicibus accedunt scriptores vetusti, qui hujus libelli meminerunt, qui cum inscriptione codicum plane conveniunt, et libellum Ænigmata, auctorem Symposium adpellant, confusionis et temeritatis suspicionem adeo nullam moventes, ut potius auctorem Symposium adjecto elogio signent et describant. Aldhelmus *Symposium poetam* laudat *metricæ artis peritia præditum;* Anonymus Mellicensis, *virum eruditissimum sermone ac scientia.* Tot et tam clara testimonia, tamque validas auctoritates levi aliqua conjectura velle evertere, nimia hæc audacia pariter ac confidentia est (1). Porro, ipsum aucto-

(1) Prætereundum non est, Heumannum quemdam conjecturæ suæ quasi antesignanum sibi reperire visum esse in Casp. Barthio, qui Adv. LVIII, 1, ait, dubitasse se aliquando, « sitne Symposii nomine auctor Ænigmatum censendus, an persona quæpiam convivalis Symposium totum libri titulum fecerit ». E quo loco ille persuadet sibi, Præf. § 39, Barthium suspicatum esse, « Symposium non esse poetæ nomen, sed totius libri titulum ». At ita mentem Barthii non recte cepisse videtur, quæ ab Heumanni opinione non parum discrepat. Neque enim ille Symposii poetæ nomen tollendum existimavit, sed accipiendum forte pro adpellativo personæ convivalis, ἀντὶ τοῦ συμποτικοῦ, idque vel adsumptum ab auctore pro tempore et præsenti materia carminis, vel pro titulo impositum ipsi libro esse, ut indicaret, loqui hic συμπότην, in convivio Saturnali quæstiones symposiacas proponentem, quemadmodum a nonnullis existimatum est, Disticha moralia Dionysii Catonis nomen præpositum habere, quod in iis Cato quidam, magister morum, loqui videatur. Quod si vero nomen Symposius adpellativi notionem habere non potest, hinc etiam patet suspicionem Barthii plane inanem fuisse. Et ipse Barthius mox se ab hac suspicione revocat, et ex versu præfationis : « Hæc quoque Symposius lusit », intelligi ait, auctorem nomen suum a titulo libri distinguere. His enim verbis significatur, quum olim idem Symposius et alia scripserit diversi argumenti, hinc illud nomen etiam nunc non argumenti caussa adsumptum, sed verum nomen auctoris esse.

rem ænigmatum in Prologo significare, scribere se voluisse symposium, aut hunc libellum Ænigmatum titulo Symposii dignum esse, id prorsus nego. Quotcumque hodie exstant libelli Veterum, Symposii titulo insigniti, Symposium Platonis, Xenophontis, Luciani, Plutarchi, Athenæi, atque e Latinis Macrobii, dissertationes hominum doctorum continent inter convivandum habitas de quæstionibus, non illis quidem interioris et subtilioris scientiæ, sed literariis tamen, ex omni doctrina liberali ad honestam animi oblectationem lectis, inducuntque sermones et colloquia hominum eruditorum. At convivium Saturnale, cujus caussa scriptus hic libellus Ænigmatum dicitur, quodnam symposium est? qui homines in eo versantur? quæ res et sermones habentur? Audiamus ipsum auctorem in Prologo:

Post epulas lætas, post pocula dulcia mensæ,
Deliras inter vetulas puerosque loquaces,
Dum streperet late madidæ facundia linguæ.

Audimus hic strepitum ebriorum hominum, delirarum vetularum et puerorum loquacium nugas; nulla hic disputatio sapientum, symposii nomine digna: nec quæ in isto cœtu agitantur posita sunt in quæstionibus eruditis, aut in liberali aliqua doctrinæ oblectatione, sed dicuntur *frivola*, dicuntur *sermones inepti*. Ipse libellus nihil aliud, nisi Syllogen ænigmatum exhibet, h. e. descriptiones rerum vulgarium, omnium in oculis et usu versantium, verborum quadam obscuritate involutas, et ad proponendum solvendumque aptas; sed nullus ibidem proponendi modus, nullæ quæstiones, nullum colloquium. At vero simplicem ejusmodi collectionem propositionum et versuum quis umquam Symposium nominavit? aut qui alius liber, Symposium inscriptus, ostendi potest, qui mera ænigmata contineat? Lactantii igitur Symposium, ab Hieronymo laudatum, minime confundendum cum nostro ænigmatum libello est, fuitque illud haud dubie tum aliis veterum scriptorum

Symposiis, tum cæteris ipsius Lactantii scriptis, quibus eruditas quæstiones pertractavit, simile (1). Hanc nisi similitudinem ejus et communem cum aliis materiam novisset Hieronymus, certe differentiam argumenti notasset, atque tum ænigmatibus constare illud, tum versibus scriptum esse, ut de Hodœporico fecit, monuisset. Haud majoris momenti argumentum est, quod Heumannus e versu secundo Prologi ducit, ubi auctor, *ita Sextum* quemdam *docere*, atque *eo se magistro delirare*, profitetur. E quibus verbis luculenter adparere ait (2), auctorem Symposii adolescentulum fuisse, quod idem de Lactantio adfirmet Hieronymus, atque eum jussu magistri sui ethnici, tempore sacrorum Saturni, exemplo cæterorum condiscipulorum, hæc ænigmata elaborasse. Sed quam falsa sit hæc verborum interpretatio, et quam temere inde adolescentia auctoris colligatur, videre facile est. An, qui se quid alio magistro vel docente facere vel scribere ait, propterea adolescens et tirunculus scholasticus est? An, qui magister dicitur, non alius habendus est, quam præceptor scholæ? Atqui magistro uti dicuntur etiam maturæ ætatis viri, qui aliorum sententiam, doctrinam, mores, exemplum sequuntur, scripta, facta, dicta imitantur (3). Hic nisi sensus admittatur, valde importunum et improbum fuerit, ab adolescentulo præceptorem suum incusari, quod se *delirare* docuerit, in ejusque ignominiam specimen puerilis et scholasticæ nequitiæ in publicum proferri. At non in schola, sed in ipso convivio ad formulam ænigmatum, ab aliis propositorum, se hos versus composuisse, clare ipse testatur auctor versu 15 Prologi, uti ex interpretatione adparet,

(1) Vid. quæ dudum hanc in rem de Lactantii Symposio observavimus in Præfat. ad Lactantii Phœnicem, huj. op. t. II, p. 344. Ed.

(2) Præf. ad Symp. Lact. § II et XIV, p. 25.

(3) Sic, ubi Ovidius, Trist. II, 347: « Sed neque me nuptæ didicerunt furta magistro », loquitur de scriptis vel carminibus suis amatoriis.

quam ei versui subjeci. Et matura ætate tum fuisse auctorem, e primo versu prooemii haud inepte colligas. Nam ubi ait : *Hæc quoque Symposius lusit*, plura se carmina ante Ænigmata scripsisse innuit, atque hæc adeo seriori auctoris ætati adsignanda docet. Altero igitur versu : *Sic tu, Sexte, doces*, nihil omnino aliud auctor, quam se exemplo et auctoritate alicujus scriptoris vel poetæ tuetur, qui ante se similia luserit, ut superius demonstravimus. Et quando ex toto Prooemii initio nihil exsculpi de adolescentia scriptoris Ænigmatum potest, hinc etiam Lactantius adolescens minime in eum convenit. Denique Heumannus firmamentum sententiæ suæ petit ex eo, quod dicit, in codice MS quo Pithœus usus est, auctorem libri nostri nominari *Cælium Firmianum Sÿmposium*, quæ sunt nomina ipsius Lactantii. Sed in hoc errat primum, Pithœo non inspecto (1), qui libello ænigmatum tantummodo nomen *Cælii Symphosii* inscribit, duobus autem epigrammatibus alio loco propositis *de Livore* et *de Fortuna* plenius *Cælii Firminiani Symphosii*. Unde quidem haud temere colligas unum carminum istorum et horum Ænigmatum auctorem esse Symposium, quamvis equidem ex auctoritate Pithœi in fronte libelli nolim ei, nisi unum prænomen Cælii, dare. Quod si solum relinquitur Symposio, perit etiam suspicio ex Firmiani nomine pro Lactantio ducenda. Quippe Cælii nomen non Lactantio solum, sed et aliis Afris scriptoribus adhæsisse, supra jam adnotavimus. Sed e conjunctis etiam Cælii Firmiani nominibus Symposio additis nescio quid Heumannus pro auctore Ænigmatum Lactantio colligere queat, nisi hoc velit, quia *Cælii Firmiani* nomina sunt Lactantii, hinc in fronte libelli ænigmatum falso nomen Symposii, pro La-

(1) Pariter Clariss. *Heynatz*, Præfat. pag. 4, scribit, epigrammata quædam apud Pithœum Cælii Firmiani Symphorosii nomine, ænigmata Cælii Firmiani Symposii inscripta esse. Utrumque non conveniens est scripturæ, quæ in Pithœi collectione exstat.

ctantio, præscriptum esse. Ego vero si quid judicare possum, contrarium potius inde colligendum Heumanno erat, nempe quia *Cælii* et *Firmiani* prænomina duobus carminibus æque ac libello ænigmatum, Symposio adjuncta, præfiguntur, hinc adparere, diversum a Lactantio poetæ nomen esse Symposium, atque hoc si in carminibus *de Livore* et *de Fortuna* auctorem eorum indicat, perinde etiam in fronte ænigmatum indicare, neque adeo permutandum cum Lactantio, aut mutandum in adpellativum symposii esse. Proinde me paullo rectius et propius vero judicasse arbitror, qui in Præfat. ad Lactantii Phœnicem, tom. II P. M. pag. 345, adfirmavi, duos in antiquitate exstitisse Firmianos, unum qui Lactantii cognomentum gereret, alterum, qui Symposii. Et quæ in Pithœi collectione Symposio tribuuntur carmina, egregie confirmant, quod Symposius Ænigmatum auctor in primo proœmii prodit, plura atque alia se ante scripsisse:

> Hæc quoque Symposius de carmine lusit inepto.

Nempe significat, antea se scripsisse severa et gravia carmina; quæ nunc scribat, de carmine inepto esse, hoc est, esse genus quoddam carminis inepti et ludicri. Severa autem sunt ea de Livore et de Fortuna; inepta et ludicra, Ænigmata. Eadem professio auctoris, qui se serius dicit animum ad ludicra carmina et Saturnales jocos convertere, adducit me, ut Symposium ethnicæ nationis hominem fuisse putem. Observarunt dudum ethnicismi in Ænigmatibus vestigia et Heumanno objecerunt adversarii ejus (1), ut Lactantium auctorem negarent, qui Christianus fuit. Et varie ad hoc respondit ille, modo concedendo, scripta fortasse ænigmata esse a Lactantio juvene, adhuc ethnico, priusquam sacris Christianorum initiaretur; modo negando, quidquam ejus ænigmatibus inesse, quod ethnicismum sapiat.

(1) Vid. præf. ejus ad Symp. Lact. § XIV.

Verum ut illud frustra sumi contendimus, Ænigmata scripta esse ab juvene, ita et hoc putamus, auctorem in ethnicismo natum post in Christianorum castra transiisse. Totum enim hoc, quod de religione Lactantii primæva quæritur, incertum et dubium esse, varieque ab eruditis disceptari, ipse Heumannus agnoscit. Mavult tamen ille concedere, Lactantium etiam puerum fuisse Christianum, ast ænigmata contendit esse innoxios lusus ingenii, qui nihil neque ethnicismo consentaneum, neque Christianæ religioni adversarium contineant. Ego vero fortasse hoc largiar, quod ad ipsa ænigmata adtinet; quamquam insunt in his etiam nonnulla quæ ad ethnicismum trahi possint, ut, quando Ænigm. XLVII tus Superis placandis adhiberi dicitur; alia e fabulis poetarum ethnicorum sumpta, quæ Christianorum veterum nemo facile usurpaverit in carmine, qualia sunt, quæ Æn. XXVI dicuntur de Grue, XXXII de Tauro, XXXIX de Centauro, LXIII de Tridente, LXXXII de Malo. At in Prologo certe dicuntur, quæ a modestia et pietate Christiana sunt aliena. Quis Christianorum, veterum illorum dico, qui paganos ritus omnes detestabantur, quis, inquam, eorum ita se amantem et studiosum Saturnalium jocorum et nequitiarum, etiamsi has forte clam et privatim sectetur, palam et scripto publico profiteatur, ut hic auctor? quis se publice in Saturnalibus ebriosorum hominum, delirarum vetularum, pucrorum procacium cœtus frequentare, delectari nugis et ineptiis dicat? Quis se *inter insanos non sanum* libenter esse glorietur? Etenim ea ætate, qua vixisse auctor noster videtur, non ita exspirasse modestia et verecundia Christianorum, præceptis Evangelii jussa, videtur, ut palam adeo et scripto publico μωρολογίαν et εὐτραπελίαν exercerent, quam Divus Apostolus diserte vetuerat (1). Et canones ecclesiastici quum omnino festa et spectacula paganorum vitare Christianos jubent, tum in-

(1) Ad Ephes. V, 4.

primis conviviorum cœnarumque, in quibus præcipue Saturnales, luxuriam et petulantiam coercent. Canon concilii Laodiceni (1) prohibet Christianos ad nuptias venientes ballare et saltare, ἀλλὰ σεμνῶς δειπνεῖν ἢ ἀριστᾷν, ὡς πρέπει Χριστιανοῖς, et paullo post (2) vetantur laici pariter ac sacerdotes ἐκ συμβολῆς συμπόσια ἐπιτελεῖν. Cœnas Saturnales inprimis describere et detestari arbitror Cyprianum, nisi quis alius vetus scriptor est, in Epistola de Spectaculis: « Sed ut ad cœnæ jam sales inverecundos transitum faciam, pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accusare quæ fiunt: agentium strophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles jocos, parasitos sordidos, etc. » Qui igitur spectaculis paganorum ludicris, et scurrilibus cœnarum jocis, contra ecclesiæ præcepta interest, neque veretur id publico profiteri scripto, is Christianus esse non videtur, et Lactantium, verecundissimum castissimumque scriptorem, isto Prologo loqui, temerarium judicare est. Neque quempiam eruditorum exstitisse puto, qui Symposium poetam inter Christianos scriptores referret; qui vero Christianis accensere metuerunt, quum occasio esset, eosdem puto tacite eum pro gentili homine habuisse, et quidem ob ipsam, quam dixi, Prologi proterviam. Unde certe est, quod in antiquissimo codice MS Anglicano, ut Heumannus ipse testatur (3), ad nomen Symphosii, versu primo præfationis, vetusta manus adscripsit: *vir gentilis.* Caspar Barthius, suarum sententiarum semper incertus et inconstans, quum in Indice primo Adversariis suis adnexo, itemque in tertio, Symposium inter scriptores ethnicos retulisset, in quarto Indice Christianis adnumerat, sed hoc ipso significat, magis eum pro gentili, quam pro Christiana Symposii reli-

(1) Qui in codice canonum Ecclesiæ universæ, a G. T. Meiero edito est CLVII, p. 117.

(2) Canone CLIX.

(3) In præf. ad Symp. Lact. § XXXIX, p. 56.

gione sensisse. Restat ultimum argumentum, quo Heumannus studet Ænigmata Lactantio vindicare, idque ductum a stylo eorum, quem dicit Lactantio non indignum esse, neque ab ætate ejus alienum. Id vero argumentum valde lubricum est, cui multum immorari vix necesse sit. Largiri enim possumus, habere eum nonnulla cum Lactantio communia, esse planum, et satis liquide, pure eleganterque fluere; sed habere etiam suos nævos et idiotismos, et duriores sententias, quas Lactantius vix admiserit, e pluribus ænigmatibus, et maxime e Procemio, manifestum est. Quæ Heumannus agnoscens ut excusaret, necesse habuit, nunc ad juvenilem, quam ipse statuit, auctoris ætatem, nunc ad Africismum quemdam, qui subolere ei ex hac opella visus est, confugere. Ego solum hoc de stylo Ænigmatum pronuntiare audeo, digna esse ævo, Lactantio non multum inferiore.

Sed de auctore Cælio Symposio satis; nunc de ipsis Ænigmatibus dicendum. Centum Ænigmata reliquisse Symposium, plurimæ vulgatioresque editiones, tum etiam Mspta vetusta probant, in quibus tamen sunt, quæ et numero et ordine ænigmatum differunt, nonnulla etiam centenis istis inserta, vel adsuta, vel detracta habent. Lil. Greg. Gyraldus in fine libri, quo ænigmata Veterum exponit (tom. II Opp. p. 635), recitatum sibi ab amico ænigma de somno refert, quod in Symposio, num. 97, exstat, atque addit : « Recitavit et alia, quæ frigidiuscula quum essent, sunt visa indigna relatu ». Hæc verba perperam accepisse videtur Ger. Jo. Vossius (1), qui postquam dixit, Gyraldum haud magni fecisse Symposii ænigmata, subjungit : « Sed præter ea, quæ excusa habemus, supersunt alia satis frigida, aliqua etiam obscena, quæ idcirco omissa. Et propter ista sic Lilius scripserit, qui conspexerat opus integrum ». Nempe quæ Lilio recitata alia sunt ænigmata, et quæ ei

(1) De Poet. Lat. cap. 8, p. 86.

frigidiuscula visa sunt, non alia fuerunt, quam ea ipsa, quæ excusa habemus: quæ si ille dicit indigna relatu visa, non omissa in editis dicit, sed a se non inter vetera, quæ exposuerat, ænigmata esse relata. Falso igitur Vossius adfirmare videtur, præter ea, quæ excusa habemus, alia satis frigida, atque etiam obscena superesse; aut ille codicem Msptum ænigmatum vidit, quem adhuc nemo alius, multis iisque alienis ænigmatibus auctum. Nam quæ subinde Symposii ænigmatibus adsuta quibusdam in exemplaribus manu exaratis reperta sunt, pauca ea sunt, neque omnino obscena. In codice Lugdunensis bibliothecæ Symposium, velut adpendicis instar, sequuntur quinque alia ænigmata, tetrasticha, et stylo barbarioris sæculi composita, quæ Heumannus, Præf. in Symp. Lact. § LV, recitat. Idem in adnot. ad Æn. XXV refert, inter hoc et sequens XXVI in antiquissimo codice MS Anglicano insertum legi aliud ænigma *de Pilace*, h. e. fele muribus capiendis intenta, turpi quidem, ut ille ait, monacho caliginosi ævi, quam eleganti auctore nostro dignius. In Perionii et Reusneri editione Symphosii ænigmati X *de Phœnice* subjicitur aliud ejusdem argumenti, sed variatis verbis, ab alio haud dubie auctore imitationis caussa adpositum. Unius Symposii hæc duo ænigmata esse falso statuit Barthius (1). Sic etiam Franciscus Basnelus editis Basileæ 1563 Symposii ænigmatibus XLVII, ad calcem subjecit nescio cujus scriptoris ænigma longum de pluma scriptoria, ut refert Fabricius Bibl. Lat. Ernest. tom. III, p. 256. Neque mirum omnino videri potest, si studio ænigmata scribendi post Symposium valde crescente, siquidem medio ævo plures in eo elaborarunt, si, inquam, librarii, Symposii, principis in hoc genere, Ænigmata describentes, subinde alia similia ex aliis scriptoribus adposuerunt. Quin etiam ordinem et seriem ænigmatum librarii in Symposio describendo valde mutarunt et perverterunt,

(1) In animadv. ad Claudian. Hanov. 1612, in-8, p. 469.

quod primariæ editiones a Perionio, Castalione et Pithœo proditæ demonstrant, quæ quidem numerum ænigmatum centenarium utcumque servant, sed ordinem in iis ponendis diversum sequuntur, ita quidem, ut nulla earum cum altera plane conveniat, duæ tamen Pithœi et Castalionis minus inter se differant, quam hæ duæ ab illa Perionii. Castalio in prima editione Symposii tantum XCIX Ænigmata exhibuerat, quorum ultimum *Anchoræ* titulo inscriptum, ut adnotat Irenæus Bibliophilus in Schelhornii Amœn. liter. tom. II, pag. 486. Sed postea in editione secunda Symposii, 1607, centesimum addidit *de Lagena*, quod Pithœo acceptum refert in adnot. ad æn. 99, cujus editionem Parisiensem in præfatione sua ait *uno libellum ænigmate auctiorem reddidisse*. Id vero in Pithœi editione, sicut et Perionii, numero LXXX legitur. Singulare, et quod cæteri non habent, ænigma centesimo et ultimo numero posuit Perionius *de Cuculo*, cujus loco Pithœus illud arithmeticum *De VIII tollas VII, et remanent VI*, posuit, Castalio numero XCIV inseruit, omisso plane illo *de Cuculo*. Diversitas ea mihi tanti visa est, ut dubitarem, cujus potissimum auctoris recensionem sequerer. Sed ænigmatibus illis accuratius consideratis statui demum, illud *de Cuculo* omnino genuinum, et Symposii genio dignum (1), et minime omittendum esse, præsertim quum et Camerarius habeat, et græce verterit, apud Reusn. pag. 257; hoc *de numero VIII* abhorrere a reliquorum ænigmatum simplicitate et forma, quæ ubique rerum adspectabilium et vulgo cognitarum formam, naturam, usum verbis ambiguis describunt, numquam problema aliquod aut quæstionem acumine ingenii solvendam proponunt : neque mediocre ejus vitium habendum est, quod varias ac pæne infinitas admittit interpretationes, ac titulo, quo ænigma solvatur, destituitur. Videtur itaque recentius ab homine aliquo spinoso, qui ænigmata Sym-

(1) Nisi forte Bedæ adscribendum sit, in cujus carmine inscripto *Cuculus*, avis illa tristichis quoque laudatur. Ed.

posii describebat, compositum (1), qui, ne inventum suum ingeniosum periret, nec peregre additum videretur, illud, ejecto centesimo ænigmate *de Cuculo*, in ejus locum reponebat. Ita semel recepto eo in numerum, forte alius librarius, ordinem et seriem mutans ænigmatum, retro illud præcedentibus immiscuit, et numero XCIV collocavit, quo numero legitur in Castalioneis ejusque sequacibus editionibus. Ego vero rationibus his permotus restituendum Ænigma *de Cuculo*, et loco centesimo, cui debetur, ponendum putavi; illud contra arithmeticum et obscurum, quum duæ editiones habeant, abjicere quidem nolui, sed loco eo, quem injuste invasisse videtur, detrusum extra numerum et ordinem, quasi adpendicem, subjunxi (2).

(1) Genus hoc ænigmatum, cujus est illud de numero VIII, seriore ætate videtur usurpatum celebratumque esse, quando quæstiones ex arithmetica aut alia arte intricatas, exercitationis caussa, proponebant, subinde etiam versibus complectebantur. Huc referendæ sunt Bedæ Propositiones et solutiones arithmeticæ, quæ tomo I Operum, pag. 133 et seqq. leguntur, et Problemata arithmetica, quæ P. Burmann. Anthol. Lat. lib. V, epigr. 119-125 proposuit, qui præterea ad epigr. 119 adnotavit, Gasp. Bachetum Meziriacum XLV Epigrammata Græca arithmetica, quæ ex codice Palatino Salmasius cum eo communicaverat, versione metrica et explicationibus additis illustrasse in commentar. ad Diophant. Alexandr. a p. 349 ad 370. Ænigma illud de numero VIII auctorem Symposio recentiorem habere, vel inde adparere arbitror, quod in aliis ænigmatum collectionibus, aliorum sub nomine auctorum, propositum reperitur. Reusnerus in Ænigmatographia, pag. 253, illud inter Joach. Camerarii ænigmata refert, quamquam alii ænigmati, quod plane diversum est, adnexum. Idem pag. 347 sub nomine Hieronymi Arconati repetit. Et Lorichius libro III Ænigm. f. 84, huic ænigmati hoc lemma superscripsit: *Aliud Arithmetico conjiciendum.* Hi igitur sive ipsi auctores ejus ænigmatis sunt, sive illud ab alio mutuati, certe Symposium non esse auctorem fatentur, quem notissimum scriptorem vix licebat dissimulare.

(2) Contraria omnia de ænigmate *de Cuculo* sentit Heumannus, Præfat. § 29, id dicens reliquorum Symposii ænigmatum elegantiam et concinnitatem haud æquare, viderique insertum fuisse a semidocto quopiam monacho, qui illud alterum de numero VIII non capiens, atque adeo

De lemmatibus sive titulis, qui singulis ænigmatibus sunt præpositi, dubium videri potest, sintne ab ipso auctore profecti, an a librariis vel descriptoribus divinando inserti. Heumannus, qui præfationis suæ paragrapho LVII hac de re disputat, non a Lactantio, quem ille pro auctore habet, sed postera demum ætate ab aliis non semper feliciter divinantibus, putat esse inscriptos. Ego ipsi auctori tribuendos existimo. Necessarium erat, ut auctor rei significatæ vocabulum adponeret, si elegantiam ænigmatum suorum intelligi, ac jucunditatem ex eorum lectione percipi volebat; quæ peribat omnis, si omnia incertis permittens conjecturis lectori molestissimum infinita quærendi tædium imponebat. Nonnulla enim ænigmata sunt ejusmodi, ut sine titulo plane intelligi nequeant, ea præsertim, quæ non ipsam rei alicujus naturam, sed casum aliquem et actionem fortuitam spectant. Quis e. g. ænigma, numero XCII, in vulgatis editionibus positum explicare nosset, nisi titulus adpositus doceret, de lusco et allio sermonem esse. Ænigma LVI, *Caliga* vulgo inscriptum, perperam intelligebat Heumannus, et *Linum* inscribi debere existimabat. Sed verior ejus interpretatio ex ipso titulo *Caliga* ducenda est,

pro ἀλύτῳ habens, aliud ænigma, cujus sensus ipsi non incognitus esset, ejus in locum suffecerit. Ad hanc rationem infringendam sufficiat animadvertere, ænigma *de Cuculo* in editione omnium prima, ex incorrupto codice profecta, exstitisse, atque adeo satis se auctoritate tueri. De elegantia ejus, an satis digna Symposio sit, ad cujusvis æqui lectoris sensum et judicium provoco. Contra pro ænigmate *de numero VIII* intruso codex Pithœi illo quidem *de Cuculo* caruit, Castalionis codex illo etiam *de Lagena*. Jam quum tria sint ænigmata, quorum uno una e tribus primariis editionibus careat, eorum comparatione instituta decerni potest, quodnam eorum præ reliquis omitti et Symposio indignum judicari debeat. Et qui Symposii ænigmatum genium et formam bene norint, haud dubitabunt id de ænigmate arithmetico pronuntiare. Habuerunt id quidem duorum editorum codices, at librariorum, qui quum ordinem ænigmatum immutarunt pro lubitu, tum omiserunt alia, alia intruserunt, nulla potest esse auctoritas.

quam suo loco dabimus. Ænigma, de quo paullo ante egimus, arithmeticum non tam incertis conjecturis vexatum, nec tam varie interpretatum fuisset, si in antiquis codicibus titulum adpositum habuisset. Nam qui in Pithœi et aliis vulgatis est: *De VIII tollas VII, et remanent VI*, non solvit ænigma, sed repetit. A librariis lemmata adposita esse nequeunt, quia pro incerta et dubia interpretatione lectorum vel librariorum, tum multo major et gravior, quam quidem reperitur, differentia titulorum reperiri deberet. Vix tria quatuorve ænigmata reperio, quæ in tribus primariis editionibus abs me collatis diversas inscriptiones habeant. Atque hæc diversitas nominum non tanta est, ut ipsam rem mutet et diversam interpretationem inducat, sed nititur quadam ipsarum rerum adfinitate et similitudine, qua fiebat, ut lectorum vel descriptorum aliquis hoc vel illud vocabulum exprimendo sensui ænigmatis aptius crederet, quam quod in codice suo reperisset. Sic quod numero XVIII vulgatarum editionum *Cochlea* inscribitur, in Perionii codice *Testudo* est: numero LXVII titulus est *Specular*, in Perionii editione *Vitrum:* num. LXXII in vulgatis est *Uter*, in aliis *Follis:* numero XCIX *Olla* scribunt recentissimæ editiones, et quidem e codice vetusto, sed reliquæ omnes *Lagena*. Similitudo vel adfinitas rerum his titulis signatarum aperta est, ita ut nomina earum facile permutari potuerint. Neque alia ratio harum variationum est, quam quæ est variantium in textu scriptoris alicujus lectionum, quæ quamvis multæ reperiantur, ipse textus tamen auctoris esse non dubitatur. Inscriptio ipsa lemmatum, quia non nisi ex interpretatione diu meditata provenire potest, tam operosa est, ut nisi ipse auctor inscribat, vix exspectari a lectoribus vel librariis possit. Atque hi, tantum abfuit, ut lemmatibus adponendis sensum ænigmatum declarare studerent, ut potius ipsa lemmata, quæ in codicibus inveniebant, obscurare tentarent. Hoc se in vetere libro Symposii invenisse testatur Castalio, in adnota-

tione ad primum ænigma, in quo plerique tituli ænigmatum de industria obscurati erant, et quidem omissione literarum vocalium, quarum loco consonæ singulas proxime sequentes erant positæ. Sic primi ænigmatis titulo *Grbphkxm* scriptum erat pro *Graphium*, secundi *Brxndp* pro *Arundo*, tertii *Bnxlxs cxm gfmmb*, i. e. *Anulus cum gemma* (1). Non magis cônfirmat sententiam suam Heumannus eo, quod titulos nonnullos ait ineptos et ænigmati non respondentes, alios plane falsos, et infelicem conjectorem prodentes. Quando primum ænigma inscribitur *Graphium* neutro genere, etsi ipsum ænigma ordiatur in genere masculo: *De summo planus*, equidem puto, errorem hunc mutati generis æque accidere, immo magis, potuisse auctori, atque alii ænigmatis lectori. Auctor oblitus forte, quod *graphium* posuerat, sed *stylum* mente tenens, tamquam de stylo loquebatur, tituli incuriosus; sed alius, qui in masculo genere loqui ænigma legerat, titulum positurus minus poterat de vocabulo neutrius generis cogitare. Neque puto, hanc μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος plane insolitam esse bonis scriptoribus, ut alius generis vocabulum mente teneant, aliud exprimant. Et Heumannus, quod in titulo *Graphii* reprehendit, in alio ipse commisit. Nam ut titulos aliquot plane falsos esse ostendat, ænigma LVI in vulgatis perperam inscribi *Caliga*, ejusque loco *Linum* reponendum censet, licet in ipso ænigmate res significata non neutro genere, sed feminino efferatur. Unde Clariss. Heynatzius, rejecta Heumanni opinione, veterem inscriptionem revocavit. Perperam denique Heumannus titulum ænigmatis XLVI *Lilium* inter falsos refert. Nam mera est variatio ejus, qui aliis in editionibus exstat et ab ipso Heumanno probatur, *Viola*, pro qua qui melius putabat Lilium inscribi, fortasse non majus illud et procerum lilium hortorum intelligebat, sed lilium convallium. Sed

(1) Sic obscuratos titulos expresserunt etiam in editione sua Castalio et Meursius.

mitto plura de auctore lemmatum dicere. Summam certe antiquitatem horum titulorum esse, haud obscure significat Sigebertus Gemblacensis, qui in Aldhelmo Symposium ait *per prosopopœiam qualitates singularum rerum expressisse*, hoc est, ipsas res de se et qualitatibus suis loquentes induxisse in ænigmatibus. Hæc vero prosopopœia rerum a lectoribus intelligi non potuit, nisi eæ antiquitus tamquam πρόσωπα nominatim singulis fuerant præpositæ. Pariter e verbis Sigeberti colligitur, rectum et antiquum titulos consignandi modum esse, qui fit in casu primo, e. g. *Graphium*, *arundo*, *clavis*. Nam si sexto casu ponuntur, *de graphio*, *de arundine*, *de clave*, quomodo in codice primo Anglicano factum esse Heumannus in adnot. ad æn. I testatur, tum contrarii sunt prosopopœiæ, quæ est in ænigmatibus, et quasi poeta de iis loquatur, significare videntur. Cæterum quo magis variare titulos et corrigere ad sensum suum studuerunt librarii, hoc magis inde confici videtur, antiquos esse titulos, et ab ipso auctore profectos.

Heumannus præterea Symposii ænigmata in quasdam classes vel genera divisit, quæ breviter hic indicare satis erit. Nam alia jam olim dicit in vulgus nota, adeoque ab auctore non excogitata, sed tantum in versus redacta fuisse; alia ipsius auctoris ingenio efficta. Antiqua nonnulla et dudum nota Symposium repetiisse, vel solum illud æn. XXX *de Pediculis* probet, quod olim Homero a pueris quibusdam piscatoribus propositum Herodotus in vita Homeri narrat. De aliis, quæ antiqua sint, et quæ a Symposio primum inventa, vix certum exquirere et statuere licet. Aliud Heumannus discrimen constituit inter ænigmata, quæ sunt vulgaria et plebeia, nullam artem vel eruditionem redolentia; et alia erudita, quæ sunt cultioris ingenii. Ad erudita præcipue refert, quæ homonymiam vocis occultant, e. g. 2, 32, 42, 82: addo etiam ea, quæ ad partem historiæ vel mythologiæ respiciunt, qualia sunt 25, 26, 32, 48, 63, 73, 82, 83. Optimum omnium atque exasciatissimum ille

judicat, quod numero 83 *de Perna* legitur. In quo facile suum Heumanno judicium relinquimus.

Præfationem vel Prologum, quem Symposius ænigmatibus præmisit, neque omnes codices integrum, neque uno loco exhibent. Primum et secundum versum codex Perionii non habet (1), et quia salvo sensu facile abesse posse videntur, Heynatzius quidem eos uncis inclusit, Heumannus primum pro suppositiis habuit; sed quum deinceps animadverteret, novum aliquod fulcrum opinioni suæ ex his versibus, si paullum mutarentur, posse accedere, cupide eos tamquam e fuga retraxit, novoque habitu ex ingenio ornatos ita proposuit, ut supra memoravimus, Sextum, quem auctor adloquitur, in Siccam, patriam Lactantii, mutans. Qua in re etsi audacius grassatus est, id tamen recte fecit, quod auctoritati antiquiorum codicum concedens versus ipsos retinendos censuit. Nam, ut ipse fatetur, præter illum Perionii, cæteri omnes codices, quos ipse usurpavit, etiam vetustissimus eorum Anglicanus, versus istos habent. Prologum integrum non in principio, sed ad finem ænigmatum, tamquam epilogum, posuit Pithœus, quod tamen perperam factum, et præponendum potius præfationis loco fuisse, ipse monet in Emendat. in Poemata. Casp. Barthius, hoc non animadvertens, putavit editionem Pithœanam totum illud Præloquii epigramma præteriisse, Advers. lib. LVIII, cap. 1. Neque vero ullum editionis alius exemplum reperitur, quod non illos versus in fronte ænigmatum exhibeat.

Ut Symposius forte primus fuit inter Latinos, qui eo genere carminis luderet, et ænigmata versibus composita singulari libello complecteretur, ita exemplo ejus plures sequiorum temporum invitati videntur, ut similia tentarent. Primus eorum est *Aldhelmus*, Scotus, Episcopus Schire-

(1) Pithœi etiam codicem non habere, Heumannus et Heynatzius affirmant, sed falso; neque hi Pithœum ipsum inspexerunt.

burnensis, sub initio sæculi VIII clarus, qui Ænigmatum librum reliquit millenis versibus (1), in Tetrasticha, Pentasticha, Hexasticha, septenis versibus, octonis, novenis, denis et pluribus comprehensa, divisum. Liber ejus notis illustratus per Martinum *Delrio* prodiit Mogunt. 1601, in-12, repetitus a Nic. Reusnero in Ænigmatographia, Francof. 1602, pag. 204, item in Bibliotheca Patrum maxima edit. Lugdun. 1677, tomo XIII. Ejusdem Aldhelmi *Quæstiones ænigmatum Rhetoricæ artis* MS Lipsiæ in Biblioth. Amplissimi Senatus exstare testatur J. A. Fabricius, Bibl. Lat. tom. III, pag. 257, edit. Ernest. Quoniam Aldhelmus, Symposium se imitatum esse, ipse profitetur in Prologo, hinc Ænigmata ejus pluribus in codicibus MSS Symposio adjuncta reperiuntur. Pithœus tamen editione digna non putavit (vid. Testim.), quod quidem dolet Casp. Barthius, Aldhelmum neque lectione, neque recensione indignum judicans, Adversar. LVIII, 1. Ego vero quominus una ederem, quum me longa et copiosa ænigmatum series deterruit, quæ superare hujus voluminis modum videbatur, tum Aldhelmi, non modo mendis obsita plurimis, sed et dura in se impeditaque oratio, a Symposii suavitate multum remota, quæ, jure verebar, ne et mihi emaculandi et explicandi nimium laborem, et lectoribus meis parum jucunditatis adferret. Eadem fere Aldhelmi ætate *Tathwinus*, Archiepiscopus Cantiorum, qui an. 734 obiit, librum Ænigmatum scripsit, laudatum a Jo. Balæo, Script. Britann. Centur. II, pag. 98. Alium, non multo inferioris ætatis, *Thomam* nominat Sigebertus Gemblacensis, de Script. Eccles. cap. 133, quem dicit ad Hilduinum dominum suum scripsisse librum Ænigmatum, brevem quidem, sed plenum veritatis et elegantiæ. *Egebertus*, vel, ut alii, *Ecke-*

(1) Quod ipse testatur in Prologo, et Sigebertus Gembl. Sed in summam collectos versus ejus hodie non nisi 755 efficere, adeoque integrum opus non amplius superesse, notavit Leyserus in Hist. poet. med. ævi, p. 200.

bertus, Clericus Leodiensis, circa annum 1040 clarus, scripsit metrico stylo *de œnigmatibus rusticanis* librum primo brevem, sed ampliato rationis tenore scripsit de eadem re metrice alterum librum majusculum, ut loquitur Sigebertus Gembl. cap. 146. Joannes Lelandus, ut refert Heumannus Præf. § 34, testatur in Collectaneis suis, tom. III, p. 154, 161 et 163, sæpius in bibliothecis Anglicanis reperiri eodem conjuncta volumine Ænigmata Aldhelmi, Symposii, Eusebii, et Tautuni; ubi quidem, qui Eusebius ille sit, æque mihi ac Heumanno ignotum esse fateor, sed Tautuni sub nomine non Thomam, ut Heumannus opinatur, sed Tathwinum, quem Balæus adpellat, puto intelligi. Denique *Tulli* nescio cujus ænigmata hexasticha a Labbeo, Bibl. MSS, pag. 63, memorari indicat Fabricius, Bibl. Lat. l. c. Præterco plures alios recentioris ætatis auctores, quorum ænigmata passim exstantia, quamvis non optimo ordine, congesta exhibuit Nic. Reusnerus in Ænigmatographia.

De commentatoribus et interpretibus ænigmatum Symposii ut nunc dicamus, plures ille nactus est non indiligentes. Primus hanc operam sumpsit Jos. Castalio, qui Ænigmata Symposii poetæ cum scholiis edidit Romæ 1581, in-4. Quamquam enim Castalione prior Lil. Greg. Gyraldus libellum singularem, in quo ænigmata pleraque antiquorum explicantur, edidit, Symposii tamen ille non nisi unum ænigma, idque prætereundo, attigit, et alia, quæ sibi recitata ab amico dicit, quia frigidiuscula sibi visa essent, indigna relatu reputavit (1). In altera editione Symposii, quam Romæ an. 1607 procuravit Castalio, multa in scholiis prioris editionis mutavit, multa omisit, atque addidit pariter, quum interea Pithœi editionem Parisiis 1590 factam comparasset. Auctioribus scholiis instructam esse,

(1) Pag. 51 edit. Reusnerianæ in Ænigmatogr. et tomo II Operum, pag. 635.

ipse titulus profitetur (1). Heumanno videntur ea scholia non satis meditate scripta, atque effusa verius, quam elucubrata (2). Proximus Castalioni est Casp. Barthius, qui Ænigmata Symposii multa passim emendavit et illustravit quum in Animadversionibus ad Claudianum, tum maxime in Adversariis, e. c. lib. XIX, c. 14; XXVI, 28; XXVII, 1; XLIV, 20; LVIII, 1. Successit Fridericus Besselius, cujus adnotationes in Symposii Ænigmata manuscriptæ a doctis viris cum Heumanno communicatæ sunt, quas tamen ille paucas et leves, et plerasque e Castalionis scholiis excerptas esse reperit, ac proinde non totas, detractis iis, quæ a Castalione mutuata videbantur, una cum hujus et aliorum animadversionibus edidit. Omnium nempe industriam superavit, totumque se vindicando, castigando, illustrandoque Symposio dedit C. A. Heumannus, in editione Symposii Lactantiani superius memorata. Ubi post amplissimam præfationem, in qua Symposium Lactantio vindicat, ejusque virtutes et editiones recenset, singulis Ænigmatibus variantes codicum Msptorum et vetustiorum editionum lectiones subjicit, suasque animadversiones tam criticas, quam illustrantes addit, denique his absolutis seorsum producit Adnotationes diversorum, tum repetitas priorum Castalionis, Barthii et Besselii, tum nove secum communicatas Theod. Hasæi, et Jo. Matth. Gesneri. Ad recensendum et castigandum æuigmatum textum hoc plura et majora conferre Heumannus potuit, quod præter editionum antiquarum lectiones quinque codicum MSS nondum collatorum apographa vel excerpta, amicorum doctorum opera sibi subministrata, adhibere potuit, trium quidem ex Angliæ bibliothecis, duorum MSS e Lugdunensi bibl. deprompta. Lectiones eorum codicum omnes siglis quibusdam

(1) Comparavit primæ et secundæ editionis scholia Irenæus Bibliophilus in Schelhornii Amœn. lit. tom. II, p. 487.

(2) In Præf. ad Symp. Lact. § XLII.

literarum distinguit, Anglicorum scilicet trium, quorum primus, in bibliotheca Regia Westmonasteriensi servatus, præstantissimus vetustissimusque est, literis A. B. C. Lugdunensium prioris et posterioris literis D. et E. Præterea per notam P. codicem, e quo Pithœi editio facta, *Cam.* codicem Camerarii, *Per.* codicem Perionii, *Caus.* editionem Causini, in qua nonnullas variationes deprehendit, per *gl.* glossas significat, quas codicibus duobus Anglicanis adscriptas reperit. Quas siglas sive notas ab Heumanno adhibitas ego hoc loco proponere et significare lectoribus meis volui, quia in repetenda varietate lectionum iisdem usurus sum. Heumanni sententiam de auctore Ænigmatum sequutus Jo. Hildebr. Withofius Lactantii Symposium ferme totum illustrasse, simul de sapientia ænigmatica in universum disseruisse dicitur in *Relationibus Duisburgensibus* a. 1744, n. 51 seq. 1746 et 1747, n. 2, teste Cl. Leindenfrostio in Oratione funebri, p. 58, ut scribit Christoph. Saxius V. C. in Onomast. liter. tom. I, pag. 389. Etiam Jo. Ludolph. Bünemannum ad perpoliendum, forte etiam denuo edendum, Symposium animum adpulisse, licuit mihi e Symposii Heumanniani exemplo perspicere, quod in bibliotheca Georgiæ Augustæ servatur, et mecum humanissime communicatum est. Cui exemplo in charta pura singulis paginis interjecta adscriptæ erant copiosæ adnotationes, subitariæ illæ quidem et sine cura effusæ, sed multa eruditione refertæ, inprimisque selectam latinitatem Symposii ex aliis auctorum, sæpe etiam Lactantii, locis illustrantes, quas quidem ut crederem Bünemannum auctorem habere, permulta fuerunt, quæ mihi persuaderent. Recentissime de Symposio bene meritus est Vir Celeb. Jo. Frid. Heynatzius, editione nova *Centum Ænigmatum veterum*, Francof. ad Viadr. 1775 facta. Qui quum Ænigmata hæc puerili maxime ætati instituendæ apta putet, huic usui editionem suam præcipue adcommodavit. In Præfatione editionum Symposii recensum agit, motam ab Heumanno controversiam

de auctore Lactantio narrat, ad ejusque sententiæ præcipuas rationes respondet, usum denique hujus libelli ænigmatum commendat. Ænigmatum ipsorum interpretationi inprimis studet, et singulis perspicuam metaphrasin et verborum explicationem subjicit; contexti castigandi et constituendi rationes notis criticis singularibus, seorsum positis, et ad finem ænigmatum rejectis, exposuit. Heumanniana copia ita usus est clarissimus editor, ut ex illustrationibus seligeret, quæ ad rem suam facere videbantur, adderet nonnulla, quæ suppetebant aut animo succurrebant, verborum autem contextum, in quo constituendo nimia cum audacia, et plerumque non satis feliciter, Heumannus versatus erat, diligenter denuo recenseret. Nos idem consilium in tractando Symposio sequemur, et quæ Heumannus tum in lectionibus variantibus congerendis, tum in adnotationibus suis et aliorum adponendis, subsidia ad castigandum pariter et illustrandum obtulit, his salubriter, et cum delectu, et judicio adhibito utemur; notas, quæ rem obscuriorem satis adposite et commode explicarunt, adjecto auctoris nomine, usurpabimus; e cæteris, quæ rei explicandæ utilia videbuntur, hinc inde dispersa congeremus, neque tamen ipsi adponere et adnotare negligemus, si qua aptiora ad probandum vel illustrandum videbuntur. Reliquum est, ut seriem ordinesque editionum proponamus, quibus Ænigmata Symposii vel integra, vel ex parte, vulgata sunt.

EDITIONES ET VERSIONES

ÆNIGMATUM SYMPOSII.

I. Joannes Trithemius, de Script. Eccles. cap. 783, testatur Joannem Nobletum, monachum ordinis fratrum minorum B. Mariæ de monte Carmeli, natione Gallum, sæculo XV, scripsisse inter alia, quæ ferantur ejus opuscula, *Centiloquium ænigmatum lib. I.* Hoc de Symposii ænigmatibus, quæ centum sunt numero, intelligunt J. A. Fabricius, Bibl. Lat. tom. III, pag. 250 Ern. et C. A. Heumannus in Præfat. ad Symp. Lact. § XXV, qui propterea Nobletum aiunt ea Ænigmata primum reperisse, et e longi temporis tenebris rursus protraxisse. Sed hæc parum explorata existimatio est. Quin Irenæus Bibliophilus in Observatione Schelhornii Amœnit. liter. tom. II inserta, pag. 475, indicat, ex Trithemii narratione de Nobleto facile esse ad conjiciendum, Nobletum ipsum ex suo ingenio composuisse memoratum *Centiloquium.* Sic Laurentius Abstemius libellum fabularum ab se compositarum de numero *Hecatomythium* nuncupavit, ut ipse scribit in Præfatione.

II. Antiquissima est editio *Joachimi Perionii*, qui Symposium primus protulit, ut scribit Barthius, Adv. lib. XXVI, cap. 28. Heumannus, qui ipse non vidit, eam Lutetiæ an. 1538 excusam esse suspicatur, sed Mich. Maittairius, Annal. Typogr. tom. II, pag. 791, ad annum 1533 refert, additque Parisiis hoc anno in-8 prodiisse, atque hunc ejus titulum profert:

Symposii veteris poetæ Ænigmata, nunc primum inventa et excusa, cum sententiis septem Græciæ sapientum emendatioribus et auctioribus: apud Ludov. Cyaneum sub duobus Gallis in via Jacobæa.

Si titulus annusque editionis hujus a Maittairio indicatus recte se habet, nescio, quid de alio editionis Perionianæ exemplo mihi statuendum sit, quod e bibliotheca Georgiæ Augustæ benevolentia Heynii V. C. mihi suppeditatum in manibus habeo, quodque alium et annum et typographum præfert. Integrum ejus titulum subjicio:

Symphosii Poetæ veteris elegantissimi erudita juxta ac arguta et festiva Ænigmata, nunc primum et inventa et excusa. Accesserunt septem Græciæ sapientum sententiæ, multo quam antehac emendatiores, et versibus etiam aliquot auctiores. Parisiis apud Jacobum Kerver sub duobus gallis in via Jacobea, 1537, in-8, const. foliis 12.

Nescio, inquam, utrum eam alteram ac denuo recensitam a Perionio editionem, an vero ab alio, secundum alium codicem, servata tantum Perionii præfatione, adornatam existimare debeam. Nam præter anni ac typographi differentiam, duabus maxime rebus a priore Perionii, quam Reusnerus expressit, discrepat. Centesimo ænigmate *de Cuculo* caret, etsi de cætero ordinem et numeros ænigmatum eosdem, ac superior Perionii, servat: deinde, quum Reusneri exemplum ænigma X *de Phœnice* duplex habeat, hæc Perionii secunda altero destituitur. Nonnullæ etiam varietates titulorum occurrunt. Quum priorem illam anni 1533 oculis usurpare nequeam, constituere jam non licet, sitne ea a Reusnero pure expressa, an vero hic invexerit nonnulla, quæ adeo nec secunda anni 1537 habeat. Casp. Barthius tamen, qui primam Perionii editionem usurpavit sæpiusque laudat, eam significare videtur, quam Reusnerus repetiit. Nam in Animadv. ad Claudian. edit. prioris pag. 469 (edit. secundæ, in-4, p. 988), adfirmat, duorum ænigmatum

de Phœnice alterum solum in Joach. Perionii editione se reperisse. Id vero Reusnerus exhibet.

In præfatione Ænigmatibus præmissa Perionius ea se dicit e codice bibliothecæ Cormœriacenæ eruisse. Cormœriacum autem est agri Turonensis oppidulum, opulento Benedictinorum monasterio nobile.

III. Joach. Camerarius *in Elementis Rhetoricæ* (quæ primum an. 1540 prodierunt, iterumque Lipsiæ 1562, in-8), pag. 273 editionis anni 1600, in-8, ex Ænigmatibus a se repertis, quæ Symphorium quemdam auctorem habere præscriptum dicit, selecta quædam XVII producit, quæ Heumannus recenset Præfat. ad Symp. Lact. § XXX. Quum ænigmata Camerarianæ hujus editionis in multis ab editione Perionii discrepent, Heumanno non dubium est, hausisse eum ænigmata sua e MS quodam codice.

IV. Jo. Lorichius Hadamarius *tres libros Ænigmatum* Francofurti an. 1545 edidit, quorum libro III e septemdecim ænigmatibus a Camerario in Elementis Rhet. vulgatis repetiit tredecim, sed presso Camerarii nomine. Vid. Heumannus l. c. § XXXI.

V. *Symphosii ænigmata XLVII* edita a Francisco Basuelo Basileæ 1563, in-8, commemorat Fabricius, Bibl. Lat. vol. III, pag. 274 seq. et pag. 255 edit. Ern. ex eoque discrepantes scripturas excerpit ibidem.

VI. Secundus Symposii ænigmatum editor (nam superiores partem tantum ediderant) est *Josephus Castalio*, cujus editionis hæc est inscriptio :

Ænigmata Symposii Poetæ cum scholiis Josephi Castalionis, Anconitani. Romæ apud Franciscum Zannetum MDLXXXI, in-4, *maj. chart. sex.*

Exhibentur hac editione XCIX ænigmata, quorum ul-

timum *Anchoræ* titulo inscriptum est. Primum se eorum editorem esse, ipse sibi persuasit Castalio, ut patet ex ejus dedicatione libello præfixa. In qua etiam testatur, edidisse se ænigmata Symposii e codice MS miræ vetustatis, in quo adjuncta erant ad Venantii Fortunati opera. Luculentam ejus edit. descriptionem dedit Irenæus Bibliophilus in Schelhornii Amœn. liter. tom. II, p. 485.

VII. Repetitam esse hanc editionem Romæ 1597 tradit Fabricius, Bibl. Lat. vol. III, pag. 271, et Sigebertus Havercampus Heumanno testatus est per literas (vid. ejus Præf. pag. XLIX) habuisse se in manibus illam Romæ a. 1597 factam, eamque in duodecimo, ut vulgo loquuntur, exscriptam esse. Utcumque vero hæc editio repetita exstiterit, non videtur habuisse scholia Castalionis, nec ab ipso Castalione curata. Hic enim alteram editionem serius curavit, postquam Pithœanam viderat, eamque scholiis non nihil modo auctis, modo immutatis instruxit. Cujus hic titulus est:

Ænigmata Symposii, poetæ veteris, cum scholiis auctioribus Josephi Castalionis, J. C. Romani, elogiisque doctissimorum virorum de Symposio. Romæ apud hæredes Aloysii Zanneti 1607, *sumptibus Julii Franceschini*, in-4.

Contenta ejus editionis plene descripsit Heumannus, Pœciles tomi II libro I, pag. 109 seq. sigillatim præfationem Castalionis, et doctorum virorum Sigonii, Victorii et Pontani de his ænigmatibus ἐπικρίσεις exhibet.

VIII. *Petrus Pithœus* inter *Poematia vetera* Paris. 1590, in-12, edita, pag. 404, hæc Ænigmata sub nomine *Cœlii Symphosii* proposuit, et in edit. Lugdun. apud Jacobum Chouet, 1596, pag. 534. Genevensem hujus Sylloges editionem anni 1619 ipse non vidi. Castalio hac Pithœi editione usus est, ejusque variantes lectiones adnotationibus suis in Symposium inseruit.

IX. *Jacobus Pontanus* voluminis tertii *Progymnasmatum Latinitatis* parte priore, quæ prodiit Ingolstadii 1592, in-8, pag. 779 seqq. unum habet (num. XLII) quod inscripsit *Ænigmata*, ubi aliquot Symposii exhibet, tacito tamen et auctoris eorum nomine, et fonte, unde illa hauserit; nominatim p. 783 de *Clave*, *de Tinea*; p. 784 *de Fumo*, p. 785 *de Somno*, *de Mure*, *de Papavere*, p. 786 aliquod sine titulo, itemque aliud pag. 787 absque lemmate profert, in adnotationibus tamen ad hoc Progymnasma, p. 790, clavem horum etiam duorum suppeditat, docetque per prius *Rotam*, per posterius *Nebulam* intelligi. Hæc memorat Irenæus Bibliophilus l. c. p. 489 not. ***. Qui dubitat, ex qua editione Pontanus illa mutuatus sit. Mihi vero credibile est, Castalionis editione priore usum esse. In editione Progymnasmatum Pontani recentiore, quam ipse possideo, Francof. 1634, in-8 maj. hoc Progymnasma XLII, *Ænigmata* inscriptum, pag. 744 seqq. legitur. Totum illud repetiit et Ænigmatographiæ suæ inseruit Nic. Reusnerus, p. 79 seqq.

X. *Nicolaus Reusnerus* in *Ænigmatographia*, *sive Sylloge ænigmatum et griphorum convivalium*, *ex variis auctoribus collectorum*, Symposii Ænigmata ex editione Perioniana repetiit. Duas hujus libri editiones prodiisse probat Heumannus l. c. § XXVII, unam Francof. an. 1599, in-12, alteram ibidem 1602, in-12. Istam numquam vidi, hanc ipse possideo, in qua pag. 148 exhibentur *Symphosii*, *poetæ veteris elegantissimi*, *erudita juxta ac arguta et festiva ænigmata*, præmittiturque ipsius Perionii Præfatio, p. 145 sq. Cæterum hæc editio altera Ænigmatographiæ in duas partes divisa est, quarum altera hoc inscripta titulo est: *Joannis Lauterbachii Ænigmata*, *additis simul Nicolai Reusneri ænigmatis*. E collegio Partheniano, an. 1601.

Georgius Draudius in *Bibliotheca Classica*, p. 1505,

scribit, *Joann. Lauterbachii, Jul. Cæs. Scaligeri, H. Eobani Hessi, Joach. Camerarii, Hadr. Junii, et quorumdam aliorum Ænigmata omnia simul edita esse* studio Nicolai Reusneri. Argent. 1589 in-8. Diversum hoc opus ab Ænigmatographia, hujusque prodromus esse videtur, postea in Ænigmatographiam relatum. Falli igitur videtur Heumannus l. c. quando existimat, Draudium illo indice primam Ænigmatographiæ Reusnerianæ editionem significare voluisse. Habeo ipse ejus libelli, quem Draudius indicavit, exemplar, eodem loco et anno editum, sed in titulo simul verba lego, quæ Draudius omisit: *Additis Symphosii veteris Poetæ Ænigmatis, item J. C. Scaligeri*, etc. Quod tamen dolendum est, exemplar meum in fine mancum esse videtur; nam neque Symphosii, neque Scaligeri, et cæterorum, qui in titulo nominantur, ænigmata habet, et cum Lauterbachii ænigmatibus desinit. Quod si alia integra ejus libri exemplaria exstant, dubitari non potest, hanc primam Reusneri editionem Symphosii esse.

XI. Phædro ab se cum notis suis et Casp. Scioppii vulgato *Cælii Symposii ænigmata cum scholiis Jos. Castalionis*, fabulas et Ænigmata veterum poetarum Græcorum et Latinorum adjunxit *Conr. Rittershusius* Lugduni an. 1598, in-8. Quæ editio repetita est additis animadversionibus Jo. Meursii, et prodiit ex officina Plantiniana Raphelengii, an. 1610, ut tradit Fabricius, Bibl. Lat. lib. II, cap. 3, § 3.

Ejusdem editionis repetitio videtur, quæ in catalogo Bibliothecæ Thuaneæ, tom. II, p. 256, hoc titulo proponitur: *Ænigmata veterum et recentium, cum notis Josephi Castalionis in Symposii Ænigmata. Duaci* 1604, in-8.

XII. *Franciscus Schottus* edidit *Itinerarii Italiæ Germaniæ-*

que libros IV, Coloniæ Agripp. an. 1620, in-12. Ibi auctor libro IV subjunxit *Joca seria et ænigmata iter agentibus accommodata*, atque inter hæc, pag. 338, *Ænigmata et Griphos ex Symphosio et Althelmo*. Ex illo quidem profert duodecim, *de Clave*, *Vulpe*, *Fumo*, *Testudine*, *Grue*, *Ericio*, *Mula*, *Beta*, *Talpa*, *Farina*, *Pila* et *Spongia*; ex hoc quatuor *de Nube*, *de Salamandra*, *de Myrmicoleonte*, et *de Gallo Gallinaceo*, et pag. 366 scribit: *Plura Symposius et Althelmus versibus collegere ænigmata.* Irenæus Bibliophilus apud Schelhornium l. c. pag. 491, conjicit, Schottum hæc ænigmata e Duacensi Symposii editione an. 1604, cujus modo mentionem fecimus, deprompsisse. Hoc equidem adfirmare nolim, siquidem Duacensis editio Castalionis recensionem sequuta videtur; at Schottus, ut e collatione ænigmatum didici, Perionii textum adhibuit.

XIII. *Nicolaus Causinus* libro suo, quem *Symbolicam Ægyptiorum sapientiam* inscripsit, inseruit *Ænigmata Symposii*, sed nihil animadversionum vel scholiorum adjecit. Ejus operis tres editiones exstare comperit Heumannus (vid. Præfat. ad Symp. Lact. § XXXV), Coloniæ 1623, in-8. Paris. 1647, in-4. Colon. 1654, in-8. In harum postrema ænigmata illa exhiberi dicit a pag. 138 usque ad pag. 150, satis quidem mendose, ut tamen adpareat, Causinum expressam voluisse editionem Castalionis.

XIV. Phædro cum grammaticis notis edito *Symposii* aliorumque *ænigmata* et fabellas adjunxit *Christianus Junckerus*, Lips. 1700, in-12. Exemplum et editionem Jo. Meursii sequutus est, cum Phædro Symposium et fabulas Græcas Gabriæ et Ænigmata poetarum veterum conjungentis. Idem factum in sequente edit.

XV. *Phædri fabulæ* cum not. ad modum Minellii, *quibus ac-*

cesserunt Symposii ænigmata, Gabriæ fabulæ, Antonii Liberalis Metamorphoses, gr. et lat. et Senecæ, item Publii Syri Sententiæ, cura et studio *Jo. Georgii Walchii.* Lipsiæ an. 1713, rec. 1724, in-12.

XVI. Mich. Maittarius inter *Opera et fragmenta veterum poetarum Latin.* Lond. 1713, fol. *Cœlii Symposii Ænigmata* exhibuit vol. II, pag. 1609.

XVII. Sequitur præstantissima et locupletissima editio *C. A. Heumanni*, Ænigmata tamquam symposium, vel symposiacas quæstiones, Firmiano Lactantio auctori vindicantis, Hanov. 1722, in-8. Adjecta est ab Heumanno *Dissertatiuncula contra V. C. Nicol. Nurrium, librum de mortibus persequutorum Lactantio abjudicantem, itemque Symbola Critica ad Lactantium.* De ea editione abunde egimus superius in Proœmio nostro, sicut etiam de sequente, eaque recentissima:

XVIII. *Centum Ænigmata vetera, diu sub Symposii poetæ nomine circumlata, deinde a nonnullis tamquam symposium a Lactantio conscriptum edita.* Recensuit, illustravit atque præfatus est *M. Joan. Frid. Heynatz.* Francof. ad Viadr. 1775, in-8.

XIX. Post Heumanni operam Ænigmata Lactantio tribuentis, hæc recentioribus Operum Lactantii editionibus, titulo Symposii Lactantiani, accesserunt, ut Heumannianæ, Bunemannianæ, Halensi, item Parisiensi Lengleti *du Fresnoy*, tom. II, pag. 251 seqq.

Ex ista serie omnium Symposii editionum si quis selectum præstantiorum facere velit, tres omnino reperiet principes, quæ diversos MSS codices expresserunt, et cæteris editoribus duces et auctores exstiterunt, nempe *Perionii*,

Castalionis et *Pithœi.* Perionii editionem Reusnerus in Ænigmatographia, et Franciscus Schottus in Itinerario Italiæ expresserunt: Pithœi recensionem postquam fere cum sua conjunxerat Castalio, hunc cæteræ usque ad recentissimas sequutæ sunt. Quartam his adjungit Heumannus (Præfat. § XXXVII) licet paucorum tantum ænigmatum, quam Camerarius in Elementis Rhetoricæ exhibuit. Nam et hunc e codice MS proposita descripsisse ænigmata existimat. Ego vero et Francisci Basueli editionem ænigmatum XLVII e singulari codice profluxisse arbitror, siquidem et mancus eorum numerus, et discrepantes ab aliis lectiones, a Fabricio indicatæ, imperfectum et ab aliis diversum codicem demonstrant.

Versiones ænigmatum Symposii factas ne plane prætermitteret Heumannus, memoravit, Præfat. § XXXVII, Joachimum Camerarium ænigmata aliquot Symposii in Græcos versus eleganter traduxisse, quæ ipsa Ænigmatographiæ suæ inseruit Reusnerus a pag. 256 usque ad pag. 260 (in quibus tamen insunt nonnulla, quæ non sunt Symposii). Idem refert Germanicam eorum ænigmatum, camque metricam, versionem, una cum metrica Phædri fabularum versione, an. 1712, in-8. Eisenbergæ editam esse a quopiam, qui sub adscito *Melandri* nomine latere voluit. Dedit etiam versionis ejus duo exempla, ænigma 96 et 97 *de Echo et Somno*, quæ sane invita Minerva factam esse ostendunt. Ego vero inprimis memorandam hoc loco censeo, cujus notitiam ipse Heumannus Pœciles tom. II, lib. I, pag. 121, fecit, Italicam versionem, a patre Castalionis Romæ an. 1604 editam, cujus ipse filius in Dedicatione, posteriori ejus Symposii editioni præmissæ, mentionem his versibus facit:

His (ænigmatibus) lucis aliquid adtulit pater meus,
Interpretis fungens vice.

Exemplum ejus versionis in Sereniss. Ducis Saxoniæ Vina-

riensis bibliotheca, et quidem eodem volumine, quo Castalionis Symposius, adservatur, atque hanc inscriptionem habet: *Enigmi di Simposio, Poeta antico. Tradotti da Latino in Rima, da Jacomo Castiglione Romano. In Roma, appresso Luigi Zannetti* 1604. *Ad instanza di Giulio Franceschini.* Exempla hujus versionis Heumannus ibidem dedit ænigma I *de Graphio*, et LXXIX *de Tintinnabulo.*

DE

SYMPOSII POETÆ ÆNIGMATIBUS

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. ALDHELMUS Scotus, qui an. 709 obiit, in Prologo secundo libri Ænigmatum.

Symposius poeta metricæ artis peritia præditus, occultas ænigmatum propositiones exili materia sumptas ludibundis apicibus legitur cecinisse, et singulas quasque propositionum formulas tribus versibus terminasse.

II. SIGEBERTUS GEMBLAC. de Script. Eccles. cap. 132.

Adelmus (vel Aldhelmus) Episcopus, imitatus Symphrosium, qui per prosopopœiam qualitates singularum rerum exprimens scripsit librum ænigmatum metrice, exprimens et ipse qualitates rerum, scripsit Ænigmatum librum, et in mille versibus consummavit illum, etc.

III. ANONYMUS Mellicensis, de Scriptor. Eccles. cap. 731.

Symphrosius, vir eruditissimus sermone ac scientia sua, nihilo minus scribit Ænigmata, quæ quum hodieque habeantur a pluribus, nos tamen necdum legendorum eorum copiam habere potuimus.

Heumannus in Præfat. ad Lactantii Symposium, § XXIV, mendose scriptum hoc loco existimat *nihilo minus scribit*, atque sic emendat: *sermone ac scientia clarus stylo metrico*

scribit ænigmata. Scilicet ex *stylo metrico* factum esse *hilo minus*. Sed ea emendatione minime opus, et *nihilo minus* positum est pro *pariter*, *æque*, *etiam*, refertque se ad præcedens caput, quo auctor scribit, *Achelinum* (Aldhelmum) *Episcopum nonnulla edidisse scripta, quæ adpellantur ænigmata*.

IV. AUCTOR fabulæ eroticæ, sive *Narrationis eorum, quæ Apollonio regi contigerunt*, quam e Græco versam ab homine Christiano ante mille annos putat Fabricius Bibl. Gr. lib. V, cap. 6, vol. VI, pag. 805, quæque inter Opera Marci Velseri a Christoph. Arnoldo edita est Aug. Vind. 1682. Is auctor pag. 699 et 700 Opp. Vels. tria Symposii ænigmata, tacito tamen ejus nomine, exhibet, nempe *de flumine et pisce*, *de navi et de balneo*, quæ ænigmata Tarsia virgo Apollonio experiundæ ejus sapientiæ caussa solvenda proponit.

Hac ænigmatum Symposii citatione inductus præter Meursium Casp. Barthius, Advers. LVIII, cap. 1, credidit Symposium poetam Historiam illam eroticam in Latinum sermonem traduxisse. Sed falsos eos fuisse recte existimat Heumannus in Præf. ad Symp. Lact. § VIII, qui tamen ipse falsus est, quum auctorem illum Historiæ Apollonii Græculum esse, et tria Symposii ænigmata in Græcum translata sermonem exhibuisse putat. Nam Græcum ipsius auctoris libellum, certum est, non exstare; atque ego potius Latine scriptum ab auctore, uti nunc exstat, non e Græco versum, crediderim, unde et Barthius, quæ ejus vera sententia est, Symposium conditorem ejus libelli opinatus est. Sed eum recentius, carmine politico Græco-barbaro conversum, Venetiis a. 1696, in-8, apud Nicolaum Glycem prodiisse tradit Fabricius Bibl. Gr. vol. VI, pag. 805. Aliud exemplar rarissimum Græco-barbara lingua exaratum, ad modum rhythmorum nostrorum, editum Venetiis an. 1563, in-4, fuit apud

Theod. Hasæum, ut ex ipsius literis narrat Heumannus l. c. Eamdem narrationem multum ab impressis discrepantem MS habuit Theodorus Canterus, ut testatus est in literis ad Meursium; notante Fabricio, in Indice ad Bibl. Lat. v. *Symposius*.

V. JOACH. PERIONIUS in Præfatione ad Symphosium ab se editum.

Incidi in Symphosii cujusdam ænigmata, quæ sunt ab illo singula ternis versibus comprehensa: quorum ego adeo sum lectione delectatus, non tam quod nemo eorum, quos habemus, in hoc genere stylum exercuisset, quam quod versus ipsi et lepidi essent, et arguti: ut Symphosii memoriam et laudem ab oblivione hominum a me judicarem vindicari oportere.... De puritate quidem Latini sermonis, cum iis, qui supra mille annos scripserunt (excipe eos, qui nostra et patrum nostrorum memoria exstiterunt), facile contenderit. Paucis vero antiquorum palmam apte dicendi concesserit, ut qui res obscurissimas tractet planissime, in quo vis ingenii perspici potest vel maxima. Jam vero rerum earum, quas tractat, vim eum et naturas plane tenuisse, vel ex hoc intelligi potest, quod artem magna ex parte in jocos, risus et sales contulit, in quibus peritia sola dominatur, etc.

VI. JOSEPHUS CASTALIO in dedicatione Symposii, editionis secundæ, Romæ 1607.

Nemo fuit bonarum artium studiosus, quicum mihi familiaritas esset, quin censeret, Symposii ænigmata propter suavitatem et eruditionem digna esse, quæ ab omnibus legerentur. Mitto, quod ad alendum summa cum jucunditate exacuendumque ingenium eorum, qui Latinum sermonem discunt, sine ulla rerum aut verborum obscenitate, nihil

aptius fieri potest. Antiquitatis certe vestigia multa in Symposio sunt. Quis Veterum caligas, quis clavos caligares, quis graphii seu styli formam, duplicemque ejus usum, brevius clariusque expressit? Quare merito Sigonius, et elegantem scriptorem Symposium, et aliquid commodi studiis optimarum artium adlaturum esse judicavit.

Respicit extremis verbis ad epistolam Car. Sigonii, quam Castalio scholiis suis ad Symposium præposuit. Cui et aliam adjunxit Jacobi Pontani, qui ita judicat: « Ænigmata mihi perplacent. Festiva et rotunda sunt ».

VII. PETRUS PITHOEUS in Emendatt. ad Poematia, pag. 477.

Symphosii, qui et Symposius in quibusdam exemplaribus scribitur, meminit Sigebertus Gemmelacensis de Aldhelmo Scoto loquens, cujus quidem nos Ænigmata editione digna non putavimus, etc..

VIII. JO. MEURSIUS in not. ad fab. et ænigmata Phædro adjuncta, pag. 47.

Ænigmata Symposii omnino probamus: quamvis Lilius Gyraldus libello suo *de ænigmatibus* parvi ea facere videatur, quum ab amico sibi aliquot nullius momenti tradita scribit, quorum unum tantummodo recitat, tacito auctoris nomine, *de somno*. Est autem id Symposii nostri.

IX. CASP. BARTHIUS, Adversar. lib. XIX, cap. 14.

Symposius Ænigmatis, elegantibus et latinis, numeris etiam felicibus, conscriptis: *De summo planus*, etc.

X. IDEM, Adversar. LVIII, cap. 1.

Dixi aliquo superiorum commentariorum loco, me dubitare de Symposio Ænigmatum scriptore, sitne ille eo no-

mine auctor censendus, an persona quæpiam convivialis Symposium totum libri titulum fecerit. Sed eam dubitationem eximere debet ipse Poeta in præfatione de se scribens hoc pacto : *Hæc quoque Symposius*, etc. Et insuper Aldhelmus præfatione suorum Ænigmatum..... Quibus verbis non incelebrem olim fama scriptorem fuisse discas, ut ex ipsius quoque testimonio modo adscripto, ubi hæc verba *Hæc quoque....* amplam ante hunc libellum editum scriptorum copiam designant. Celebritatem arguit ejusdem etiam auctor vel interpres Historiæ Apollonii Tyrii, dulcis scriptor et eruditus, qui de Centum Symposii Ænigmatibus petitis versibus suorum Sapientium doctrinam spectandam proponere voluit. Et potest ut ejusdem libri idem ipse etiam Symposius sit conditor, quod etiam doctorum nonnullis in mentem ante nos venisse video.

XI. GER. JO. VOSSIUS de Poetis Latinis, cap. VIII. p. 86.

Symposius carmine hexametro ænigmata centum conscripsit : quæ Josephus Castalio scholiis illustravit. Sunt vero non invenusta; utcumque Lilius Gyraldus haud magni ea fecisse videatur, in libello de Ænigmatibus; ubi adfert Symposii ænigma de Somno. Sed præter ea, quæ excusa habemus, supersunt alia satis frigida, aliqua etiam obscena, quæ idcirco omissa. Et propter ista sic Lilius scripserit, qui conspexerat opus integrum.

CÆLII SYMPOSII
ÆNIGMATA*.

PROLOGUS.

HÆC quoque Symposius de carmine lusit inepto;
Sic tu, Sexte, doces; sic te deliro magistro.
Annua Saturni dum tempora festa redirent,
Perpetuo nobis semper solennia ludo,
Post epulas lætas, post pocula dulcia mensæ,

* Sic inscripsit Pithœus, quem sequor. *Incipiunt Enigmata Simphosii* titulus est in cod. A. *Incipiunt Enigmata Symphosii* in C. et D. *Incipiunt Ænigmata Symposii poetæ* Cast. — Versus 1 et 2 liber Perionii non habet. Quas in iis mutationes tentaverint Heum. item Gesnerus et Burmannus, indicavi in Procemio.

1. *Hic quoque Simphosius* C. — *De carmine lusit inepto*, nempe, quæ hic lusit Symposius, de vel ex eo genere carminum sunt, quæ ineptias et nugas tractant. Alias se severiora scripsisse innuit. Itaque *de* hic abundare non dixerim, ut interpretes dicunt vers. 9 et 15, et alibi in ænigmatibus, fieri. Ovid. Her. XIV, 115 : « De fratrum populo pars exiguissima restas », et XVII, 105 : « primus de mille fuisses ».

2. Corrupte in cod. Castalionis scriptum fuit *Sic tu es ex te doces*, e quo recta lectio facile elicitur. *Sic deliroque magistro* A. Heumannus post versum primum punctum, post secundum comma tantum ponit, ut adeo secundus cum tertio conjungatur. Vides autem, quam male conveniat *Sicca me docet... dum redirent:* debebat *dum redeunt*. Hæc Heyn. — *Sic tu, Sexte, doces*. De eo Sexto abunde dixi in procemio.

3. *Dum tempora festa redirent.* Debebat *redibant*. Sed videtur hic auctor *dum* pro *quum* ponere, ut infra v. 7.

4. *Perpetuo... ludo*, i. e. continuo, longo, nec interrupto. *Junctos ex ordine ludos* dicit Ovid. Trist. III, 12, 17. Virg. Æn. VII, 176 : « Perpetuis soliti patres considere mensis ». Curtius, V, 4, 5 : « perpetuis montium jugis clauditur ».

Deliras inter vetulas puerosque loquaces,
Quum streperet late madidæ facundia linguæ;
Tum verbosa cohors studio sermonis inepti
Nescio quas passim magno de nomine nugas

6. *Deliras inter vetulas*. Delirare proprie dicuntur senes. Unde *delirus senex* et *anus delira* apud Cicer. (de Diviu. II, 68). *Senilis stultitia* clare ait idem lib. de Senect. cap. XI, *deliratio adpellari solet. Profecto*, inquit ille apud Plantum, Ep. III, 3, 11, « deliramus interdum senes ». Illustris etiam locus est in Gellii Noct. Att. lib. I, cap. 19, ubi *delirare* exponitur per *ætate desipere*. Heum.

7. *Dum streperet* A. sed *Cum streperet* Per. Cast. Pith. quod malui. — *Madidæ*, id est, ebriæ. Plautina adpellatio. A Plauto enim Asin. V, 2, 7 et 9, homo *madidus*, id est, ebrius, opponitur homini *sicco*, id est, sobrio. Apud eumdem, Aulul. III, 6, 36 : « Ego te reddam hodie probe madidum », id est, uti v. 38, exponitur, *te vino deponam*. Heum. Sed et aliis hoc frequens. Vid. Tibull. II, 5, 87; Martial. I, 71, 9, IX, 74, 5; Suet. Claud. e. 33. Horatio dicitur *uvidus*, et opponitur *sicco*, Carm. IV, 5, 39. — *Madidæ facundia linguæ*. Horat. Epist. I, 5, 19 : « Fecundi calices quem non fecere disertum ».

8. *Verbosa cohors*, i. e. garrula et fatua, sicut Catull. Carm. XCVIII, 2, *verbosos* et *fatuos* conjungit. Idem Carm. LV, 20 : « Verbosa gaudet Venus loquela ». Ovid. Trist. III, 12, 18 : « verbosi garrula bella fori ». — Pro *inepti* editio Basueli *ineptum*, i. e. inepte, quæ lectio Fabricio præter meritum placuit.

9. *Magno de nomine* omnes edit. antiq. Heumannus ex *de nomine* facit *de carmine*, ut v. 15, et vocem *magno* jungit cum *studio* præcedentis versus, hoc modo : *studio sermonis inepti Magno nescio quas passim de carmine nugas*, et *de carmine* explicat *metrice*, *Versweise*, *in Versen*. Sed audaciam hanc refingendi versus magnopere improbat Heynatzius. Bunemannus in notis Msp. legendum putat *magno conamine*, ut est apud Ovid. Met. III, 60 : « magnum magno conamine misit ». Quippe credere non potest, auctorem adeo purum toties illud superfluum *de* in solo prologo repetiisse. — Sed hæc repetitio non minus frequens jam notata est, in Proœmio ad Perv. Ven. huj. op. t. II, p. 501. Ed. — *Magno de nomine nugas*, i. e. quasi res *magno de nomine* (magni nominis) essent. *Nugæ magno de nomine* sunt speciosæ, *nomen* pro specie et magnifico titulo poni ostendit Cortius, ad Cicer. Epist. ad Div. 1, 4, 4. Ita bene Heyn. — Cæterum mirifice placet conjectura Bunemanni *magno conamine*, quæ vellem ut scriptura veteris cod. confirmaretur. Optime enim convenit ei, quod præcessit, *studio sermonis inepti*, et significat, hoc magis ineptiisse verbosam turbam, quod difficiles nugas haberet, et magno conatu multa meditaretur diu, nihil nisi frivola proferret. Quod idem reprehendit et ridet Martial. II, 86, 9 : « Turpe est difficiles habere nugas, Et stultus labor est ineptiarum ».

Est meditata diu, sed frivola multa loquuta est.
Nec mediocre fuit magni certaminis instar,
Ponere diverse, vel solvere quæque vicissim.
Ast ego ne solus fœde tacuisse viderer,
Qui nihil adtuleram mecum, quod dicere possem,

10. *Locuta* absque *est* Per. Et hujus versus scripturam et distinctionem sic mutat Heum. *Est meditata : diu sic frivola multa locuta est.* — *Sed frivola multa loquuta. Frivola* sermones inepti sunt, quos nihili æstimamus, quisquiliæ quævis. Prudentius : « Sum memor ipse mei, atque satis mea frivola novi ». Barth. Adv. XLIV, 20. Eadem voce usus Ausonius pariter ænigmata, Epist. IV, 65, vocat *mysteria frivola. Accipe*, inquit, *congestas mysteria frivola nugas.* Frivolus autem idem hoc loco est, quod supra v. 6 *delirus.* Sic et Suet. in Claud. c. 14 : « frivolus amentique similis ». Heum.

11. *Nec mediocre fuit magni certaminis instar.* Respexit, credo, versum Virgilii, Ecl. VIII, 16 : « Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum ». Sed illa formula frequens apud alios. Horat. Carm. III, 20, 7 : « Grande certamen, tibi præda cedat Major, an illi ». Calpurn. II, 9 : « Et magnum certamen erat sub judice Thyrsi ». Beda de confl. Veris et Hiem. v. 8 : « His certamen erat cuculi de carmine grande ». Add. Ovid. Her. XVI, 61 : « Di facerent, magni pretium certaminis esses ».

12. *Ponere diversa* A. Caus. et Cast. quod probat Heyn. quia syllaba *sa* ob cæsuram producitur. *Diversos* Per. *diverse* Pith. Meurs. et edit. Basueli, quod præfert Fabricius, et ego sequor. Heumannus dedit *de versu*, i. e. metrice : *vel solvere quisque vicissim* Bas. quod cur rectius putet Fabricius, non video : eod C. tamen habet *quique.* — *Ponere diverse, vel solvere quæque vicissim*, h. e. non mediocre certamen erat, quod singuli in ponendis solvendisque quæstionibus discrepabant, atque alii aliter, alius alio melius ponere et solvere volebat. Ex hac explicatione adparet, cur rectius scribi putaverim *diverse*, quam *diversa*. Nam τὸ *ponere* hac significatione fere simpliciter poni solet. Cicer. Tusc. Qu. lib. I, cap. 4 : « Ponere jubebam, de quo quis audire vellet ». *Vicissim* est per vices, vel invicem. Adposite Quintil. lib. I, 3, 11 : « Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles lusus, quum positis invicem cujusque generis quæstiunculis æmulantur ». Virgil. Ecl. III, 28 : « Quid possit uterque, vicissim Experiamur ».

14. *Qui nihil adtuleram* omnes vulgatæ : sed Heum. e cod. A. et D. dedit *adtulerim . . . possim*, quod non displicet Heynatzio. — *Qui nihil adtuleram mecum*, nihil ante meditatum et præparatum, quod *domo adferri* sæpissime dicitur Ciceroni et Quintiliano. Cicero de Senectute, cap. XI : « Venio in senatum frequens, ultroque adfero res multum et diu cogitatas ». Quintil. IV, 5, 4 : « Pleraque gratiora sunt, si inventa subito, nec domo

Hos versus feci subito de carmine vocis.
Insanos inter sanum non esse necesse est.
Da veniam, lector, si non sapit ebria Musa.

adlata, sed inter dicendum ex re ipsa nata videantur». Idem, lib. V, 13, 3: «Accusator præmeditata pleraque domo adfert: patronus etiam inopinatis frequenter occurrit». Bunem.

15. Pro *subito de carmine* Barthius Adv. XXVI, 28, emendat *subito decermine vocis*, quæ vox, a Festo explicata, est a *decerpo*. Esset igitur *quæ voce quasi festinans decerpseram*: sed offendor vocis hujus raritate et recondito intellectu, quo vix videtur usus Noster. Bunemannus malebat *subito discrimine*. Heumannus post *carmine* interpungit, et deinde emendat *voces Insanas inter*, qua correctione perit imitatio Horatii, Serm. II, 3, 40. — *Feci subito de carmine vocis*, h. e. feci, extemporali opera statim, quæ cogitassem, ore proloquens. Ita Heyn. qui *de* iterum redundare existimat. Ego vero puto positum esse pro *ex*, ut versu 1 *de carmine inepto*, et auctorem distinguere *versus factos a subito carmine vocis*, ut dicat, se versus hos fecisse de vel ex subito carmine vocis, h. e. e formula ænigmatum, quæ alii ex tempore proloquuti essent in convivio. Ego, inquit, qui nihil ipse adtuleram mecum, quod proponerem, ne solus tacuisse viderer, id mihi negotium sumpsi, ad augendam convivarum oblectationem, ut ænigmata, ab aliis voce et ex tempore prolata, in versus redigerem, et scripto consignata recitarem. *Carmen* de certa verborum formula, et de quovis enuntiato vel præcepto dici, neminem fugit. Et hac interpretatione evitatur illud, quod minus credibile est, auctorem extemporali opera centum ænigmata excogitasse simul, et singula in trinos versus coegisse.

16. *Insanos inter*. Hoc ab Horatio petitum scias lib. II, Serm. 3, 39: «Pudor, inquit, te malus angit, Insanos qui inter vereare insanus haberi»: vel e Petronii Satyrico: «doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere». Barth. Adv. XXVI, 28.

17. *Quod non sapit* A. Pith. et Basuel. quos sequuti sunt Heum. et Heyn. *quod sapit* C. *quod non capit* D. *si non sapit ebria M.* Per. *quid non capit ebria Musa?* Cast. et vulgatæ, cui ipse Castalio comparat Horatianum illud: *Quid non ebrietas designat?* Mihi præ cæteris placet lectio Perioniana, quæ et Barthio probatur Adv. XXVI, 28. — *Si non sapit ebria Musa*. Similiter Epigramma 161 libri V Anthologiæ Burm. tom. II, p. 451: «Calliope madido trepidat se jungere Baccho, Ne pedibus non stet ebria Musa suis».

ÆNIGMA I.

GRAPHIUM SIVE STYLUS *.

De summo planus, sed non ego planus in imo;
Versor utrimque manu, diversa et munera fungor;
Altera pars revocat, quidquid pars altera fecit.

* *De graphio scriptoris* A. Et sic omnes tituli in cod. A. sunt inscripti, e.g. *de arundine, de clave*, etc.

1. *De summo planus.* Duplicem styli usum, siquidem ex altera parte literas exarabant, ex altera ceram, ubi erant inscalptæ literæ, complanabant, et Aurelius Prudentius in Hymno S. Cassiani Martyris prodit his versibus: « Inde alii stimulos, et acumina ferrea vibrant, Qua parte aratis cera sulcis scribitur, Et qua secti apices abolentur, et æquoris hirti Rursus nitescens innovatur area ». Huc spectat illud Horatii: « Sæpe stylum vertas », et Cicer. « Vertit stylum in tabulis suis ». Quare legendum etiam judicavimus *versor utrinque manu;* etsi *utramque* in veteri libro sit scriptum mendose. Cast.

2. *Versor utrumque manu diverso munere fungor* A. et C. *Versor utrumque, manu diversa et munera fungor* D. *Versor utraque manu, diversa et munera fungor* E. *Versus utraque manu diverso munere fungor* Per. *Versor utrinque manu, diverso et munere fungor* Pith. et Cast. *Versus utrinque manu diverso munere fungor* Barth. Advers. XIX, 14; XXVI, 28. Heumannus e duobus Maptis recte rescripsit *Versor utrinque manu, diversa et munera fungor*, quod et habet edit. Basuel. Exempla, quibus *fungi* cum accusandi casu jungitur, e Nepote, Suetonio, Tacito adducit Heumann. Plura dedisse Bunemannus ait Thom. Bangium in Observ. Philol. p. 1054, et Sanctium Min. lib. III, c. 3, p. 340. Nihilominus ille *diverso et munere fungor* e codice omnium antiquissimo A. et C. et ed. Per. præferre vult, ex hac potissimum ratione, quia Lactantius semper *fungi* cum auferendi casu jungit in reliquis libris. Sed hanc rationem illius hypothesi condonamus. — *Utrimque.* Hanc scripturam confirmo Horatiano illo lib. I, Epist. 18, 9: « Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum ». Heum.

3. *Revocat*, delet, abradit, obliterat. Horatius: « volat irrevocabile verbum ». Cast. — Ego *revocat* malim exponere *damnat*, abolet, tollit, videturque id ductum a ludo tabulæ, in quo *revocari, reduci* calculus dicitur, qui perperam datus est. Ovid. Trist. II, 479: « Ut mage velle sequi sciat, et revocare priorem ». Fragmentum Ciceronis ex Hortensio, apud Nonium, v. Scripta: « Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet ». Similiter in Sabini Epist. II, 83, Penelope dicitur « revocare stamina noctis », i. e. abolere, tollere.

II. ARUNDO.

Dulcis amica Dei, ripis vicina profundis,
Suave canens Musis; nigro perfusa colore,

1. *Dei ripæ vicina profundæ* A. Glossa superscripsit *profundis*. *Amica ripæ* C. *Dii ripæ innata profundæ* D. *nimium vicina profundæ* E. *ripis vicina profundis* ed. Basuel. *semper vicina profundis* Pith. et Cast. *Litora semper amo ripis vicina profundis* Per. Quum plures editt. eæque primariæ, cum glossa veteris codicis, habeant *profundis*, ego præfero *ripis vicina profundis*. Et Bunemannus adnotat pluralem *ripas* a poetis frequentari de fluminibus arundinosis. Virgil. Ecl. VII, 12 : « Hic viridis tenera prætexit arundine ripas Mincius ». Add. Georg. III, 15, et Ovid. Am. III, 6, pr. — *Dulcis amica Dei*, nempe Panos, qui fistulæ pastoritiæ, quæ et *syrinx* vocatur, inventor esse dicitur; fistula autem facta ex arundine, in quam conversa est Syrinx Nympha, a Pane amata, ut narrat Ovid. Metam. I, 690 seqq. Hinc etiam fistula ut Pani sacrata et suspensa in lucis describitur a Tibullo lib. II, 5, 29, seq. et ab Optat. Porphyrio in Syringe Idyllio, quod dedimus huj. operis t. I, part. II, p. 692. Ed.

2. *Canis* E. — *Suave canens Musis*. Dion. Cato in Dist. I, 27 : « Fistula dulce canit ». Et Musas fistula canere Ausonius indicat Idyl. XX, 4: «Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget ». Et hinc Virgilius, Ecl. I, 2, carmen pastorale *silvestrem Musam* adpellat.—*Profusa* A. Glossa tamen rescripsit *perfusa*. — *Nigro perfusa colore*. Jam loquitur de calamo scriptorio, et atramento, quo utebantur Veteres ad scribendum, quod luculente testatur Persius, Sat. III, 11 seqq. « Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo. Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor, Nigra quod infusa vanescat sepia lymphs ». Apte autem dicit *perfusa*, quia *perfundere* proprie usurpatur de humore, qui defluit. Vid. æn. 6, vs. 3. — Miror autem quod in hoc ænigmate, inter varios arundinis usus omissa sit venatio. Nam *aucupium calami*, quod memoratur in epigr. a nobis tomo I huj. op. poetis Cynegeticis subjecto, intelligendum est de arundine visco obducta, et *missile* ibidem dicitur, quia plurimarum arundinum, quæ extendi poterant, sericm anceps, si avem in summo arboris culmine videret, tacita manu in altum erigebat, donec crescente earum ordine volucris corriperetur, et inhæreret visco, quo suprema arundo erat circumlita. Unde Silius, XIV, 262 : « Seu cælo libeat traxisse volucrem ». *Calamum* etiam vocat Propertius, Eleg. II, 15, 24 : « Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles Excipere, et structo figere avem calamo ». Facit huc epigramma Erycii in Anth. Gr. lib. IV, tit. 12, ep. 84, cum quo comparanda illa ejusdem Propertii, Eleg. III, 11, 43 : « Et leporem quicumque venis venarier, hospes, Et si forte meo

Nuntia sum linguæ, digitis stipata magistri.

tramite quæris avem. Et me Pana tibi comitem de rupe vocato, Sive petas calamo præmia, sive cane». Auctor Octaviæ, vs. 410, loco vexato, quem sic constituit Heinsius: «... quod sequi cursu feras Auderet acres, fluctibus tectos cavo Extraheret pisces rete vel calamo, aut brevi volucrem crate». Silius Ital. VII, 676: «Ut qui viscata populatur arundine lucos, Dum nemoris celsi procera cacumina sensim Substructa certat tacitus contingere meta, Sublimem calamo sequitur crescente volucrem». Crescentem vero calamum quem illic dicit Silius, crescentem arundinem vocat Martialis, XIV, epigr. 216, cujus inscriptio est calami aucupatorii: «Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales, Callida dum tacita crescit arundo manu». Et lib. IX, epigr. 54: «Et crescente levis traheretur arundine præda». Talem arundinem aucupatoriam Vertumno etiam dat Propertius, IV, 2, v. 33: «Cassibus impositis venor, sed arundine sumpta Faunus plumoso sum Deus aucupio». Petron. cap. 40: «Parati aucupes cum arundinibus fuerant»; et cap. 109: «Ecce per antennam pelagiæ consederant volucres, quas textis arundinibus peritus artifex tetigit». Hinc ad aucupium feminarum non invenuste transfert Pistoclerus apud Plautum, Bacchid. I, 1, 17: «Viscus merus vestra est blanditia... quia enim intelligo, Duæ unum expetitis palumbem: perii: arundo alas tetigit». Plura vide apud Burm. Anthol. Lat. tom. II, pag. 178. Ed.

3. *Digitis signata magistris* Pith. Cast. et vulg. *signata magistri* C. et Per. Heumannus emendans edidit *digitis stipata ministris*, non male, provocans ad Ovid. Trist. V, 13, 29: *Sic ferat ac referat tacitas nunc litera voces, Et peragant linguæ charta manusque vices*, et apud eumdem, III, 7, 2, *litera sermonis ministra dicitur*. Sed vid. not. — *Digitis signata magistris*. Hæc lectio vulgata esset aptissima, si de litera sermo esset, quam digiti signant scribendo (Ausonius Epist. V, 15, *digito notare* dixit ex emendatione Tollii: «An quia per tabulam digito pungnante notatam»); nunc quum de arundine, quæ non signatur, sed ducitur et dirigitur manu, probanda videtur Heumanni conjectura *stipata*, nec tamen necesse est, ut *ministris* ponamus pro *magistris*, quæ omnium librorum scriptura est. Magistri enim arundinis dici possunt digiti, qui eam dirigunt in literis ducendis, quemadmodum magister navis, qui eam regit. Et mollior clariorque fiet auctoris dictio, si scripturam sequamur codicis C. et Per. *magistri*. Magister vero hic est scribendi artifex, scriptor. Probat Colum. qui Hort. X, v. 252, de litera beta: «Pangitur in cera docti mucrone magistri». Scribo igitur *digitis stipata magistri*.

III. ANNULUS CUM GEMMA *.

Corporis extremi non magnum pondus adhæsi.
Ingenitum dicas; ita pondere nemo gravatur.
Una tamen facies, plures habitura figuras.

* *De annulo congemmato* A. *Annulus* Per. —*Annulus cum gemma. Annulum gemmatum* vocat Liv. I, cap. 11. Vulgo dicimus *annulum signatorium*. Curtius, VI, 6, 6: « Literas veteris annuli gemma obsignatas ». Idem, III, 7, 12: « Epistola obsignata annulo, cujus signum haud sane notum erat ». Heum.

1. *Non magnum pondus inhæsit* Per. et Reusn. *inhæsi* C. et Perionii secunda: *pondus adhæsi* Pith. et Cast. Heumannus edidit *non magnum corpus adhæsi*, nulla addita significatione, sitne hæc mutatio e Mspto, an ex ingenio facta. Heynazius tamen eum sequutus est. Similiter et ænig. 84, v. 3, *corpus* posuit *pondus*, quod meliores libri habent. — *Corporis extremi*, digiti, qui pars extrema corporis est. *Non magnum corpus adhæsi* scripsit Heumannus, suo aut typographi errore; nulla enim auctoritas subest. *Pondus* rectum est, et gemmæ annuli exiguum pondus vel onus adtribui solet, quod minime molestum ait, nisi molli admodum homini. Juvenal. Sat. I, 28: « Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum, Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ ». Ovid. Am. II, 15, 22: « Quodve tener digitus ferre recuset onus ». *Hærere* vel *adhærere* de annulo. Ovid. ibid. v. 13: « Elabar digito, quamvis angustus et hærens »; et v. 20: « exire negabo, Adstringens digitos orbe minore tuos ».

2. *Ingenitum dicas*, adnatum, et quasi membrum corporis, quod nulli oneri est. Ita fere Cicero de armis militis Romani, Tusc. II, 16: « Scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus: arma enim membra militis esse dicunt ». Columella Hort. 354, *Innatam lari favillam* dicit fuliginem foco vel cameræ adhærentem. —Vide notata ad h. l. supra p. 80. Ed.

3. *Servo tamen facies* A.— *Una tamen facies, ... figuras. Facies*, archetypum: *figura*, imago expressa. Gasn.

IV. CLAVIS.

VIRTUTES magnas de viribus adfero parvis.
Pando domos clausas; iterum sed claudo patentes.
Servo domum domino; sed rursus servor ab ipso.

1. *Virtutes magnas* D. et E. et Cam. *divitibus effero parva* C. *Virtutes magnas locupletibus offero parva* Per. et Schott. *Virtutes magnas de viribus adfero parvis* Pith. ed. Basuel. et Pontan. *Virtutes multas de viribus adfero parvis* Cast. et vulg. Rectnm utique *magnas*, uti patet ex opposito *parvis*, quod et adseruit Heum. — *Virtutes magnas*, res magnas, upera magna. Bunemannns addncit locum Lactantii, lib. IV, 15, 4: « maximas virtutes cœpit operari vi ac potestate cælesti ». Add. sequentia, et n. 16: « ob has virtutes et opera divina ».

2. *Pando domus* Per. et Caus. *domos* Per. 2. C. ct E. et Cam. *iterum sed claudo* vel *cludo patentes* Per. Pith. Cast. *iterumque claudo* C. *recludo* adjiciente glossa *secludo* A. *recludo* D. et ed. Bas. Hac lectione duorum codicum adductus Heumannns scribere maluit *præcludo*, nulla necessitate, qunm lectio trium editionum optime se habeat. Et *claudo* melins se refert ad *clausas*, qnam *præcludo: concludo* Cam. Heynazius probat *recludo* pro *claudo*, nt est apud Justin. I, 9, 16.

3. *Domum domino* Per. Pith. Cast. *domini* E. *rursum ... illo* Cam. — *Servo domum domino*. Horat. Carm. II, 14, 26: « vina servata centum clavibus ». Tibull. I, 1, 40: « tna si bona nescis Servare, ah! frustra clavis inest foribus ». Hinc janitores, quorum mnnus est claudere et recludere fores, *servare* et custodire domum dicuntur. Plantns Mostell. II, 2, 22: « Nemo in ædibus servat, neque qni reclndat, neqne qui respondeat ». — *Domino*, i. e. possessori: et latiore sensn *domini* animalium qnoque dicuntur. Catull. de passere Lesbiæ, Carm. III, 10: « Sed circumsiliens modo huc modo illnc, Ad solam dominam usque pipilabat ». Ovid. Am. I, 9, 24: « Et dominnm capti deseruistis equi ». Sen. Thyest. 503, de cane: « gemitn vocat Dominnm morantem ». ED.

V. CATENA.

Nexa ligor ferro, multos habitura ligatos:
Vincior ipsa prius; sed vincio vincta vicissim.
Et solvi multos, nec sum tamen ipsa soluta.

1. *Multas habitura* A. glossa tamen id statim mutante in *multos*.

2. *Sed* A. glossa substituente *sic*. Eadem glossa pro *vincta* mavult *euncta*.

3. *Sed solvi* A. et D. et E. *Et solvi* Per. Cast. Pith. et vulg. Heumannus vero reposuit *Exsolvit*, nullo usu: *nexu tamen* D. quod oppositionem ab auctore quæsitam tollit. Ed.

VI. TEGULA*.

Terra mihi corpus, vires mihi præstitit ignis,
Estque domus tecto sedes mihi semper in alto,
Et me perfundit, qui me cito deserit, humor.

* *Tegula coctilis* Per.

1. *Terra mihi est* A. — *Vires mihi præstitit*, i. e. densitatem, duritiem. Hoc sensu usurpat Lucil. Ætn. v. 408 et 548, de lapide loquens, quem Ætna coquit et ejicit. Aliis locis *robur* vocat.

2. *Est domus in alto sedes est sed semper* A. *semper in imo* C. et D. et E. et ed. Bas. *Alta domus quærit, sedes est semper in imo* Per. *Alta domus quæro, sedes est semper in imo* Per. 2. Pith. *Est domus in alto, sedes est semper in alto* Cast. cum vulg. qui tamen hunc versum pro spurio habet. Henmannus correxit *Estque domus tecto sedes mihi semper in alto* cui adsentit Heyn. nec ego refragari possum.

3. *Perfudit* A. *Ac ego perfundor, sed me* C. *Perfundor liquidis, sed me* Per. et Reusn. — *Et me perfundit.* Apte *perfundere* de humore et colore, cito deserente, tangente, non tingente, ponitur. Sen. Epist. 36: « Perbibere liberalia studia, non illa, quibus perfundi satis est, sed hæc, quibus tingendus est animus ». Epist. 110: « si illa se non perfuderit, sed infecerit ». Epist. 23: « Hæc quibus vulgus delectatur, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem ». Burm.—Addi poterat *perfundere*, quasi proprie dici de lumine. Hilarius, Carm. in Genesin, vs. 51: « Tunc oritur lux alma, Dies quæ jussa vocari Nascentem tenero perfundit lumine terram ». Virgil. Æn. VIII, 589: « Oceani perfusus Lucifer unda ». Ed.

VII. FUMUS.

SUNT mihi, sunt lacrymæ, sed non est caussa doloris.
Est iter ad cælum, sed me gravis impedit aer,
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

1. *Sunt mihi, sunt lacrymæ* Per. Pith. Cast. Pont. et vulg. Pro eo volebat Hasæus: *Sum tibi fons lacrymæ, sed non sum caussa doloris.* Sed Heumann. rescripsit *Funduntur lacrymæ;* quam emendationem Heynazius admodum jejunam existimat. Nec Bunemann. adstipulatur, cui post alias conjectnras vulgata retinenda videtur propter oppositionem *sed non est caussa*; unde videtur præcessisse *Sunt mihi, sunt.* Amat tales oppositiones auctor, ut ænig. 28: *Pluma mihi non est, quum sit mihi penna volantis.* Fortasse respexit ad Virg. Æn. I, 462: «Sunt lacrymæ rerum», ubi Taubmannus explicat, *quæ rerum adversarum caussa ab aliis ex commiseratione mittuntur.* (Conf. Servius et Cerda. ED.) Pari modo et hic verba: *Sunt mihi, sunt lacrymæ* respiciunt ad effectum, cui statim opponitur caussa. Hæc Bunem. — *Sunt mihi, sunt lacrymæ*, h. e. habeo in me lacrymas, h. e. vim eas eliciendi: fumus enim facit, ut humor ex oculis effluat; sed non habeo aliquid, quod caussa dolendi dici possit. HEYN. — Non alio sensu ab Horatio, Sat. I, 5, 80, fumus dicitur *lacrymosus*, nempe qui movet lacrymas, etsi alias lacrymosus ille est, qui multas ipse lacrymas fundit. De fumo lacrymas excitante auctor Moreti, v. 108.

2. *Est iter ad cælum.* Ovid. Art. Am. II, 37: «Restat iter cælo, cælo tentabimus ire». Idem Met. I, 170: «Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis».

3. *Et me qui genuit* F.

VIII. NEBULA*.

Nox ego sum facie, sed non sum nigra colore;
Inque diem mediam tenebras tamen adfero mecum:
Nec mihi dant stellæ lucem, nec Cynthia lumen.

* *De nube* A.

1. *Nox ego sum facie.* Forte imitatus est Ovidium, Met. I, 602: «Et noctis faciem nebulas fecisse volucres Sub nitido mirata die». BUN.

2. *Aufero* A. *Inque die media* omnes vulgatæ: sed *Inque diem mediam* E. quod expressit Heumannus, cui dictio vulgatæ non satis Latina visa est. Et sic Ovid. Am. I, 6, 44: «Pervigil in mediæ sidera noctis eras».

3. *Lucem stellæ* A. *stellæ lumen... lucem* C. *stellæ proprium... lucem* Per. et Reusn. — *Nec Cynthia lumen.* Ovid. Her. XVIII, 59: «Luna fere tremulum præbebat lumen eunti»; et v. 74: «Si dubitas, cæcum, Cynthia, lumen habes».

IX. PLUVIA.

Ex alto venio, longa delapsa ruina.
De cælo cecidi medias transmissa per auras;
Sed sinus excepit, qui me simul ipse recepit.

1. *Veniens* E. — *Longa delapsa ruina.* Pluviæ, imbres, procellæ *ruere* dicuntur, et *ruina cœli.* Virg. Georg. I, 324 : « ruit arduus æther, Et pluvia ingenti sata læta boumque labores Diluit ». Idem, Æn. I, 129 : « Fluctibus oppressos Troas, cælique ruina ». Sil. Ital. I, 251 : « Excipere insanos imbres, cælique ruinam ».

2. *Dimissa* C. *demissa* Per. *transmissa* Pith. et Cast.

3. *Excipit, qui me simul recipit ipse* A. Ad *excipit* glossa adscripsit *offendit. Excepitque sinus, qui me simul ipse recepit* Per. *Sed sinus excepit, qui me simul ipse recepit* Pith. et Cast. Heumannus veræ scripturæ vestigia sibi observasse videtur in glossa, quæ in antiquissimo codice MS. ad *excipit* adjecit *offendit.* Unde conjicit, prius scriptum fuisse *effundit*, atque hinc totum versum sic restituit : *Et sinus, effudit qui me prius, ipse recepit.* Heynzius lectionis ejus vestigiis pressius insistens rescripsit : *Et sinus effundit, qui me simul recipit ipse* (ubi forte ob metrum mutandus erat ordo verborum, *qui me recipit simul ipse*). Ego vero aliter utendum fuisse puto glossa Mspti veteris, ut sensu verbi *excepit* inde percepto, ipsam lectionem, a cæteris codicibus confirmatam, ne sollicitaremus. Glossa *excipit* exponit per *offendit*, atque adeo significat, *excipere* h. l. idem esse, ac quando quis dicitur cadenti se apponere, aut venator feram venientem excipere, h. e. obstare, obversum, contrarium esse. Sinus igitur terræ aliquis, vel lacus, intelligitur, qui pluviæ cadenti subjectus, obvius, adversus est, et dum excipit pluviam, eamdem simul recipit, quia ex humoribus, e sinu isto ad superna tractis, orta est. Aperte enim ludere voluit auctor verbis *excepit* et *recepit.* Igitur servandam duxi lectionem Pithœi et Castal. quæ hoc melior est, quod præcedenti versui optime cohæret et respondet : *De cœlo cecidi... sed me sinus excepit.—Sed sinus excepit.* Adludit poeta solis vim, qua ex fluviis humor trahitur ad superna, qui, quum pluviis denuo demittitur, recipitur et excipitur simul a sinibus, hoc est lacubus et fluviis, ex quibus antea venit, etc. Barth. Adv. XXVI, 28. *Sinus* vocabulo ad designandos lacus et fluvios usus est Noster, quia proprie *sinu, ulnis, excipi* dicuntur, quæ cadunt. Statius, Silv. I, 2, 110 : « tellure cadentem Excepi fovique sinu ». Ovid. Met. II, 68 : « Tunc etiam, quæ me subjectis excipit undis, Ne ferar in præceps, Tethys solet ipsa vereri ». Idem, Her. XV, 95 : « Huc ades : inque sinus, formose, relabere nostros ». Avien. Perieg. v. 497 : « labentem in marmora ponti Suscepere sinu ».

X. GLACIES.

Unda fui quondam, quod me cito credo futuram:
Nunc rigidi cæli duris connexa catenis,
Nec calcata pati possum, nec nuda teneri.

1. *Fui nuper* Per.

2. *Non rigidi* E. *Nec rigidi* Caus. — *Cæli duris connexa catenis.* Connecti, vinciri, adstringi aquæ dicuntur glacie, quia hac earum fluxus et cursus sistitur. Hinc *catenas* ei tribuit Noster, Horatius *compedem*, Virgilius *frenum*. Horat. Epist. I, 3, 3: « Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus ». Virg. Georg. IV, 136: « Et quum tristis hiems etiamnum frigore saxa Rumperet, et glacie cursus frenaret aquarum ». Petronius, de Mutat. Reip. Rom. 188, glaciem *undarum vincula* dicit, ubi vide notata, tom. II, pag. 106 et 107 huj. op. Ed. —Et sic apud Lyricum Nostratem, J. B. *Rousseau*: « L'hiver qui si longtemps a fait blanchir nos plaines, N'enchaine plus le cours des paisibles ruisseaux ». Eodem sensu *stringere aquas* dicitur hiems in epigr. 95, lib. V Anth. Burmann. « Strinxit aquas tenues ut glacialis hiems ». Ed.

3. *Nec calcata pati possum. Calcata* per Græcismum positum est pro *calcari*. Gesn. — *Non possum pati*, quippe minus dura, et fragilis, et secans plantas. Ponunt poetæ *pati* pro *durare*, et durare pro pati, immo *patiens* et *durus* ipsis valet idem. Propert. I, 16, 29: « Sit licet et saxo patientior illa Sicano, Sit licet et ferro durior et chalybe », ubi plura Dousa pater. Bun. — Respicit poeta glaciem in plateis jacentem, quæ ingressu hominum frangitur, qui alioquin probe noverat, etiam calcari posse flumina glacie concreta. *Durum calcavimus æquor*, inquit e Ponto rescribens Naso, Trist. III, 19, 39. Heum.

XI. FLUMEN ET PISCIS *.

Est domus in terris, clara quæ voce resultat:

* *De pluvio pisce* A. *Fluminei pisces* Per. — *Piscis. Piscem fluviatilem* vocat Curtius, VII, 4, 24. Heum.

1. *Est domus in terris*, in depressioribus terræ locis, flumen, quasi domus Nymphæ, quemadmodum Virgil. Georg. IV, 363, Nymphæ Cyrenes *domum* sub amne Peneo, lucosque *sonantes* dicit. — *Quæ nobis clausa resultat.* Auctor historiæ Apollonii Tyr. — *Voce resultat*, aquæ strepitu, qui ferit aures prætereuntium, item adjacentium. Horat. Epod. II, 27: « Fontesque lymphis obstrepunt manantibus. Heum.

Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes;
Ambo tamen currunt, hospes simul et domus una.

2. *Tacitus sed non sonat hospes.* Horat. Carm. IV, 3, 19 : « O mutis quoque piscibus Donatura cycni, si libeat, sonum ». Vide proverbium: *Pisci dixeris : pisce taciturnior.* Pisces enim nullam vocem edunt. Ed. — Jo. Pierius multa de Piscium silentio in Hieroglyphicis. Cast.

XII. NIX.

Pulvis aquæ tenuis, modico cum pondere lapsus,
Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
Flumina facturus, totas prius occupo terras.

1. *Pulvis aquæ tenuis.* Aqua in minutas tenuesque particulas, quasi pulvis, concreta frigure. Martialis, IV, 3, 1 : « densum tacitarum vellus aquarum » adpellat. — *Lapsa* E. ad *nivem* referens.

2. *Æstate pluens* A. et C. *Sole madens*, *æstate madens* D. *sicca* E. — *Sole madens.* Ex Ovidio, Her. XIII, 52 : « More nivis lacrymæ sole madentis eunt ». — *Æstate fluens.* Æstatis vox latiori hic sensu capitur, ut vernum tempus comprehendat. Loquitur enim poeta de nivo *verno sole soluta*, quam vocat Ovid. Trist. III, 12, 27. Heum. — *Æstate* et *æstus* sæpe confundi jam notavimus, et hic manifestum *æstate* opponi τῷ *frigore*, quod sequitur. Alibi *æstus* pro *æstate* contra differentiam Frontonis in epigr. 60, lib. V, Anth. Burm. editionis Scaligeranæ adnotaverat Scriverius. Sic in ep. 69 Vitalis, ibid. « Falciferamque Deam messes remorantur in æstu », i. e. in æstate. Et in ep. 37 Vomani de XII signis : « Germanique pares et Cancro jam comes æstus ». Avien. in Arat. Phæn. 612 : « Nec minus arenti quum crine adtollitur æstus », ubi nos cum Vlitio correximus *æstas*, quamquam *æstus* defendere tentet Burmann. Ed. — *In frigore siccus.* Sic Martialis l. c. « Qui siccis lascivit aquis, et ab æthere ludit ». Paulin. Nol. Carm. XXI, 18 : « siccus teneris a nubibus imber Ponitur, et niveo tellus velatur amictu ». Generatim *sicca* dicuntur, quæ sunt frigida. Ovid. Trist. III, 10, 53: « æquato siccis Aquilonibus Istro ». Lucil. Ætn. 329 : « Quamvis cæruleo siccus Jove frigeat æther ».

3. *Factura* E. — *Flumina facturus.* Sic Petronius, de Mutat. Reipubl. 189 : « Incaluere nives, mox flumina montibus altis Undabant modo nata ».

XIII. NAVIS.

LONGA feror velox formosæ filia silvæ,
Innumera pariter comitum stipante caterva;
Curro vias multas, vestigia nulla relinquens.

1. *Ferorque* E. *formunsæ* D. — *Feror velox*, i. e. velociter. Catulli phaselus, carm. 4: « Ait fuisse navium celerrimns ». *Formosæ filia silvæ* expressa est ex hoc Horatii, Carm. I, 14, 11: « Quamvis Pontica pinus Silvæ filia nobilis ». Epitheto *formosus* sæpius de silva sua, prato vel agello utitur Val. Cato, Dir. v. 27, 32, 104.

2. *Innumeris pariter comitum stipata catervis* Pith. Cast. In A. glossa adjicit: *Innumerum* ... *hominum*... *caterva*. *Innumera pariter comitum stipante caterva* C. et Per. quos sequutus est Heum. et Heyn. *Innumera pariter comitum stipata caterva* E. — *Innumera comitum stipante caterva*. Ut apud Virg. Æn. I, 501: « pulcherrima Dido Incessit magna juvenum stipante caterva ». Quos hic comites navis intelligat auctor, haud manifestum est. Qui glossam adjecit in cod. primo Anglic. videtur vectores et nautas intellexisse. Vir doctus in margine exemplaris mei ad vocem *caterva* adscripsit *piscibus*. Heynazius V. C. interpretatur de aliis navibus eodem in cursu comitantibus. Mihi videntur significari ligna et trabes, quas constipatas navis secum innumeras vehit, sicut et Paris apud Ovidium, Her. XVI, 108, de constructis navibus loquitur: « Innumerasque mihi longa dat Ida trabes ». Atque in hac sententia confirmat me Catullus, quem adeo respexisse videtur Noster, qui Carm. LXIV, v. 1, de Argo navi: « Peliaco quondam prognatæ vertice pinus Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas ». Nam hic navem exprimit per *pinus* plurali numero, innumeras scilicet in unam navem compactas, easque dicit monte Pelio *prognatas*, ut Noster *filia silvæ*.

3. *Vestigia multa* D. — *Vestigia nulla relinquens*. Petron. cap. 88: « Quum pulcherrimæ artes periissent, inter quas pictura ne minimum quidem sui vestigium reliquisset ». Vestigia hic intelliguntur, quæ durant, et diu conspicua sunt. Alias enim navis non sine vestigio vehi per undas dicitur. Avienus carm. ad Flavian. v. 6: « Spumanti dum longa trahit vestigia sulco ».—Et sic Stat. Theb. VIII, 18: « Charon umbriferæ sulcator undæ ». ED.

XIV. PULLUS IN OVO*.

Mira tibi referam nostræ primordia vitæ.
Nondum natus eram, nec eram tum matris in alvo;
Jam posito partu natum me nemo videbat.

* *Pullus* Per. qui *in ovo* omittit. Ed.

1. *Refero* C.

2. *Nec eram genetricis in alvo* A. et D. et Basuel. *nec eram jam matris* C. et E.

3. *Quum posito partu* Per. — *Jam posito partu. Ponere partum* in cæteris animalibus est perferre ad maturitatem et edere; hic quia de pullo in ovo sermo est, nato quidem, sed nondum in lucem edito, *positus partus* videtur esse collectus, compositus et formatus e genitali ovi materia, quemadmodum *ponere* interdum fingere et formare notat, ut in illo Horatii, Carm. IV, 8, 8: « Hic saxo, liquidis ille coloribus, Solers nunc hominem ponere, nunc Deum »; et in Art. Poet. v. 34: « quia ponere totum nesciet ».

XV. VIPERA.

Non possum nasci, si non occidero matrem:
Occidi matrem; sed me manet exitus idem.
Id mea mors patitur, quod jam mea fecit origo.

1. *Non possum nasci.* Fabulosam traditionem Veterum sequitur auctor, viperas perruptis visceribus et occisa matre nasci. Quam quidem Plinius, Hist. Nat. lib. X, c. 62, breviter indicat, sed Prudentius fabulosius ornat et amplificat Hamartig. v. 582 seqq. « Sic vipera, ut aiunt, Dentibus emoritur fusæ per viscera prolis, etc. »

2. *Occido matrem* C. *me sed manet* E. — *Sed me manet exitus idem.* Sic in Anthol. Lat. lib. III, ep. 61, quod ipsi supra hoc tomo inter Carm. min. de Re hortensi dedimus: « me si manet exitus idem, Hic, precor, inveniar, consumptaque tempora poscar ». Ovid. Met. XII, 121: « sit in hoc, precor, exitus idem ». Propert. III, 3, extr. « Exitus hic vitæ superest mihi ».

3. *Mors patitur id mea fecit origo* A. *Id mea mors patitur, quod* omnes editi. Heumannus tamen pro vulgato edidit *Id mea mors faciet;* quia illud nullum admittere commodum sensum existimavit. Sed vulgata lectio non modo ad sensum facilis, sed et elegantior propter oppositionem τοῦ *patitur* et *fecit* est. *Mors mea patitur*, i. e. ego moriens patior, *quod mea origo fecit*, i. e. quod ego nascens feci: me partus meus interimet, ut ego matrem meam. Ed.

XVI. TINEA.

Litera me pavit, nec, quid sit litera, novi.
In libris vixi, nec sum studiosior inde.
Exedi musas, nec adhuc tamen ipsa profeci.

1. *Litera me pavit.* Fortasse adludit ad illud Ciceronis, ad Att. IV, 10: « Ego hic pascor bibliotheca Fausti ». Similiter Horatius Epist. I, 20, 12, de libro suo: « tineas pasces taciturnus inertes ».

2. *In libris vixi.* Lepide verbis utitur, quæ proprie de literatis hominibus valent, videturque hic maxime respicere locum Horatii, Epist. II, 2, 82: « Et studiis annos septem dedit, insenuitque Libris et curis ». Ut hic *in libris*, ita *in literis vivere* dixit Cicero Epist. ad Div. IX, 26. *In libris adsiduum* vocat Ausonius Prof. XXII. — *Nec sum studiosior inde.* Nec tamen hinc majore literarum et doctrinæ studio teneor. *Studiosior* Heumannus interpretatur *doctior*, id vero loca auctorum adposita non satis declarant. Sæpius eo verbo utitur Plinius in Epistolis, eoque hominem indicat doctrinæ studia solerter et diligenter tractantem, non eum, quem proprie doctum vocamus. Lib. VI, ep. 26: « Ipse studiosus, literatus, etiam disertus »; et VIII, 12: « colit studia, studiosos amat, fovet, provehit ». — Sed *studiosus* vix absolute dici posse putat Burmannus, nisi Musarum vel simile quid, addatur: ideo hæc Ovidii, Epist. XV, 1: « studiosæ litera dextræ » explicanda censet amicæ, tibi faventis. In Anth. Lat. lib. IV, epigr. 340, vs. 2: « studiosi et bene amantes » eodem sensu. Ed.

3. *Excidi* D. *nihil hinc tamen ipsa reporto* Per. — *Exedi musas. Exedere* proprie et frequenter de *tineis*. Ausonius Prof. XXII, 3: « Exesas tineis opicasque evolvere chartas ». Claudian. in Eutr. I, 114: « miserabile turpes Exedere caput tineæ ». Et Juvencus, Hist. Evang. lib. I, v. 613, *tineas edaces* vocat. Hoc autem loco id verbum bene lectum, ut adludat ad similem Latinorum formulam, qua summam in studiis legendi discendique aviditatem designant. Dicunt enim *vorare literas*, *devorare libros*. Heumannus commode adducit duo loca Ciceronis, qui Epist. ad Att. IV, 10: « Nos hic voramus literas cum Dionysio », et lib. VII, Epist. 3: « Quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti ». — *Ipsa profeci.* Auctor primam syllabam in *profeci* contra morem vetustiorum poetarum corripuit. Quod vitium evitare cupiens scriptor codicis Perionii aliud hemistichium supposuit, quod supra indicavimus in var. lect.

XVII. ARANEA.

Pallas me docuit texendi nosse laborem.
Nec pepli radios poscunt, nec licia telæ.
Nulla mihi manus est; pedibus tamen omnia fiunt.

1. *Pallas me docuit.* Palladem nominat, quia hæc inventrix artis textoriæ perhibetur. Lactantius Inst. lib. I, 18, 24: « Minerva telam docuit ordiri ». Quæ tamen in araneam mutata est Arachne, noluit videri artem texendi a Pallade docta, ut narrat Ovid. Met. VI, 23: «scires a Pallade doctam: Quod tamen ipsa negat ». — *Texendi nosse laborem.* Catull. Carm. LXVIII, 49: « Ne tenuem texens sublimis aranea telam, Deserto in Manli nomine opus faciat ».

2. *Nec pepli.* *Pepli* seu vestes, quas conficit, *non poscunt radium* (*das Weberschiff*), quia texit sine radio, *nec* cæteræ *telæ* poscunt *licia* (*Fäden*), omnia enim licia ex sese protrahit. Heyn. — *Tela* A. *Nec telæ radios* Per. Hanc lectionem præfert Barthius, Adv. XXVI, 28, et inde emendat: *Nec telæ radios poscunt, nec licia telas*, qua vero emendatione hunc versum minime indigere putat Heum. *pedibus tantum omnia fiunt* Pith.

3. *Pedibus tamen omnia fiunt.* Ovid. Am. I, 14, 7: « Vel pede quod gracili deducit aranea filum, Quum leve deserta sub trabe nectit opus ».

XVIII. COCHLEA*.

Porto domum mecum, semper migrare parata,
Mutatoque solo non sum miserabilis exsul,

* *Testudo* Per. Hunc titulum librarius inscripsisse videtur, quia testudini æque, ac cochleæ, domus tribuitur. Phædr. II, 6, 5, de testudine: « Quæ quum abdidisset cornea corpus domo ».

1. *Porto domum mecum*, ut antiquus poeta apud Ciceronem de Divin. II, 64, vocavit *Terrigenam*, *herbigradam*, *domiportam*, *sanguine cassam*, cochleam. Hinc Columellæ Hort. v. 324, dicitur « Implicitus conchæ limax ». — *Semper migrare parata*, id est, alias sedes ad habitandum petere. Virg. Ecl. IX, 14: « veteres migrate coloni ». Heum. — Seneca, Epist. 69: « Mutare te loca, et in alium de alio transilire nolo, quia frequens migratio instabilis animi est ».

2. *Mutatoque solo... exsul.* Fere est, ut auctorem respexisse credam verba Ciceronis, Parad. IV, 12: «Quos leges exsilio adfici volunt, exsules sunt, etiamsi solum non mutarunt ». Nempe *exsulem* Gramma-

Sed mihi consilium de cælo nascitur ipso.

tici dictum volunt *a solo, quod vertit*, vel quia *extra solum patriæ missus est*. Vid. Flavius Caper de orthogr. p. 2241. Putsch. et Scaurus, p. 2262.—*Mutatoque solo*. Sic apud Ovid. Pont. IV, 15, 7, *mutare patriam*, et *patria mutari*, sæpe pro loco moveri, vel patria ejici, admonuit Heinsius. Lucanus, VI, 271: « Mutandæque juvat permissa licentia terræ »; lib. VII, 466: « nec libuit mutare locum »; VIII, 147: « cunctos mutasse putares Tellurem, patriæque solum ». Et conferatur Horatii Carmen II, 16, 19. Ed. — *Non sum miserabilis exsul*, id est, non sum miserationis aliorum indiga, nec quæ desideret auxilia aliena. Apte huc confert Bunemannus locum Lactantii, Epit. c. 28: « Quis est, qui aliquo in malo constitutus nolit esse miserabilis, ac non desideret auxilia succurrentium ».

3. *Sed mihi concilium* A. et D. *Nam mihi concilium* Pith. *consilium* C. et E. et Per. *Sed mihi consilium* ed. Basuel. *Sed mihi conchylium* Castal. et vulg. quam lectionem servavit Heumann. *consilium* edidit Heynazius, quod optimum est. Nam *conchylium* in metrum peccat; nec adparet, quomodo dici possit conchylium de cælo nasci: quamquam et *concham* subinde dictum esse tectum testudinis, ex Anonymi fab. 14 intelligitur. *Concilium* vero, quod nonnulli exhibent, vix aliud videtur, quam ipsum *consilium*, siquidem hæc vocabula persæpe permutantur a librariis. Abripit tamen hoc *concilium*, et rectum hoc loco esse putat Bunemannus, nihilque aliud denotare, quam *tegmen s. tectum mobile*, in, cum et sub quo cochlea migrans movetur. Probare id conatur ex loco Lactantii de ciliis, de Opif. cap. 10, n. 1: *Deus oculos ciliorum tegminibus occuluit*: ciliis autem nomen inditum ab antiquo verbo *cilleo*, moveo; et *concilium* ab Isidoro, Orig. VI, 16, a *cilio* derivari. Hac de sententia judicium lectori relinquo. — *Consilium de cælo nascitur*. Optima horum verborum explicatio videtur esse Jac. Sirmondi, quam e Castalionis editione secunda adfert Heumannus Pœcil. tom. II, p. 117: cochleam consilium ex cæli facie capere, et domum se recipere, quum æstas suadet aut tempestas.

XIX. RANA.

Rauca sonans ego sum media vocalis in unda;

1. *Raucisonans* A. *raucisonans ego sum: media* D. Pith. Basuel. *Rauca sonans ego sum, media* E. et Per. — *Rauca sonans ego*, i. e. ego rana, quæ rauce sonare soleo, sum *vocalis*, vocem meam exerceo, *media in unda*. Sic Virg. Æn. IX, 125: « cunctatur et amnis Rauca sonans ». *Rauca* vox etiam ranis tribuitur ab Ovidio, Met. VI, 377, ut *raucæ volucres* Virgilio, Æn. VII, 705; *raucæ cicadæ* Calpurnio, VIII, 2, dicuntur; ubi vide adnotata hujus nostri op. tom. I, p. 529. Ed.

Sed vox laude sonat, qua se quoque laudet et ipsa:
Quumque canam semper, nullus mea carmina laudat.

2. *Quasi se quoque laudat* A. *quasi se quoque laudet et ipsa* C. et Per. *quasi quoque laudet in ipsa* D. et E. Hasæus corrigere volebat: *Sed vox laude vacat, qua se collaudet et ipsam.* Heumannus contra omnem codicum consensum versum secundum et tertium transponit, eosque ita legit: « Quumque canam semper, nullus mea carmina laudat: Sic vox laudet caret, quæ se laudaverit ipsa ». — *Sed vox laude sonat, qua se quoque.* Sed vox ea, dum eumdem sonum identidem jactat, nihil nisi laudem sonare videtur, qua semet ipsam quoque collaudare velit. Hoc sensu Ovid. Met. VI, 97: « Ipsa sibi plaudit crepitante ciconia rostro ».

XX. TESTUDO.

Tarda gradu lento, specioso prædita dorso,
Docta quidem studio, sed sævo perdita facto,

1. *Specioso prædita dorso* Per. Cast. Pith. Heumannus rescribere maluit *spatioso*. Etiam Barthius sic recitavit hoc epigramma Adv. XLII, 23, nisi hæc culpa typographi est. Sed *specioso* omnes codices habent, et Camerarius etiam in suo legit, qui in versione Græca, quam Reusnerus, p. 260, exhibet, ποικιλόνωτος interpretatur. — *Specioso prædita dorso. Testudinis Indæ terga* vocat Lucan. X, 121. *Speciosum dorsum* recte tribuitur testudini, quia putamen ejus varium et maculosum est, et in laminas sectum vestiendis ornandisque foribus ædium, lectis aliisque rebus adhibebatur. Vid. Bronckhus. ad Tibull. III, 4, 37. Hinc varia, pulchra, picta vocari solet. Virg. Georg. II, 463: « Nec varios inhiant pulchra testudine postes ». Martial. XII, 66, 5: « Gemmantes prima fulgent testudine lecti »; et XIV, 87: « Accipe lunata scriptum testudine sigma »; ubi *gemmantes* idem sunt ac maculosi vel oculati, *scriptum* est pictum.

2. *Senio prædita facto* A. *duro prodita fato* C. et Per. *sævo prædita fato* Cast. et Pith. ubi *prædita* non bene repeti e versu priore videtur. Hinc *sævo perdita fato* Heum. et *sævo prodita fato*, h. c. in lucem edita, Heynaz. Mihi præ cæteris placuit *sævo perdita facto* — *Docta quidem studio, sed sævo perdita facto.* Etsi non nego *prædita fato*, vel *prodita fato* recte dici ab auctore potuisse, optime tamen ad sensum et nexum verborum convenire videtur lectio, quam codex primus Anglic. partim et alii, suggerunt, *sævo perdita facto.* Sic enim sententia duobus versibus bene connexa fluit: *Studio* quidem hominum, qui me fidibus aptantes lyram fecerunt, factum est, ut *docta* dici possim (sic enim Propert. II, 25, 79: « Tale facis carmen docta testudine »); sed quia cum in finem *sævo facto perdita*,

Viva nihil dixi, quæ sic modo mortua canto.

h. e. per sævitiam excisa et exenterata sum, hinc « Viva nihil dixi, quæ sic modo mortua canto ». Videturque mihi auctor, ita loquens, ad locum Pacuvii, ænigmati similem, apud Cicer. de Divin. II, 64, respexisse, ubi testudo, cithsræ apta, vocatur *eviscerata, inanima*.

3. *Quæ sum modo mortua, canto*, legendum censuit Gesnerus. Duorum versuum verba Heumannus præter necessitatem sic transposuit: « Viva nihil dixi; sed sævo perdita fato, Docta fui studio, quæ sic modo mortua canto ». — *Sic modo mortua canto*. Simile fatum asini narratur apud Phædrum, lib. III, fab. 20, quem Galli circum ducebant «bajulantem sarcinas. Is quum labore et plagis esset mortuus, Detracta pelle, sibi fecerunt tympana ». Et Plautus Asin. I, 1, 22, *mortuos boves* vocat lora ex pellibus bubulis facta.

XXI. TALPA.

Cæca mihi facies, atris obscura tenebris.
Nox est ipse dies, nec sol mihi cernitur ullus.
Malo tegi terra; sic me quoque nemo videbit.

1. *Cæca mihi facies*. Virg. Georg. I, 183: « Aut oculis capti fodere cubilia talpæ ». — *Atris tenebris*. Hæc sæpe conjunguntur. Anth. Lat. lib. IV, ep. 348, v. 2: « Quæ caruit luce, et tenebris se miscuit atris ». Sed frequentius *tenebræ* de umbris mortis dicuntur; unde tenebris se miscere, in tenebras rapi, et sim. de iis, qui tenebrosas Ditis ingrediuntur domos. Sic ibid. in epitaphio Vernæ: « quis, ah! quis ab aura In tenebras rapuit perditus? » In epitaphio Nymphii, apud Pith. pag. 126: « Calcavit tristes sancta fides tenebras ». Eucharis Licinia, Anth. Lat. loc. cit. ep. 353: « Bis hic septeni mecum natales dies Tenebris tenentur, Ditis æterna domo »: apud Donium, Cl. 11, n. 183, p. 108: « Si sacri Manes, hic jaceo in tenebris ». Seneca Hercul. fur. vs. 280: « Emerge conjux, atque dispulsas manu Abrumpe tenebras ». Ed.

2. *Nox est ipsa dies* C. et Per. *ipse dies* Pith. et Cast. quod malo. *Non est* D. — *Nox est ipse dies*, h. e. ipse dies mihi instar noctis, non lucidior, quam nox est. Tale est illud Maximiani, Eleg. I, 149: « Eripitur sine nocte dies », scil. propter cæcitatem. — *Nec sol mihi cernitur ullus*, i. e. a me, quomodo Virg. Æn. I, 440: « Infert se septus nebula; neque cernitur ulli ».

XXII. FORMICA.

PROVIDA sum vitæ, duro non pigra labori,
Ipsa ferens humeris securæ præmia brumæ,
Nec gero magna simul, sed congero multa vicissim.

1. Totum hoc ænigma fere lectum et constipatum est e formulis antiquiorum poetarum. — *Provida sum vitæ*. Horat. Serm. I, 1, 35: « formica... haud ignara ac non incauta futuri ». Virg. Georg. I, 186: « inopi metuens formica senectæ ». — *Duro nec* (glossa adscripsit *non*) *pigra labore*, ad quam vocem glossa adlevit *labori* A. *duro non pigra labori* C. et D. et E. et Per. et Pith. et Basuel. *sed non sum pigra labore* Cast. et vulg. — *Duro non pigra labori*, i. e. ad durum laborem subeundum. Horat. l. c. v. 33: « parvula.... magni formica laboris ». Ovid. Met. VII, 656: « parcumque genus, patiensque laborum, Quæsitique tenax, et qui quæsita reservent ».

2. *Ipsa ferens humeris*. Expressum e Virgil. Æn. IV, 406: « prædamque per herbas Convectant calle angusto: pars grandia trudunt Obnixæ frumenta humeris ». Huc etiam facit locus Ovidii, Art. Am. I, 94: « Ut redit, itque frequens longum formica per agmen, Granifero solitum quum vehit ore cibum ». — *Secuturæ præmia* A. *humeris, brumæ quæ incommoda vincant* Per. Hæc glossa et explicatio videtur esse lectionis aliorum, quæ multo elegantior est, *securæ præmia brumæ*, pro *duro mense brumali*, inepta et barbara lectio C. *prævia brumæ* Pith. — Et sic se conjecisse dicit Burmann. Anthnlog. Lat. lib. II, pag. 455, confirmatumque invenit a Leidensi, et antiquissimo Salmasiano cod. ab Heinsio collatis. ED. — *Securæ præmia brumæ*. *Præmia* dicuntur copiæ, lucra, prædæ, emolumenta, quæ labore, bello, commerciis quæsita sunt. Vid. notata ad Sulpiciæ Sat. v. 31, et ad Lucilii Ætn. v. 617. *Secura bruma* est, quæ sine cura et sollicitudine paratis et ante quæsitis utitur. *Otia tuta* adpellat Horat. l. c. v. 31, et in Bedæ confl. Ver. et H. v. 32, Hiems de se: « Sed placet optatas gazas numerare per arcas, Et gaudere cibis simul et requiescere semper ».

3. *Sed effero magna* E. *Nec gero multa simul, sed congero magna vicissim* ed. Basuel.—*Sed congero multa vicissim*. Sic apud Phædr. IV, 23, 13: « Ego granum in hiemem studiose congero », et Horatio l. c. v. 32, *congesta cibaria* dicuntur. *Vicissim*, h. e. per vices, iteratu, sæpe, quod Ovid. l. c. exprimit: « redit itque frequens formica ».

XXIII. MUSCA.

Improba sum, fateor; quid enim gula turpe veretur?
Frigora vitabam, quæ nunc æstate revertor;
Sed cito submoveor falso conterrita vento.

1. *Improba sum*, h. e. impudens, importuna. Sic et Phædrus, V, 3, 8, de musca: « contempti generis animal improbum ». — *Quid enim gula turpe veretur*. Talis formula Juvenalis, VI, 299: « quid enim Venus ebria curat? » *Gula* pro voracitate et ingluvie vulgatum est, proprie de musca adhiberi non potest, quæ non gula, sed proboscide utitur.

2. *Quæ tunc* Per. *revertar* D. *quæ nunc* Cast. et Pith. — *Frigora vitabam*, etc. Apud Phædrum, IV, 23, 18, formica ad muscam: « Æstate me lacessis; quum bruma est, siles; Mori contractam quum te cogunt frigora ».

3. *Sed cito commoveor falso* A. et C. et Per. *submovear, falso* D. ed. Basuel. *submoveor, falso* Pith. *facto conterrita* correxit Castal. provocans ad Terent. Eun. III, 5, 47: « ventulum huic sic facito ». Sed huic scripturæ quinque cod. contradicunt, neque animadvertit Castalio, *falso* hic loci esse haud paullo venustius, idemque ac Terentianum *facto* significare. — *Sed cito submoveor*, quod *abigere* dixit Phædr. l. c. v. 15: « nempe abigeris, quo venis ». *Falso vento*, qui non fit natura, sed manu et opere, nam gestus manus abigentis significatur; et talis est *ventulus flabello factus* apud Terent. Eun. III, 5, 47. Sic Ovidio, Trist. III, 11, 40, æneus Phalaridis taurus dicitur *falsus bos*, Claudiano Cons. Prob. v. 238, *falsus olor*, cujus formam induit Jupiter.

XXIV. CURCULIO *.

Non bonus agricolis, non frugibus utilis hospes,
Non magnus forma, non recto nomine dictus,

* *De Curculione* A. *Curculio* C. *Gurculio* Per. Pith. Cast. Pro vulgato Heumannus et Heynazius scripserunt *Curculio*. Est autem curculio vermiculus grana frumenti exedens. Gall. *Charençon*, *Calendre*.

1. *Non bonus agricolis*, i. e. non aptus, gratus, utilis hospes, ut *optima frumentis terra*, Virg. Georg. II, 205, et *bona bello cornus* Georg. II, 447. — *Nec frugibus* Per. — *Non frugibus utilis*, i. e. perniciosus. Virgil. Georg. I, 185: « populatque ingentem farris acervum Curculio », quæ verba imitatur Prudent. in Symm. II, 1052.

2. *Nec... nec* C. et Per. *non certo nomine dictus* ed. Basuel. — *Non re-*

Non gratus Cereri, non parvam sumo saginam.

cto nomine dictus. Forte quia rectius *curculio*, quam *gurgulio* scribitur. Sed mihi ipse non satisfacio. Gesn. — Hoc est, quum tam parvulus sim vermiculus, haud sane recte inditum mihi est nomen quadrisyllabum. Scilicet *conveniunt rebus nomina sæpe suis.* Heum. — Mihi ita videbatur: Quoniam *Gurgulio* inscriptum est ænigma, videtur auctor id vocabulum e *gurges* et *gula* compositum, aut eo ad gurgites et gulones adlusum putasse quomodo vocari solebant homines prodigiose voraces, quorum gula quasi *gurges* et *vorago patrimonii* esset, ut adpellat Cicero, orat. pro Sext. c. 52. Sed qui tanta voracitate est, ut possit gurges vocari, is videtur majore forma et corpore esse debere, quam ille vermiculus curculio est. Hinc poetæ sententia est: quia *non magnus forma*, hinc *non recto nomine* gurgulio, quasi *gurges* et *gula*, dicor. Optime rem conficeret, si certa esset, lectio Basneli, « non certo nomine dictus ». Tum enim significaret, incertum esse, gurgulio, an curculio dicendus sit.

3. *Summo saginam* A. *Nec gratus tritici, sed multa vivo sagina* C. *Nec gratus Cereri, sed multa vivo sagina* Per. *non parvam sumo saginam* Cast. Pith. *insumo saginam* scripsit Heum. — *Non parvam sumo saginam. Sagino* est copia ciborum ingesta. Unde Juvenal. IV, 67: « stomachum laxare saginis ». Quemadmodum igitur *cibum sumere* vulgo dicitur, ita et *sumo saginam* rectum est; nec debebat ab Heumanno reponi *insumo*. Loquitur autem de sumendo cibo, quia hospitem ante vocaverat: qui quidem hic importunus *non parvam saginam sumit*, sed e contrario *cibi non multi hospes* dicitur a Cicer. Epist. ad Div. IX, 26, extr.

XXV. MUS.

Parva mihi domus est, sed janua semper aperta.
Exiguo sumptu furtiva vivo sagina.
Quod mihi nomen inest, Romæ quoque consul habebat.

1. *Porvo mihi domus est. Cavum* adpellat Horat. Serm. II, 6, 81 et 116.

2. *Furtivis nutrior escis* P. *furtiva vivo sagina* Pith. Cast. Hæc verior lectio videtur, quam Per. quæ glossam sapit, sicut idem æn. 36 pro *virides exspecto saginas* supposuit *pastus exspecto virentes.* — *Furtiva vivo sagina. Furtiva* dicuntur, quæ clam, latenter et precario fiunt. *Furto vivere* dicit auctor elegiæ de Spe, v. 34; « furtiva procerum supplicia » Vestr. Spurinna, II, 12; *furtivos colores*, Horat. Epist. I, 3, 20.

3. *Quod mi nomen* A. *Trojæ quoque consul* D. — *Romæ quoque consul habebat.* Immo duo consules (uterque Decius, pater et filius). Res nota vel ex Floro, Hist. Rom. I, cap. 14, n. 1, et cap. 17, n. 7. Heum.

XXVI. GRUS.

LITERA sum cæli penna perscripta volanti,
Bella cruenta gerens volucri discrimine Martis,
Nec vereor pugnas, dum non sit longior hostis.

1. *Litera sum cæli.* Ad hæc verba in primo Anglicano codice hæc glossa legitur adscripta : « Grues enim ordine literato in aere volant». Martialis, lib. IX, ep. 14, ad Earinum : « Nomen habes, inquit, Quod penna scribente grues ad sidera tollant ». Idem, lib. XIII, ep. 75, de gruibus : « Turbabis versus, nec litera tota volabit, Unam perdideris si Palamedis avem ». Scilicet quum « grues æstiva relinquunt, et tepido permutant Strymona Nilo, Ordinibus variis per nubila, texitur ales Litera, pennarumque notis inscribitur aer », ut Claudianus canit de bello Gild. v. 474 seqq. HEUM. — *Pennas per scripta volantes* Per. et Schott. *penna perscripta volantis* Pith. et Cast. Bochart. Hieroz. part. II, lib. I, cap. 11, ubi hunc versum illustrat, recte conjicit, genitivum *volantis* mutandum in ablativum : *volante*, et *volanti* ediderunt Heum. et Heyn.

2. *Bella cruenta gerens.* Innuit poeta fabulam Homericam de Pygmæis eum gruibus belligerantibus, quam et Plinius paucis memorat Hist. Nat. lib. IV, c. 11, et lib. VII, c. 2. HEUM. Dixi jam pridem ad Rutil. Itin. I, 291. — Fabula autem hæc origine deducta a Gerana, Pygmæorum regina, quæ a Junone propter spretæ formæ injuriam in Gruem versa, æternum dein cum sua ipsius gente bellum gessit : quam tangit Ovid. Metam. VI, 90, ubi vid. not. ED. — *Volucris discrimina* Per. et Schott. — *Volucri discrimine Martis*, i. e. eo discrimine, quod faciunt volucres, vel quod fit volando. *Discrimen* autem non de ancipiti periculo prælii, sed magis proprie de diviso et in duo cornua discreto agmine, quo volare, atque adeo pugnare grues solent, accipiendum videtur, ut « agminum discrimina atque ordinem » dixit Curtius, IV, 12, 20. Similiter in Nemesiani fragm. de Aucupio, vs. 15, « volucres figuræ » sunt literæ, volucris formam vel volatum referentes, vel quæ volando figurantur. Conf. not. edit. hujus tom. I, p. 183. ED.

3. *Dum non sit longior hostis*, id est, dummodo hostis æqualis sit staturæ, nec me grandior. Innuuntur Pygmæi, « quorum qui longissimi sunt, non longiores esse *dicuntur*, quam pedes duos et quadrantem », teste Gellio, lib. IX, cap. 4. Plinius, lib. VII Hist. Nat. cap. 2 : « Pygmæos *ait tradi* ternas spithamas longitudine non excedere ». HEUM. — Satirice rem auget Juvenal. Sat. XIII, 173, de iisdem loquens : « ubi tota cohors pede non est altior uno ».

XXVII. CORNIX.

Vivo novem vitas, si me non Græcia fallit,
Atraque sum semper nullo compulsa dolore,
Et non irascens ultro convicia dico.

* *De cornice* A. *Cornicula* habet Cast. et vulg. *Cornix* C. et Per. et Pith. quos sequutus sum.

1. *Vivo novem vitas.* Nempe vitas vel ætates hominum. Vitam autem hominis ad sæculum usque produci posse putabant. Ovid. Am. II, 6, 35: « Vivit et armiferæ cornix invisa Minervæ, Illa quidem sæclis vix moritura novem ». Ausonius, Idyll. XVIII, de æt. anim. v. 2: « Hos (viros) novies superat vivendo garrula cornix ». Unde *annosam cornicem* dicit Horat. Carm. III, 17, 13, et *vetulam* IV, 13, 25. — *Si me non* Per. et Pith. *si non me* Cast. *si me non gratia* A. et C. — *Si me non Græcia fallit.* Respicit Hesiodum, qui de ætatibus animantium luserat aliquo in carmine suo, quod intercidit, sed e quo versus quinque Plutarchus recitat libro de Oraculorum defectu. Plinius, Hist. Nat. lib. VII, cap. 48: « Hesiodus fabulose, ut reor, cornici novem nostras adtribuit ætates ». —Hæc comparari possunt cum illo Ausonii in Gripho ternario, v. 14, infra producendo: « Et toties trino cornix vivacior ævo, Quam novies terni glomerantes sæcula tractus Vincunt æripedes ter terno Nestore cervi ». Cervorum et cornicum longævitatem præ angustis vitæ humanæ spatiis passim veteres efferunt poetæ. Id pulchre Flaminius, Carm. lib. I, ad immaturum puellæ obitum transtulit: « Crudelis, implacabilis, Iniqua mors, cornicibus Tam longa parcis sæcula: Et huic puellæ tam cito Manus rapaces injicis ». Plura vide apud Rittershus. ad Oppian. Cyneg. II, pag. 291, seq. Davis. ad Cic. Tuscul. I, 31; III, 28, etc. Ed.

2. *Utraque* D. et Pith. et habebat codex Castalionis, qui correxit *Atraque. Veraque* E. *Nomen habens atrum nullo* A. et C. *Nomen habens atrum nullo compulsa dolore* Per. *compulsa dolore* D. et E. et Pith. *nullo complexa dolore* Cast. quem sequutus est Walch. — *Atraque sum semper.* Ad illud respexit, quod atrati cognatorum funus prosequebantur. Cast. — Sic Propert. IV, 7, 27: « Denique quis nostro furvum te funere vidit? Atram quis lacrymis incaluisse togam? »

3. *Ultro convicia dico.* Poeta noster ludit ambiguitate vocabuli. *Convicia* enim sæpe sunt clamores contumeliosi. Haud raro tamen eadem vox generaliori accepta sensu quemvis clamorem signat. Heum. — Ovid. Met. V, 677: « nemorum convicia picæ ». Vid. not. nostr. ad Saleii Bassi Carm. v. 258 (nost. ed. t. III, p. 269. Ed.), et ad Colum. Hort. v. 12 (huj. volum. p. 29. Ed.)

XXVIII. VESPERTILIO.

Nox mihi dat nomen primo de tempore noctis.
Pluma mihi non est, quum sit mihi pinna volantis.
Sed redeo in tenebris, nec me committo diebus.

1. *Vix mihi dat* ed. Basuel. — *Primo de tempore noctis*, id est, de vespere. Ovidius in fabula de Mineidibus in vespertiliones mutatis, Metam. IV, 415 : « Nocte volant, seroque trahunt a vespere nomen ». Atque ex hoc loco Ovidii reliqua descriptio vespertilionis petita videtur.

2. *Pluma mihi non est, quum sit.* Lueulentius hæc exponit Ovidius l. c. v. 407 : «tenuis membrana per artus Porrigitur, tenuique inducit brachia penna... non illas pluma levavit, Sustinuere tamen se perlucentibus alis ». Plinius, Hist. Nat. lib. X, cap. 81 : » Volucrum animal parit vespertilio tantum, et membranaceæ pinnæ uni »; nbi Harduinus explicat : « membranæ coriaceæ pennarum vice ». De *penna* et *pinna* consule Vossii Etymolog. et Pierium et Taubmannum ad Virg. Georg. III, 372. Bunem. — *Pinna volantis* D. quod melius, quam *penna* cæterarum. — *Penna* enim sine plumis constare nequit. Ed.

3. *Sed redeo in tenebris* A. et C. et D. et Per. et Basuel. quam lectionem probat Heynius. *Sed sedeo* Pith. et Cast. pro quo Heumannus rescribendum duxit *Desideo*, æque male. Falsum nempe est vespertiliones in tenebris *sedere* vel *desidere*. Bunemannus igitur geminam emendationem tentavit : unam e scriptura quatuor codicum *sed redeo in tenebris* fingi posse putat *Credo me tenebris, nec me committo diebus*, additque versum Ovidii, Met. IV, 626 : « Jamque eadente die veritus se credere nocti » : alteram e lectione vulgata *sed sedeo* ducit, pro qua reponit *Nec sedeo in tenebris*, id est, non deliteo deses tempore vespertino, sed circumvolito, etsi lucifuga luci dierum non me ausim committere. *Non me committo* scribit Per. *nec ... movebo diebus*, cum lacuna, ed. Basuel. quæ forte voluit *nec castra movebo*, id est, procedam, migrabo, consueta dictione proverbiali. Vid. Lneil. Ætn. vs. 607, et Epithalam. Ausp. vs. 54. — *Committo diebus.* Ita Catullus, Carm. LV, 16, ex lect. Scalig. « Audacter committe, crede luci ». Propert. III, 16, 5 : « Quid faciam? obductis committam mene tenebris? » Bunem.

XXIX. ERICIUS.

Plena domus spinis, parvi sed corporis hospes,
Incolumi dorso telis confixus acutis;
Sustinet armatas segetes habitator inermis.

1. *Plena domus spinis.* Domus est de pelle vel dorso ericii accipienda, sicut ænigm. 18 et 20. Nemesianus, Cyneg. vs. 57, vocat « spinosi corporis erem ».

2. *Confixus acutis* A. et C. Per. et Pith. *completus* Cast. et vulg. — *Confixus acutis... armatas segetes.* Lectionem hanc e pluribus codicibus constitutam firmat imitatio Virgilii, Æn. III, 45: « Confixum ferrea texit Telorum seges, et jaculis increvit acutis ». *Seges* poetis vocari solet omnis rerum juxta se positarum densa et continuata multitudo, ad speciem culmorum. Claudian. de Cons. Mall. vs. 317, *segetem ahenam* vocat seriem calamorum æreorum in organo hydraulico, *nudi segetem Mavortiam ferri* cohortes armatorum, in III Cons. Hon. v. 135. In Ovidio, Met. III, v. 110: « seges clypeata virorum »; et in Plauto, Aul. I, 1, 6: « stimulorum seges ». Idem plane de Hystrice canit Claudian. Idyll. II, 11: « stat corpore toto Silva minax, jaculisque rigens in prælia crescit Picturata seges ».

3. *Armatus* C. *segetes* A. Per. et Pith. *sedes* Cast. et vulg. Pro *habitator* Schottus corrupte edidit *Calitator.* — *Inermis*, nempe nullis aliis armis instructus. Ed.

XXX. PEDICULI*.

Est nova notarum cunctis captura ferarum,

* *Peducla* Per. *Pediculus* Per. 2 et Pith. *Piscator et pisciculi* Cans. *Pediculi* Cast. — *Pediculi.* Vetustius auctore nostro hoc ænigma est. Tradit enim Herodotus in vita Homeri, accessisse ad hunc poetarum regem pueros quosdam piscatores, eique explicandum obtulisse hunc ænigma: « Nos, quæcumque cepimus, reliquimus, quæ vero non cepimus, nobiscum portamus ». Deinde sua ipsosmet sensa exponentes dixisse, se, quum piscium nihil capere possent, desidentes in sicco pediculos esse venatos; et horum quotquot cepissent, abjecisse; quos autem non invenissent, domum retulisse. Addit Herodotus, fuisse, qui traderent, Homerum ænigmatis hujus perplexitate enectum occubuisse: quos quidem ait in errore versari ridiculo. Heum.

1. *Nova nostrarum* Per. Pith. Cast. pro eo Heumannus et Heynaz. recte rescripserunt *notarum*, quia pediculi sunt sane *feræ cunctis notæ*, *cunctis nostrarum* D. et E. *captio ferarum* F. — *Est nova*, id est,

Ut, si quid capias, id tu tibi ferre recuses,
Et, quod non capias, tecum tamen ipse reportes.

vulgo non usitata, sed prorsus paradoxa venatio. Sic Cicero Orat. pro Lig. cap. 1 : « Novum crimen, et ante hunc diem inauditum ». Heum. — Notavi jam dudum hanc significationem *novi* ad Eleg. VII, v. 4 (huj. op. tom. II, p. 263. Ed.) Servius ad Virg. Ecl. III, vs. 86 : « Pollio et ipse facit nova carmina », *nova* interpretatur *magna et miranda*. Add. Horat. Carm. II, 15, 20 : « Templa novo decorare saxo », id est, vulgo inusitato.

2. *Si quid* A. et C. et D. et Per. et Pith. *si quad* Cast. *et tu* Per. *sed tu tibi* D. et E. *id tu tibi* Pith. et Cast.

3. *Capies* D.

XXXI. PHŒNIX.

Vita mihi mors est; morior, si cœpero nasci;
Sed prius est fatum leti, quam lucis origo.
Sic solus Manes ipsos mihi dico parentes.

1. *Vita mihi mors est.* Pariter Lactantius in majori carmine de Phœnice, v. 166 : « Ut possit nasci, hæc adpetit aute mori ». Ibid. v. 78 : « Nam perit, ut vivat, se tamen ipse creat »; vs. 92 : « exsequiis immoritura suis ». Heum. — *Moriar* E.

2. *Fatum læti* A. *fatum leti* C. et Cam. *fatum lethi, quam* Per. et Pith. Hæc lectio, pluribus codicibus confirmata, genuina esse videtur, et præferenda vulgatæ *fatum, lætæ quam lucis*, quæ a Castalione profecta est : *est factum* D. *loca quam lucis* E. — *Manes mihi dica parentes*. Alii habent et colunt Manes patrios, Manes parentum, qui olim genuerunt, nuue decesserunt : ego solus ab ipsis Manibus generatus, h. e. per mortem ortus sum. *Manes* pro ipsa morte, haud infrequens. Statius, Theb. VII, 761 : « instantes quonam usque morabere Manes »; et XI, 563 : « nondum ille peractis Manibus, etc. » i. e. morte nondum consequuta. Similiter Claudianus Phœnicis « fecundam mortem, et rogum parturientem » dicit de Phœnice, v. 25 et 62.—Et auctor Carm. in laudem Solis Phœnicem dicit *reparatum busti favillis*, v. 29. Ed.

3. *Solos manes* Per. Pith. Cast. et Basuel. *solus* A. et D. quod recte posuerunt Heum. et Heyn. *mares* P. *mihi duca parentes* Pith. et Basuel. Reusneri editio, quam credo Perionii primam referre, huic ænigmati de Phœnice aliud subjungit, quod tamen Perionii edit. ann. 1537, quam pro secunda habeo, non tenet. Nescio igitur, utrum pro genuino auctoris, an pro additamento librarii habendum sit. Ipsum hic subjicio : « Nec sum, nec non sum, morior simul atque renascor; Præbet et interitus teneræ primordia vitæ : Sumque mihi leti et redeuntis originis auctor ».

XXXII. TAURUS.

Moechus eram regis, sed lignea membra sequebar;
Et Cilicum mons sum, sed non sum nomine solo;
Et vehor in cælis, et in ipsis ambulo terris.

1. *Nec bos regis eram* Cod. vet. quem Heumannus oblitus est signare. — *Mœchus eram regis*. Minois, cujus uxor Pasiphae tauro se commiscuit, forma lignea bovis inclusa. Propert. II, 23, 113 : « Uxorem quondam magni Minois, ut aiunt, Corrupit torvi candida forma bovis ». — *Sed lignea membra sequebar*. « Mentitæ lignea monstra bovis » vocat Propert. IV, 7, 58. Idem, III, 17, 12 : « abiegnæ cornua falsa bovis »; Ovidius, Art. Am. I, 325 : « vaccam acernam ». Conf. Excurs. ad Rufini carmen de Pasiphae, huj. op. t. II, p. 449. Ed. — *Sequebar*. Indicat amorem. Virg. Ecl. VI, 49, de ipsa Pasiphae : « At non tam turpes pecudum tamen ulla sequuta est Concubitus »; et v. 55 : « Aut aliquem in magno sequitur grege ». Conf. Ecl. II, v. 63 seqq. Burm.

2. *Et Cilicum* A. et E. Pith. et Cam. *Cilicium* C. *Cælicum* D. *Cilicus* Cast. et al. *sed mons sum nomine solo* A. et E. *sed non sum nomine solo* Pith. et Cast. et alii : quam lectionem sine justa caussa deseruit Heumann. *sed non hoc nomine solo* scribens. *Et Cilicum immensus mons sum, et mons nomine solo* Per. — *Cilicum mons sum*. Sic etiam Ovid. Met. II, 217 : « Ardet Athos, Taurusque Cilix, et Tmolus et Œte ». Tibull. I, 7, 16 : « Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas ». Sil. Ital. XIII, 882 : « Hinc Cilicis Tauri saxosa cacumina viset ».

2. *Non sum nomine solo*, i. e. solo nomine Tauri, sed nomine vario. Nempe Taurus mons, ut Plinius, Hist. Nat. lib. V, c. 27, docet, « numerosis nominibus et novis, quacumque incedit, insignis est, etc. » et Priscianus Perieg. v. 639 (hujus op. tom. IV, p. 342. Ed.) : « Non tamen est unum montis cognomen ubique, Sed varii flexus variantur nomine multo », ubi vid. not.

3. *In cælo, sed in* D. et E. et Cam. — *Et vehor in cælis*. Virg. Georg. I, 217 : « Candidus auratis aperit quum cornibus annum Taurus ». Heu. — Beda, de Mensibus : « Maius Agenorei miratur cornua Tauri ». Auson. in Eclogario, p. 550 : « Inde ad Agenorei festinans cornua Tauri, Scandit Lanigeri tropicum Sol aureus astrum ». In fragm. Prognost. Germanici, quod tom. præced. dedimus : « Hinc et Agenorei stellantia cornua Tauri ». Agenoreum bovem vocat Ovid. Fast. VI, 712. In epigr. Basilii de signis : « Corrigeri ductor gregis, Europæ quoque vector ». Manil. II, 489 : « sic quondam gesserat ante Europam dorso retinentem cornua læva ». Europa, Agenoris filia, ut notum. Ed.

XXXIII. LUPUS.

Dentibus insanis ego sum, qui vinco bidentes,
Sanguineas prædas quærens, victusque cruentos;
Multa cum rabie vocem quoque tollere possum.

1. *Dentibus insanguis* D. et Pith. — *Dentibus insanis ego sum*, i. e. insanio, sævio dentibus, « qualis per arva Libycus insanit leo », Senec. OEd. v. 919. Sic *insana fames* Lucan. VII, 413; *insani ungues* Ovid. Ib. v. 601. *Dentibus* adludit ad *bidentes*, quæ sunt oves. Ovid. Trist. I, 1, 78: « si qua Excussa est avidi dentibus agna lupi ».

2. *Quærens prædas* Per. *rictusque cruentos* C.

3. *Multaque* E. *Mixtaque cum rabie: vocem* A. *Mixtaque cum rabie corpus* C. *Mixta et cum rabie vocem quoque tollere novi* Per. *Multa cum rabie vocem quoque tollere possum* Pith. et Cast. Post *rabie* punctum figit Heum. et verba eo ad priora *victusque cruentos* trahit, auctoritate codicis A. Sed eum non sequutus est Heyn. — *Multa cum rabie vocem quoque tollere possum*. Vocem, clamorem tollere vulgo dicuntur, qui ira et rabie concitantur. Horat. Art. Poet. 93: « Interdum tamen et vocem Comœdia tollit, Iratusque Chremes tumido delitigat ore ». Itaque et hic lupus *vocem multa cum rabie tollit*, vehementes et horrisonos ululatus edens. Sed tamen et *tollere* hoc loco accipi potest pro *eripere vocem*, ut Castalio et Heumannus interpretantur, secundum illud Virgilii, Ecl. IX, 53: « Vox quoque Mœrin Jam fugit ipsa: lupi Mœrin videre priores ». Scilicet, ut Plinius, Hist. Nat. lib. VIII, c. 34, docet: « In Italia creditur luporum visus esse noxius: vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens ». Et fortasse utrumque respexit auctor, de industria ludens ambiguitate vocis *tollere*.

XXXIV. VULPES.

Exiguum corpus, sed cor mihi corpore majus,
Sum versuta dolis, arguto callida sensu,

1. *Corpore malus* D. In A. glossa adscripsit: *Legitur aliter Corporis exigui.* — *Cor mihi corpore majus. Cor* hoc loco notat sapientiam. « Carne puer, sed corde senex », ait ille. Claudianus: « Ignea longævo frenatur corde juventus ». Barth. Adv. XVI, 30. — Addo alia non minus notatu digna Veterum loca. Plautus in Persa, IV, 4, 70: « Cata est et callida, habet cor ». Ennius apud Cicer. lib. I de orat. c. 45: « Egregie cordatus homo, catus Ælius ». Sic *excors* et *vecors* pro stulto ponitur. Heum. — Sæpius tamen pro ignavo et imbelli. Ed.

Et fera sum sapiens, sapiens fera si qua vocatur.

3. *Talis fera si qua* Per.— *Sapiens fera si qua.* Plautus Trucul. IV, 4, 15 : « Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia ». In *si qua*, et, apud alios, *si tamen*, est ἐπανόρθωσις, quam pluribus locis aliorum scriptorum adstruit Heum. et Bunemannus, quæ tamen non necessarium putamus repetere. — *Sapiens* animal, homo, apud Linnæum. Ed.

XXXV. CAPRA.

Alma Jovis nutrix, longo vestita capillo,
Culmina difficili peragrans super ardua gressu,
Custodi pecoris tremula respondeo lingua.

1. *Alma Jovis nutrix. Alma* hic est alens lacte. De Amalthea capra, quæ Jovi infanti lac præbuisse dicitur, nota est fabula. Cæsar Germanicus in Arateis, v. 164 : « Una putatur Nutrix esse Jovis, si vere Jupiter infans Ubera Cretææ mulsit fidissima capræ ». — *Vestita capillo.* Sic quoque eleganter vestire, de lanugine ac barba dicitur. Virgil. Æn. VIII, 160 : « Tum mihi prima genas vestibat flore juventa » ; ad quem locum vide Erythræum in Indice. Lucret. V, 672 : « Nec minus in certo dentes cadere imperat ætas Tempore, et impubem molli pubescere veste ». Claud. Cons. Olybr. vs. 70 : « Ante genas dulces quam flos juvenilis inumbret, Oraque ridenti lanugine vestiat ætas ». Sic in Elegia Galli apud Pith. p. 418 : « Candida quod nulla lanugine vestiat ora ». Ed.

2. Glossa adscripsit *nam facili* in A. *Fulmina* E. Heumannus conjicit *peragrans licet ardua :* Bunemannus *peragrans supero ardua.* Heynazius *sæpe ardua*, quod istis præferre velim.— *Culmina* intelliguntur montium et rupium. Virgil. Ecl. I, 77 : « Non ego vos (capellæ) posthac, viridi projectus in antro, Dumosa pendere procul de rupe videbo ».

3. *Custodi pecoris* A. et D. et E. et Cam. et Pith. *pecorum* Per. et Cast. Prætuli *pecoris*, quia sic Virg. Ecl. III, 101 : « Idem amor exitium pecori, pecorisque magistro » ; et Ecl. V, 44 : « Formosi pecoris custos, formosior ipse ». — *Respondeo voce* D. et Pith. et Bas.

XXXVI. PORCUS.

SETIGERÆ matris fecunda natus in alvo,
Desuper ex alto virides exspecto saginas,
Nomine numen habens, si litera prima periret.

1. *Setigeræ matris.* Ita et Virgilius, Æn. XII, 170, dixit *setigeram suem.* HEUM. Martial. Spect. 13, 1 : « Icta gravi telo mater sus »; et v. 6: « soluta parens ». — *Natus in alvo* omnes libri; sed Heumannus corrigendum duxit *ab alvo*, quod fetus non *in alvo* nascantur, sed *ab alvo*: sed Heynazius nulla cogente necessitate id factum putat, quia *natus* pro *generatus*, ut sæpe.—Vid. supra ænigm. XIV, p. 361. ED.

2. *Pastus expecto virentes* Per. — *Desuper ex alto*, ex arbore *virides saginas*, glandes quernas, unde quercus *glandifera* dicitur.

3. *Numen habens*, i. e. Orcum, qui et Pluto, et Dis pater. Virgil. Georg. I, 277: « Quintam (diem) fuge: pallidus Orcus Eumenidesque satæ ». Plautus, Epid. II, 1, 7: « Cujus quoties sepulcrum vides, sacrificas illico Orco hostiis ». Cicer. in Verr. orat. VI, c. 50, quem paullo ante Ditem patrem nominarat, Orcum adpellat. HEUM. — Horat. Carm. II, 3, 24: « Victima nil miserantis Orci ». — *Prima perempta* E. quod vulgatæ habent : *periret* videtur esse idiotismus auctoris, qui conjunctivos amat. Vid. procemii v. 3 et 7.

XXXVII. MULA*.

DISSIMILIS patri, matri diversa figura,
Confusi generis, generi non apta, propago,

* *De mulo* A.

1. *Patris, matri* A. *matri, patris* C. *patri, matri* D. et Pith. *matri, patri* Per. et Schott. *patri, matris* Cast. et vulg. *figuræ* D. — *Dissimilis patri.* Horat. Carm. IV, 4, 30: « Est in equis patrum Virtus ». — *Matri diversa figura*, i. e. secundum figuram mula diversa est *matri*, i. e. a matre, per Græcismum, quomodo Horatius inprimis verba *diversus, differre, distare* jungere dativo solet. *Figura* est forma et species exterior. Cicero pro Rosc. Am. cap. 22: « Monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, etc. »

2. *Confusi generis* A. et C. et D. et Per. et Pith. et Cam. *Confusa generi quoque sum* E. *Alterni generis* Cast. et vulg. — *Confusi generis... propago.* Ita vocatur mula, quia ex equa et asino gignitur, quorum semina confunduntur: quem in modum dicitur Ovid. Her. II,

Ex aliis nascor, nec quisquam nascitur ex me.

70 : « et tauri mixtaque forma viri » ; et Fast. I, 113 : « confusæ quondam nota parva figuræ ». — *Generi non apta propago*, i. e. ad generandum. Palladius de Insit. v. 29 : « Si velocis equæ pigro miscetur asello Arcador, ut in sterilem res cadat aeta gradum, Fecundumque genus productus deleat heres, etc. » ubi vide quæ aduotantur. Ed.

3. *Nec quicquam* C. et Per. et Scholt.

XXXVIII. TIGRIS.

A fluvio dicor, fluvius vel dicitur ex me,
Junctaque sum vento, vento velocior ipso,
Et mihi dat ventus natos, nec quæro maritum.

1. *A fluvio dicor, fluvius vel.* « A celeritate, qua defluit, Tigri nomen est inditum; quia Persica lingua Tigrim sagittam adpellant », inquit Curtius, IV, 9, 16. Alii tamen cum poeta nostro flumen illud a tigride animali dictum esse credunt. Ac sane Plinio, lib. VIII Hist. Nat. cap. 18, tigris vocatur *animal velocitatis tremendæ*. Heum. — De vehementia et celeritate Tigris amnis add. Avien. Desc. Orb. 1179 : « Non alium tantus rapit impetus ; haud ita quisquam Spumescit fluctus, neque tantos ulla fragores Unda ciet » ; ubi vid. not. t. V, p. 333 huj. op. Ed.

2. *Quæ sum velocior ipse* A. *ventoque velocior* E. — *Junctaque sum vento*, quasi connubio. Hoc sensu Ovid. Her. XX, 23 : « Fraus mea quid petiit, nisi uti tibi jungerer uni »; et ibid. v. 215 : « Nube, precor, dicet, cui te bona numina jungunt ». Burm. — Vento Zephyro junctam tigridem esse, ex eoque concipere, fabulantur Veteres. Unde Zephyrum *maritum* ejus vocat Claudian. Rapt. Pros. lib. III, 266 : « fremit illa marito Mobilior Zephyro ». Ad quem locum Gesnerus adnotat : *Maritum Zephyrum* dari tigribus, docet etiam Oppianus, Cyneg. III, 353 : Ὠκυτέρα τελέθει δὲ θοῶν πανυπείροχα θηρῶν· Αὐτῷ γάρ τε θέειν ἰκέλη Ζεφύρῳ γενετῆρι. Ferarum omnium celerrimam longe ait, cursu æqualem ipsi patri suo Zephyro : quam fabulam deinde refellit. Celebratior adhuc fabula est de equabus in Lusitania e Zephyro vento gravidis. Virgil. Georg. III, 273 : « Illæ Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis, Exceptantque leves auras, et sæpe sine ullis Conjugiis vento gravidæ, mirabile dictu ». Plinii et aliorum testimonia adducit Heum. — *Vento velocior ipso.* Frequens velocitatis descriptio. Virgil. Æn. V, 319 : « Emicat, et ventis et fulminis ocior alis ». Idem, XII, 633, et Horat. Carm. II, 16, 23, *ocior Euro*. Claud. Rapt. Pros. II, 200 : « ruunt, quantum non impetus Austri, etc. »

3. *Dat natos ventus* Per. *non quæro* C. *maritos* D. et E. et Cam. — *Mihi dat ventus natos.* Catull. Carm. LXI, 212 : « brevi liberos date ». Columella Hort. v. 385 : « sobolem dabit illa capacem ».

XXXIX. CENTAURUS.

Quattuor insignis pedibus, manibusque duabus,
Dissimilis mihi sum, quia sum non unus et unus;
Et vehor et gradior, quia me duo corpora portant.

1. *Quattuor insignis pedibus, manibusque duabus.* Centaurus insignis, id est, hoc quasi signo notabilis et distinctus a reliquis quadrupedibus est, quod *quatuor pedibus* simul et *duabus manibus* est præditus. Vocem *insignis* monstris designandis adhiberi solere, notavit ad h. l. Buneman. Quintil. I, 1, 2: « Hebetes et indociles non magis secundum naturam hominis eduntur, quam prodigiosa corpora, et monstris insignia ». — Curtius, IX, 1, 25: « Si quos (infantes) insignes, aut aliqua membrorum parte inutiles notaverunt, necari jubent ».

2. *Quia non sum unus et idem* Per. *quia non sum unus et unus* Pith. *quia sum non unus et unus* Cast. — *Sum non unus et unus.* Nempe *unus*, quia unum animal, *non unus*, quia ex homine et equo compositus. Ovidio dicitur, Met. XII, 478, *vir equo commissus.* Idem, Am. I, 4, 8, Centauros dicit *ambiguos viros*, et quorum *equo membra cohærent.*

3. *Et vehor et gradior. Vehor*, quia equi, *gradior*, quia hominis simul pedes sunt. Virgil. Æn. V, 571: « invectus equo ». Ovid. Art. Am. III, 776: « Parva vehatur equo ». — *Quum me duo corpora portant* A. *quum me duo corpora portent* Pith. et Cast. *Quia me duo corpora portant.* Sic Lucretius, V, 880 seq. Centauros describit simul et refutat: « Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo Esse queat duplici natura et corpore bino Ex alienigenis membris compacta potestas ». Hinc *bimembres* vocantur Virgilio, Æn. VIII, 293, et Ovidio, Her. II, 71, Am. II, 12, 19. Manilius, lib. IV, vers. 230, dixit: « bifero Centauri corpore ». — Semiviri quoque dicuntur Centauri, ut Chiron, qui arcitenens est, Ovidio Fast. V, 380: « promet sua sidera Chiron Semivir, et flavi corpora mixtus equi », ubi semifer alii: ut apud Statium, Silv. II, 1, 89, edidit Marklandus, « Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron »; apud Ovid. Epist. IX, 141: « Semivir occubuit in lethifero Eveno Nessus »; ubi Nessus, Centaurus biformis, recte *semivir* dicitur, ut passim de Centauris, quibus φύσιν σύμφωνον ἵππου καὶ ἀνδρὸς dat Palæphatus, de Incred. cap. 2, et ex eo Apostolius, cent. XI, Proverb. Gr. § 33. Errant igitur, qui in utroque Ovidii loco præferunt *semifer*, et a *fero* pro equo deducunt. Certe in altero loco *Semifer Nessus* et *lethifer Evenus* parum concinne uno eodemque versu conjunguntur. Apud Senec. Herc. OEt. 479, editur vulgo de eodem Nesso: « Cruore tincta est palla semiferi, pater »; et v. 966: « Proh! Nesse fallax, atque semiferi doli! » et alibi. Ed.

XL. PAPAVER.

Grande mihi caput est, intus sunt membra minuta;
Pes unus solus, sed pes longissimus unus;
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno.

1. *Grande mihi caput est.* Iisdem verbis inf. ænig. 84, 3, de malleo utitur. Virgil. Æn. IX, 437: «lassoque papavera collo Demisere caput». *Membra minuta* sunt grana innumera, quæ propter «fecunda papavera» dicuntur Ovidio, Met. XI, 605. Idem, Trist. V, 2, 24: «Quotve soporiferum grana papaver habet». — *Intus sed membra* A. Per. *incussum membra* C.

2. *Unus solum ... longissimus idem* Per. — *Pes unus solus.* Sic æn. 63, de Tridente: «Unus præterea dens est et solus in imo». Atque *unum* et *solum* sæpe eleganter conjungi, variis locis Ciceronis et Lactantii ad hunc locum probavit Bunem. *Pes* dicitur caulis plantæ vel herbæ, ut apud Columell. Hort. vs. 254, «pede candida beta».

3. *Et me somnus amat.* Unde Ovid. l. cit. *papaver* vocat *soporiferum*, et Virg. Georg. I, 73: «Lethæo perfusa papavera somno». Heum. — Columell. Hort. vs. 104: «profugos vinctura papavera somnos»; et Epigr. X de vita tranq. quod supra pag. 137 hujus tomi dedimus, vs. 7: «Et non sollicitos missura papavera somnos». — *Non dormio* C.

XLI. MALVA.

Anseris esse pedes similes mihi, nolo negare;
Nec duo sunt tantum, sed plures ordine cernis;
Et tamen hos ipsos omnes ego porto supinos.

1. In D. deest *mihi*. — *Anseris esse pedes similes mihi*, id est, folia me habere pedibus anserinis similia. Nescio, an hanc similitudinem alius quis Veterum notaverit. Simile quid de cynosbato, rubi genere, tradit Plinius lib. XXIV, cap. 14, sect. 74, eam «folium habere vestigio hominis simile». — Sed hæc notatio plantarum recentioribus descriptoribus admodum frequens est. Ed.

3. *Omnes ego porto supinos.* Omnes hi pedes anserini sunt supini: plantas cælo obvertunt. Heyn. — Ob eam caussam *malvæ supinæ* dici videntur in epigr. modo citato de vita tranq. v. 6.

XLII. BETA.

Tota vocor Græce, sed non sum tota Latine;
Ante tamen mediam cauponis scripta tabernam
In terris nascor, lympha lavor, ungor olivo.

1. *Beta vocar... beta Latine* A. et B. et C. Glossa tamen in B. addidit *lege tota*. *Tota vocor* Pith. et Cast. qui sic edidit Pithœo auctore, quum codex ejus *Beta* haberet. *Beta vocor Græcis... beta Latinis* Per. Barth. Adv. XXVI, 28, lectionem Perionii amplectens, mire argutatur in verbis *non sum beta Latinis*, et contractam a poeta ait esse vocem *beata*, ut ex *a* et *e* ἦτα fieret Græcum. Ita enim dicere plantam illam *betam* Græcis dici, sed minime *beatam* Latinis esse, apud quos soleat proponi pauperculis. — *Tota vocor Græce*, hoc est, *Beta*, vox et nomen literæ, si *tota* pronuntiatur, est Græca, sed non *tota*, nempe *be* dicitur Latine. Vid. notata ad Columm. Hort. vs. 251. Qui *Beta* scripserunt codices, glossam et interpretamentum librarii exhibent, quo ænigmatis ambignitas perit.

2. *Pauperibus semper propono namque tabernis* B. *Pauperibus semper proponor namque tabernis* C. et Per. Pro eo alium plane versum, eumque meliorem, exhibet Pithœus: « Ante tamen mediam cauponis scripta tabernam »: quem quidem et Castalio edidit; sed in scholio significat, in codice suo utrumque exstitisse, et posteriorem *Ante tamen mediam* ab eo pro spurio haberi; in quo erravit. — *Ante tamen mediam*. Sed si vox ea *Beta* ante mediam cauponis tabernam scripta reperitur, nomen est plantæ, quæ ibi coquitur et venditur. Tabernæ habebant quosdam titulos, aut insignia picta, quibus noscerentur. Sic Quintil. VI, 3, 39: « Tabernæ erant circa forum, ac scutum illud signi gratia positum ». (Scutum Marianum Cimbricum ante memoraverat, in quo imago Galli picta erat.) Gesneri explicatio hujus versus, qua putat, tabernis cauponum inscriptam fuisse literam B, quæ significaverit *bonum*, quam etiam in Thesauro suo repetiit, duriuscula videtur Heynazio. Vana etiam argutatio videtur viri docti, quam exemplaris mei margini adscriptam reperio, *mediam* tabernam hic dici, quia *be* teneat medium in voce *taberna*. Qui nonnullis in codicibus huic versui substitutus est: « Pauperibus semper, etc. », effictus videtur, ut Castalio monet, ex Persii Sat. III: « plebeia radere beta », aut e Martialis epigr. 13 libri XIII, ubi *betæ* vocantur *prandia fabrorum*. — Anthol. Lat. V, 52: « betæ pigro ventri non inutiles ». Ed.

3. *In terris* Per. et Cast. *In terra* E. et Pith. et Bas. quod præfero: *ungor olivo* Per. et Pith. *unguor oliva* Cast. — *Ungor olivo*. Sunt ipsa verba Horatii, Serm. I, 6, 122. *Olivo* rectius quam *oliva*. Servius ad Virg. Æneid. VI, 225: « fuso crateres olivo »: *olivum* ab *oliva* dictum, nam oleum ab olea dicitur. Ita quoque Prudentius, Perist. IV, 102: « Arte virtutis fideique, olivo Unctus horrendum didicit domare Viribus hostem ». Bur.

XLIII. CUCURBITA.

Pendeo, dum nascor; rursus pendendo tumesco;
Pendens commoveor ventis, et nutrior undis.

1. *Rursus dum pendo tumesco* A. et B. et C. *rursus pendendo tumesco* Per. *dum pendeo nascor* Pith. hoc erat in Codice Castalionis, qui correxit et edidit *dum pendeo, cresco:* idque sequuti sunt posteriores, Heumannus etiam, et Heyn. Sed Bunemannus retinendam censuit antiquam trium codicum et Perionii lectionem *dum pendo*, vel *pendendo tumesco*, et nisi hoc placeat, sic fingit: *Pendeo dum nascor, rursus, dum ventre tumesco, Pendens commoveor ventis.* Ego vero illi adsentio, et lectionem Perionii servo. — *Rursus pendendo tumesco.* Ita incrementum cucurbitæ describunt poetæ. Columella Hort. v. 384: « globosi Corporis, atque utero nimium quæ vasta tumescit ». Propert. IV, 2, 43: « Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre ». In *pendendo* ultima corripitur, more sequiorum poetarum, cujus jam multa exempla vidimus. — Unicus tamen locus apud Ovid. Epist. IX, v. 126, in vulgatis editionibus legitur: « Nec venit incultis captarum more capillis Fortunam vultus fassa tegendo suos ». Sed a doctis viris censetur corruptus, quamquam Vossius, Art. Gramm. II, cap. 27, id defendere conatur. Præterea est Juvenal. Sat. III, 232, quem adfert Voss. « Plurimus hic æger moritur vigilando, sed illum ». At ille nec Augusti temporis est, multaque habet similia quæ in melioris ævi scriptis absunt. Ed. — Nec refugiam trium codicum lectionem *dum pendo, tumesco*, ubi *pendo* esset gravior fio, pondus adquiro. Verba *pendeo* et *pendo* subinde permutantur in codicibus, uti Vossius V. C. Virgil. Georg. II, vs. 523, notavit.

2. *Pendens dum moveor* E. *velis et* Per. *qui nutrior* D. — *Pendens commoveor ventis.* Hoc videtur contrarium esse Plinio, qui lib. XIX, c. 5, s. 24, ubi de *camerario* cucurbitæ genere, h. e. eo, quod in cameras et pergulas scandit, atque inde dependet: « mire tenui pediculo libratur pondus immobile auræ ». Itaque fere eo propendeo, ut cum altero codice Lugdunensi scribam: *Pendens dum moveor*, i. e. dum pendens promoveo et cresco in longum, *ventis et nutrior undis*, h. e. adspirante et vegetante aura non minus, quam unda propinqua nutrior. Illud *nutrior undis* nemo interpretum explicavit. Sed explicat Columella Hort. v. 394 seqq. ubi de pendente in trichila cucumere, quod idem de cucurbita valet, ait, si ei aqua vicina contingat, hanc mire amare et sequi, eaque re tenuari, candidum, mollem dulcemque fieri. Plinii testimonium ad eum versum adscripsimus, qui et lib. XIX, s. 24, de cucurbitis ait: « Amant rigua ac fimum ». Et Palladius, lib. IV, in Martio, tit. 9, 8: « Longi et teneri fiunt (cucumeres) si aquam in patenti vasculo sub eis ponas, duobus palmis inferiorem, ad quam festinando tales efficientur ».

Pendula si non sim, non sum jamjamque futura.

3. *Si non sum* D. *jamjam ipsa futura* Per. *jamjamque ventura* in codice suo legit Castal. qui correxit *futura*. Ego vero rescribere velim *non sum tam longa futura*. — *Non sum jam jamque futura*, i. e. brevi, mox, futura non sum, peribo; quod explicari potest, brevi et ante maturitatem putredine corripiar, si in terris subsideam, nec in aura pendeam. Sed tamen hæc interpretatio nescio quid coacti habet. Itaque velim scriptum esse *non sum tam longa futura*. Longitudinem maxime commendant Veteres in cucurbita, eamque promoveri dicunt pendendo. Plinius l. c. de cucurbita: « Crescit, qua cogitur forma, plerumque et draconis intorti figura, libertate vero pensili concessa, jam visa est IX pedum longitudinis ». Et paullo infra: « Cibis quoque longiores tenuioresque eo gratiores, et ob id salubriores, qui pendendo crevere ».—Anth. loc. cit. « cucumeres humi fusos ». Ed.

XLIV. CEPA*.

Mordeo mordentes, ultro non mordeo quemquam;
Sed sunt mordentem multi mordere parati;
Nemo timet morsum, dentes quia non habeo ullos.

* *Cepe* Caus. *Talpa* vitiose inscripsit Schottus. — Burmanno scribitur *Cæpa:* et in vers. 168, Colum. IX: « Nunc capite et porri longo resoluta capillo » conjicit *Nunc Cæpa*, quod alias disquisitum. Ed.

1. *Mordeo mordentes. Mordere* dicitur cepa, ob acrem saporem, qui hinc et *mordax* dicitur. Persius, V, 86: « mordaci lotus aceto ». Ipsa *cepa lacrimosa* Columellæ Hort. 123. — Acres quoque dicuntur cepæ, ut Anth. Lat. lib. V, epigr. 52, v. 22: « Acresque cepas, alliumque fibratum ». Ed.

2. *Multi mordere parati*, i. e. ad mordendum, ut supra æn. 18: « semper migrare parats ». Verbo mordendi etiam de cepe loquens Persius usus est, IV, 30: « tunicatum cum sale mordens Cepe ». — *Mordere* etiam de frigore usurpavit Horatius, Serm. II, 6, 45: « Matutina parum cautos jam frigora mordent »; et ad ejus imitationem Anth. Lat. Burmann. tom. I, pag. 702: « Frigoraque mordent blando sensu ». De salibus et dictis facetis Firmicus, lib. VIII, cap. 7: « falsi sermonia mordacibus dictis risus hominum adsueverint concitare ». Sen. Cons. ad Helv. cap. 17: « Sicut sal suavitatem quamdam cum mordacitate habet, ita etiam verborum joci ». Pers. I, 107: « quid opus teneras mordaci radere vero Auriculas? » Ed.

3. *Qui non habet* A. *quia non habet* C. et Per. quomodo et codex Castalionis habebat, qui correxit et edidit secundum Pithœum *non habeo*.

XLV. ROSA.

PURPURA sum terræ, pulchro perfusa colore,
Septaque, ne violer, telis defendor acutis.
O felix, longo si possem vivere fato!

1. *Purpura sum terræ*. Purpura, quæ in terra nascitur, et de terra legitur, quum purpura proprie dicta veniat e mari, et sit conchylium. Catullus, LXIV, 49: «Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco». De purpura marina Plin. IX, 26, s. 60. — *Perfusa colore* A. et B. et C. et E. et Per. *perfusa rubore* Pith. et Cast. et seq. — *Pulchro perfusa colore*. Supra ænig. 2: *nigro perfusa colore*. Sæpe iisdem verbis et phrasibus utitur Noster.

2. *Defensor* A. — *Telis defendor acutis*, i. e. spinis, ut supra æn. 29, 2. Epigramma de citrio, quod pag. 135 hujus tomi dedimus: «Septa micant spinis felicis munera mali». A Palladio de Insit. *tela* vel *spicula* sæpissime adpellantur spinæ.

3. *Si possem* A. et C. et E. et Pith. *possim* Per. et Cast. Heumannus non solum rescribere gestit: «O felix, longam si possem vivere vitam!» sed et integrum versum cum tertio sequentis ænigmatis permutandum censet. — *O felix, longo si possem*. Horat. Carm. II, 3, 13: «nimium breves flores amœnæ rosæ» dicit. Ausonius in Ros. vs. 43: «Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum, Quas pubescentes juncta senecta premit, etc.» — Sic Nostras poeta MALHERBE de puella quam rapuerat immatura mors: *Et rose elle a vécu ce que vivent les roses, L'espace d'un matin*. ED.

XLVI. VIOLA*.

MAGNA quidem non sum, sed inest mihi maxima virtus;
Spiritus est magnus, quamvis in corpore parvo;
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

* *De viola* A. *Viola* B. et C. et Per. et Pith. *Lilium* Cast. et seq. sed manifeste perperam. ED.

1. *Verum est mihi* Per.

2. *Quamvis in* A. et C. et Per. et Pith. *quamvis sim* Cast. et vulg. *quamvis e corpore magno* D. — *Spiritus est magnus*. *Spiritus* odorem designat. Ausonius in Ros. Moreti poeta: «Sæpe viri nares acer jaculatur apertas Spiritus». BARTH. Adv. XX, 20. Gellius, Noct. Att. IX, 4: «spiritu florum naribus hausto». Lucret. III, 223: «Spiritus unguenti suavis diffugit in auras». HEUM.

3. *Nec mihi germen habet noxam*, h. e. Neque germen est mihi, quod spinas habeat noxias, ut rosæ, neque ideo noxæ alicujus culpa, quam propter erubescam. Loquitur de viola alba. — *Rubore* B.

XLVII. TUS.

Dulcis odor nemoris flamma fumoque fatigor,
Et placet hoc Superis, medios quod mittor in ignes,
Quum mihi peccandi meritum natura negarit.

1. *Dulcis odor nemoris flamma fumoque fatigor*, hoc est, Dulci odore impleo nemus Sabææ vel Arabiæ felicis, cujus in arboribus vel fruticibus nascor. Virg. Georg. II, 117: « Solis est turea virga Sabæis », et Gratius Cyneg. 132: « ab Eois virga Sabæis, Mater odorati multum pulcherrima turis ». — *Flamma fumoque fatigor*, h. e. flamma incensus et fumo ascendente sublatus adsidue volvor et agitor per auras. Horat. Carm. IV, 11, 11: « Sordidum flammæ trepidant rotantes Vortice fumum ». Avienus, Desc. Orb. 802: « Sabæi Turis ibi semper vaga fumum nubila volvunt ». De usu verbi *fatigo* dixi ad Prisciani Perieg. v. 124.

2. In eod. B. ad τὸ *quod* glossa adscripsit: lege *eum*. *Sed placet* D. et E. — *Et placet hoc Superis*. Ovid. Med. fac. v. 83: «Quamvis tura Deos irataque numina placent». Id. Her. XXI, 91: « Superis... Flava salutatis tura merumque damus ». — *Placet hoc*. Elegans loquendi modus, sæpius interrogative ponitur, ut in illa expostulatione: « Placet hoc ergo? et leges diligentissimæ pudoris custodes, decumas uxoribus dari, quantas meretricibus, jubent? » Martial. XI, vs. 34: « Hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet? » Sic sæpe apud Terentium et Ciceronem. Ed.

3. Deest totus hic versus in A. et in Basuel. Contra exstat in B. et C. *Peccandi vitium* Per. et Pith. Pro tertio versu A. hunc adponit: *Nec mihi pœna datur: sed habetur gratia dandi*. Hunc tamquam quartum ceteris adsuunt D. et E. et Castalio, qui in eo *danti* corrigit; sed quomodo hic genuinum eum existimare potuerit, adeo ut tertium nostrum pro eo ejiciendum censeret, satis mirari nequeo. Sic tamen et Fabricius statuit Bibl. Lat. tom. III, p. 256 edit. novæ. Contra versus quartus deest in B. et C. et P. et Pith. — *Peccandi meritum*. *Mereri* poetis et aliis sæpe est peccare, delinquere. Virgil. Georg. IV, 453: « Ob meritum pœnas » dixit; et Ovid. Am. III, 3, 16: « Alterius meriti cur ego damna tuli ». Parem querelam Nucis invenias in elegia Ovidii. Cyprian. contra Demetrianum, p. 268, Gryph. « Deum posse adversa prohibere, sed ne ille subveniat, merita peccantium facere ». Bun.

XLVIII. MYRRHA*.

De lacrymis et pro lacrymis mea cœpit origo.
Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor.
Lætus honor frondi, tristis sed imago doloris.

* *De Succino* A. *Sucinus* D. *Sucinum* E. Quod nonnulli codices sic inscribunt pro *Myrrha*, fortasse inde est, quod et succinum crediderunt Veteres, tamquam lacrymas ex arboribus, in quas mutatæ Heliades, stillare. Sed tamen in succinum non bene convenit versus 2 ænigmatis, et verisimile est, *turi* subjunctam ab auctore *myrrham* esse, quæ sæpissime conjunguntur, e. g. apud Avien. Descr. Orb. v. 1113 seqq. « tellus hic semper fragrat odoro Cespite: prorumpit lacrymoso cespite myrrha, etc. »

1. *Et pro lacrymis* ediderunt Per. Pith. Cast. nec aliter lectum esse in MSS indicat silentium Heumanni. Castalio vero conjecerat *per lacrymas*, quod adripuit et textui intulit Heumannus, qui facile sentire poterat, sic meram exsistere tautologiam. Ita Heyn. — *De lacrymis et pro lacrymis*, h. e. De lacrymis Myrrhæ acerbe flentis, vel ex muliere multas lacrymas fundente, orta sum arbor, quæ ejusdem nomen retinet, et *pro lacrymis* ejus guttas myrrhatas effundit. Ovidius de Myrrha, Cinyræ filia, in arborem lacrymantem mutata, Met. X, 500: « Flet tamen, et tepidæ manant ex arbore guttæ. Est honor et lacrymis, stillataque cortice myrrha Nomen herile tenet ». Conf. etiam Art. Am. lib. I, v. 285 seq. Hinc idem Fast. I, 339, « lacrymatas corticee myrrhas » dicit: et Avienus, Descript. Orb. vs. 1113: « prorumpit lacrymoso stipite myrrha ». Colum. Hort. vs. 172: « Et lacrymas imitata tuas, Cynireia, virgo »; ubi vid. not. huj. tomi pag. 55. Ed.

3. *Frondi* A. et C. et D. et E. et Per. *honos* Per. *Lætus honor frondi tristis sed magna doloris* edit. Basueli. Heumannus nihil morans codices, qui *frondi* habent, rescripsit *frondis*. Ego *frondi* præfero. — *Lætus honor frondi*. Subaudi *est*, vel *inest*. Frondi meæ, inquit, honor et gratia delectabilis inest, quæ lætum adspectum faciat; quasi adluderet ad illud Virgilii, Æn. VI, 863: « Sed frons læta parum ». Virgil. Ecl. II, 53: « honos erit huic quoque pomo ». Lactant. Phœn. v. 123: « Mirandam sese præstat, præbetque videnti: Tantus ei decor est, tantus abundat honor ».

XLIX. EBUR.

Dens ego sum magnus, populis cognatus Eois.
Nunc ego per partes in corpora multa recessi;
Nec remanent vires, sed formæ gratia mansit.

1. *Dens ego sum magnus.* Calpurn. VII, 56 : « et erat, mihi crede, Lycota, Si qua fides, nostro dens longior omnis aratro ». Juvenalis, XI, 123, *Grande ebur* vocat. Elephantum ipsum pro ebore nominare solet Virgilius, ut Georg. III, 26 : « ex auro solidoque elephanto ». — *Cognatus istis* E. videtur hæc scriptura e codice provenisse, qui habebat *cognatus et Indis* : nam *Indum ebur et dens Indus* dicuntur a poetis. — *Populis cognatus Eois.* Nominat eos populos Juvenalis l. c. « Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes, Et Mauri celeres, et Mauro obscurior Indus, Et quos deposuit Nabatæo bellua saltu ». Præcipue tamen *Indi dentes* laudantur, ut Catull. LXIV, 48; Ovid. Met. VIII, 288; et *Indum ebur* apud Petron. cap. 135.

2. *In corpora multa recessi*, divisus et dispersus sum, ut humanis usibus inservirem. Ovid. Fast. lib. V, 12 : « Inque novas species omne recessit opus ». Virg. Æn. IV extr. « Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit ».

3. *Non remanent* A. et C.

L. FENUM.

Herba fui quondam viridi de gramine terræ;
Sed chalybis duro mollis præcisa metallo,
Mole premor propria, tecto conclusa sub alto.

1. *Herba fuit* Per. — *Herba fui quondam.* Virens et vivum germen. Quo sensu *herbam* dici cujuscumque fruticis, cujus nomen adponitur, observat Heynius ad hoc Virgilii, Ecl. V, 26 : « nec graminis adtigit herbam ». Add. Ovid. Met. X, 87 : « Area, quam viridem faciebant graminis herbæ ».

2. *Seu calibus duro seu sum præcisa meatu* D. *Seu calibis seu duro sum præcisa meatu.* E. — *Mollis præcisa,* nempe dum mollis et virens eram.

3. *Mole premor propria*, nempe in cumulos congesta et constipata, quod etiam significat Lucilii Ætn. 265 : « Plenaque defecto surgant fenilia campo ». — *Tecto conclusa sub alto.* Virgil. Georg. III, 321 : « nec tota claudes fenilia bruma ». Columella, lib. I, 6, 9, *fenum in tabulato congeri* vult, quod *scalis adeatur*. Hinc Noster *tecto concludi sub alto* dicit.

LI. MOLA*.

Ambo sumus lapides, una sumus, ambo jacemus;
Quam piger est unus, tantum non segnis it alter.
Hic manet immotus; non desinit ille moveri.

* *Molæ. Molaris lapis* Per. in ed. Reusn. sed Perionii secunda tantum *Molæ* inscribit. In D. et E. deest hoc ænigma.

1. *Sumus, ambo jacemus* A. et B. et C. et Per. et Pith. Hanc lectionem teneamus, quæ et firmata plurium codd. auctoritate, et concinnior est vulgata Castalionis *ambo jacentes.* — *Ambo sumus lapides. Cerealia saxa* vocat Ausonius, Mos. v. 362. — *Lapides.* Sic sæpe *molæ* videntur dici pro lapidibus et saxis asperis, ex genio ævi posterioris, quomodo etiam Græci illa ætate μόλον et μοῦλον vocarunt portuum crepidines, quarum objectu vis undarum maris frangebatur. Vide Cangii notas ad Annæ Comnenæ Alexiad. Script. Byzant. tom. XI, pag. 59. En.

2. *Tantum sed non piger alter* A. *tam velox non piger* C. *non segnis it alter* Per. et Pith. sicut et citat Goetzius de pistrinis, pag. 122: *non est piger alter* Cast. et vulg. Præfero lectionem Perionii, quæ tam exquisita et elegans est, ut a librario proficisci non potuerit. — *Tantum non segnis it alter.* Verbum *ire* de motu in orbem, qualis est lapidis molaris, inprimis usurpatur ab auctore Moreti, v. 102: « It manus in gyrum »; et v. 111: « gravior lentos ibat pistillus in orbes ». Idem verbum vocabulo *segnis* sæpe jungit Maro, ut Æn. IV, 149: « haud illo segnior ibat Æneas »; et XII, 566: « nec quis mihi segnior ito ».

3. *Hic manet immotus... ille moveri. Hic* respicit remotius, nempe lapidem pigrum, *ille* propius, lapidem euntem; quod sæpe fit apud bonos scriptores. Apposite ad hæc verba Seneca, Epist. 90, pag. 409, Gron. « Hoc aliquis sequutus exemplar, lapidem asperum aspero imposuit, ad similitudinem dentium, quorum pars immobilis motum alterius exspectat: deinde utriusque adtritu grana franguntur, et sæpius regeruntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur ».

LII. FARINA.

Inter saxa fui, quæ me contrita premebant;
Vix tamen effugi totis collisa medullis;
Et nunc forma mihi minor est, sed copia major.

2. *Effugia* D. *Vix tandem* conjicit Heum. — *Vix tamen effugi*. Quid, inquit Heumannus, si legamus *Vix tandem?* Sane deprehendi in MSS. *tamen* et *tandem* sæpe confundi, et Ciceronis est *vix tandem*. Sed non minus adpositum h. l. *vix tamen* indicat rei difficultatem sæpe superatam. Juvo rem distinctione: *Vix tamen effugi*. Plenius dicendum fuisset: *Vix effugi, effugi tamen*. Vide quæ noto ad Lact. Mort. Pers. c. 33, 2: « Vix tamen cruor sistitur ». Cic. in Pis. 12: » Gabinius collegit ipse se vix, sed collegit tamen ». Ovid. Her. VIII, 75: « Vix equidem memini, memini tamen ». Bun. Plura hanc in rem loca Veterum adducit Bunem. in adnot. ad l. c. Lact. ubi Heumanni emendationem diserte improbat. — *Collisa medullis. Medullæ* non modo in ossibus insunt, sed etiam tribuuntur frugibus. Plin. XVIII, c. 9: « Nam quæ sicca moluntur, plus farinæ reddunt: quæ salsa aqua sparsa, candidiorem medullam, verum plus retinent in furfure. Farinam a farre dictam, nomine ipso adparet ». Et cap. 11, s. 29: « Alica fit e Zea, quam semen adpellavimus. Tunditur granum ejus in pila lignea... excussis inde tunicis iterum iisdem armamentis nudata conciditur medulla ». Bun.

3. *Et tunc* B. *Et jam* E. *est, et copia* B. — *Copia* de numero partium intelligenda. Ed.

LIII. VITIS.

Nolo toro jungi, quamvis placet esse maritam.
Nolo virum thalamo; per me mea nata propago est.

1. *Placet esse marito* invenit in veteri cod. Vossiano Heinsius, et inde corrigit *maritæ*, ad Ovid. Nuc. v. 107. — *Quamvis placet esse maritam*, h. e. quamvis mihi commodum utileque est, arbori esse conjunctam. Quæ conjunctio perpetuo solet sub imagine connubii describi. Catull. Carm. LXII, 49 seq. » Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo... At si forte eadem est ulmo conjuncta marito ». Horat. Epod. II, 9: « adulta vitium propagine Altas maritat populos ». Plinius, lib. XIV, c. 1: » Vites in Campano agro populis nubunt, maritasque complexæ, etc. »

2. *Nolo virum, thalama per me* Per. *per me me nata* B. *per me innata* C. — *Per me mea nata propaga*. Propago est vitis depressa in terram, a pangendo. Hæc igitur per vitem

Nolo sepulcra pati; scio me submergere terra.

ipsam nascitur, h. e. sine adminiculo arboris, cui conjuncta est. Lactant. III, 8, 41 : « nullo extrinsecus adjumento indigere debet, quin suis per se viribus nitatur et constet ». Idem, lib. VII, 11, 7 : « Corpus hæc ipsa sine nutu et adminiculo animi nec cupere, nec adsequi potest : animus autem per se multa desiderat, etc. » Bun.

3. *Submergere terra*, i. e. radices altius defigere. Ed. — Plinius, lib. XVII, c. 23 : « Totæ supplantantur in terram vites ». Heum.

LIV. HAMUS.

Exiguum corpus, flexu mucronis adunci
Fallaces escas medio circumfero fluctu.
Blandior, ut noceam; morti præmitto saginam.

1. *Flexi mucronis* A. et B. et Per. *ferri* C. et Pith. *Exiguum ferri munus* E. *Exiguum munus ferri ferronis* D. *mucronis adunci* Per. Pith. Cast. *aduncum* correxit Heum. non adprobante Heynazio. — *Flexu mucronis adunci*, h. e. ea parte, qua mucro aduncus et inflexus est, impositas escas fallaces circumfero. Nam hæc verba cum versu sequente conjungenda sunt. *Acumen vulnificum*, quem Noster mucronem, vocat Prudent. Cathem. III, 48 : « Piscis item sequitur calamum, Raptus acumine vulnifico, Credula saucius ora cibo ». Ipsi hami *unci*, *adunci*, *curvi*, *recurvi*. Ovid. Metam. XIII, 934 : « pisces, quos aut in retia casus, Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos ». Idem, XV, 476 : « Nec celate cibis uncos fallacibus hamos ». — *Adunci*. Dicitur et *obunci* ut corrigit Heins. ad Virg. Æn. XI, 755. Sic apud Ovid. Eleg. de Nuce, v. 115 : « nec obuncis vindicor hamis ». Ed.

2. *Circumfero ventre* Per.

3. *Morti præmitto* A. et C. et Per. et Pith. *morte præmitto* D. *mortis* Cast. et vulg. *saginas* Per. — *Morti præmitto saginam*. *Saginam* pro cibatu, vel esca dixit, ut ænig. 25, 2. Hanc saginam morti præmissam *supremos cibos* dici arbitror in hoc Ovidii, Remed. 210 : « Vel quæ piscis edax avido male devoret ore, Abdere supremis æra recurva cibis ». Ausonio sunt *escæ letales*. Mosel. v. 249 : « Indutos escis jaciens letalibus hamos ».

LV. ACUS *.

Longa, sed exilis, tenui producta metallo,
Mollia duco levi comitantia vincula ferro;
Et faciem læsis, et nexum reddo solutis.

* *Acula* C. *Acicula* Per.

1. *Tenui producta metallo*, ære vel ferro. Ovid. Fast. II, 577, *acum ahenam* dicit. — *Producta*, i. e. prolongata. Sic Lactantius ex Plauto, lib. VI, 11, 8 : « illi (mendico) producit vitam ad miseriam ». Lactant. Opif. c. 5, 1 : « produxit membra quædam longius ». Lepide Martialis, IX, 74, in sutorem : « Dentibus antiquas solitus producere pelles ». Bun. Plura loca cumolavit Heum. et usus is verbi *producere* vulgaris est, frequeos inprimis Avieno, ut Index noster monstrabit.

2. *Mollia duco*, id est, duco mollia fila, quæ comitantur leve ferrum, id est, acum. *Filum conjicere in acum* vocat Celsus lib. VII, cap. 16, 15. *Fila* autem vocantur *vincula*, quia apta sunt ad aliquid vinciendum et coostringendom. Heum. — *Acia mollis, non nimis torta* dicitur a Corn. Celso, lib. V, c. 26. n. 26, qui locus, etiam a Bunemanno laudatus, plura habet versum hunc illustrantia, et totus legendns est. *Vincula* dicuntur omnia, quibus quid vinciri potest, etiamsi jam non vinciendi caussa adhibeantur. Sic funem extensum *stuppea vincula* dicit Epigr. 179 libri III Anthol. Burm. — *Ferri* A. sed glossa adscripsit *ferro*. — *Duco levi comitantia vincula ferro*. Ita plane Ovid. Met. XIV, 265 : « nec fila sequentia ducunt ». Sane *comitari* h. l. idem est ac sequi. Heumannus *comitantia* construit cum *ferro*, quod *comitor* etiam tertium casnm comitetur. Ego vero malo referre ad *duco*, quomodo fit in loco Ovidii. Duo epitheta haud raro conjnnguntur, præsertim si alterum sit participium.

3. *Et faciam levi*, sed C. *sed nexum* D. et Per. — *Et faciem læsis... reddo*, h. e. Quæ læsa sunt, lacerata, deformia, resarcio et restituo in formam pristinam. Heumanuus ea verba accepit de glaucomate vel suffusione oculorum, cui tollendæ acus adhibetur, idemque amplectitur Bunem. quod satis mirari non possum. Quis enim unquam *faciem* pro visu dixit, ut *faciem reddere* sit visum restituere ? Hoc si volnisset auctor, scripturus haud dubie fuisset *Atque aciem læsis* vel *cæcis*, ambignitate vocis *acies* non insulsa.

LVI. CALIGA*

Major eram longe quondam, dum vita manebat;
Sed nunc exanimis, lacerata, ligata, revulsa,
Dedita sum terræ, tumulo sed condita non sum.

* *De Ficone* A. *Gallica* B. ubi tamen glossa adscripsit *Caliga*. *Fico* autem medio ævo vocatum est genus quoddam calceamenti monachici vel rustici, ut Dufresnius docuit. *Gallica* et ipsa nomen calceamenti fuit, teste Gellio, XIII, 21, nisi hoc loco corrupta vox e *caliga* est. Heumannus pro vulgato *Caliga* inscribit *Linum*, quia in Caligam non convenire hoc ænigma, sed lini macerationem, præparationemque ad usum eo describi putat, provocans simul ad locum Plinii, Hist. Nat. lib. XIX, cap. 1. Clar. Heynazius inscripsit *Fico seu Caliga*, putatque *ficonem* caligæ genus fuisse ex ocrea vel perone factum, quemadmodum et hodie pauperiores soleant ocreas et calceos præcidendo et truncando in sandalia mutare. De caliga igitur e perone truncato facta ænigma hoc intelligit. Sed ea explicatio non minores difficultates habet, quam superior Heumanni. Nos veram et facillimam damus Julii Nigroni, in notis.

1. *Major eram*. Totum hoc ænigma breviter et accurate explicat Jul. Nigronus, libro *de Caliga vet.* cap. IV, pag. 84: Corium, dum in tauro vivo vivit, majus est, quam in caliga. In eam non venit, nisi multa illa patiatur, quæ medio versu dicuntur. Tandem terræ datur, quia serpit humi, telluremque semper tangit in humano pede; nec tumulatur, quia consumitur non. — *Dum vita manebat*. Est hemistichium Virgilianum, Æn. V, 724, VI, 608, 661.

2. *At nunc* B. *Sed mox* scripsit Nigronus: *refulsa* D.—*Sed nunc exanimis*. Conf. quæ diximus ad ænig. XX, 2.

3. Glossa in A. addit variantem lectionem *cumulo*, multo minus sepulturæ convenientem. Ed.

LVII. CLAVUS CALIGARIS*.

In caput ingredior, quia de pede pendeo solo.

* *Clavus* B. et C. et Per. et Pith. — *Clavi caligares* Gallice vocantur *clous à souliers*. Adpellatio illa occurrit apud Plinium, Hist. Nat. lib. IX, c. 18, XXII, 22, et XXXIV, 14. *Clavos soccis suppactos* etiam vocare possumus ex Plauto, Trin. III, 2, 94, et Bacchid. II, 3, 98. Testatur idem Plinius, lib. XXXIII, cap. 3, quemdam Alexandri M. præfectum *aureis clavis* solitum esse *suffigere crepidas*. Heum.

1. *In caput ingredior* omnes editi. Pro eo Heumannus rescribendum

Vertice tango solum; capitis vestigia signo;
Sed multi comites casum patiuntur eumdem.

putavit *In capite*, quod refutat Heynazius. Pediculi ingrediuntur *in capite*, homines præstigiatores *in caput*, aut *capite* (omisso *in*). Sic dicitur *in utramvis aurem dormire*. Hæc Heyn. — *In caput ingredior*. Talia sunt: « pronusque magister Volvitur in caput », Virg. Æn. I, 116. *In caput cecidit*, Ovid. Art. Am. I, 547. *In totus erigitur*, Ovid. Met. IX, 517. *In cubitum reclinatus*, Petron. c. 39. — *Qui de pede* A et Per.

2. *Capitis vestigia signo*. Acute, quum vestigia alias sint pedum impressorum signa.

3. *Comites multi* Per.

LVIII. CAPILLUS*.

Findere me nulli possunt, præcidere multi.
Sed sum versicolor, albus quandoque futurus.

* *Capilli* Per.

1. *Findere me nulli possunt*. Sic olim creditum est: hodie satis constat, crines etiam fissiles esse. — *Præscindere* C. *sed præcidere* D.

2. *Canus quandoque* Per. *canus* etsi syllabam ultimam præcedentis *versicolor* longam ex lege metri facit, non tamen genuinum, sed a librarii correctione profectum videtur, quia nimis clarum, et, proprie seniles capillos signans, obscuritatem ænigmatis tollit. Magis ambiguum et aptum ænigmati *albus* est, et ultima syllaba in *versicolor* hic producitur ob cæsuram, quod exemplo Virgilii se tueri potest, qui Ecl. X, 69, scripsit: *Omnia vincit amor: et nos cedamus amori*. — *Sed sum versicolor*. Versicolor h. l. non, ut plerumque, est variis coloribus distinctus, sed mutans colorem, quemadmodum *versipellis* dicitur. Plinius, lib. IX, c. 17, s. 30: « Mullum exspirantem versicolori quadam et numerosa varietate spectari, proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem ». Idem, lib. XXVIII, c. 8, s. 29: « Nullum animal (Chamæleonte) pavidius existimatur, et ideo versicoloris esse mutationis ». Capillum *versipellem* adpellat Plautus, Pers. II, 2, 48: « Tempori hanc vigilare oportet formulam, atque ætatulam: Ne ubi capillus versipellis fiat, fœde semper servias ». Bun. — *Albus quandoque futurus*. Propert. III, 3, 46: « Sparserit et nigras alba senecta comas », qui versus fere totus etiam legitur apud Ovid. Trist. IV, 8, 2. Idem, lib. III, 23, 33: « Vellere tum cupies albos a stirpe capillos ». Maximianus, Eleg. II, 53: « Sum grandævus ego, nec tu minus alba capillis ». Bun. — *Quandoque*, id est, aliquando, olim. Seneca, Epist. 70: « Nemo nostrum cogitat, quandoque sibi ex hoc domicilio exeundum ». Plura ad hunc locum congessit Heumann.

Malo manere niger; minus ultima fata verebor.

3. *Minus ultima fata verebor*, h. e. Quousque niger ero, minus verebor, ne fatum ultimum veniat; nam *niger* capillus vigentis ætatis signum, *albus* senescentis est. Tibull. III, 5, 15 : « Et nondum cani nigros læsere capillos, Nec venit tardo curva senecta pede ».

LIX. PILA *.

Non sum cincta comis, et non sum compta capillis;
Intus enim crines mihi sunt, quos non videt ullus.
Meque manus mittunt, manibusque remittor in auras.

* *Pila*. Hoc ænigmate poeta noster « canit formam jactusque pilarum », ut Ovidii verba huc accommodem e Trist. II, 485. Heum.

1. *Non sum cincta capillis* D. et E. *cincta comis ullis, nec crinibus ornor* Per. et Schott. — *Compta capillis*. Virg. Æn. X, 832 : « comptos de more capillos ». Ovid. Am. I, 1, 20 : « longas compta puella comas ». — Sæpe, ut hic, apud poetas *capilli* et *comæ* conjunguntur. Sic Ovid. Art. Am. III, 145 : « Huic decet inflatos laxe jacuisse capillos : Illa sit adstrictis impedienda comis ». Tibull. IV, 2, 10 : « Seu solvit crines, fusis decet esse capillis; Seu compsit, comptis est veneranda comis ». Ed.

2. *Sed mihi sunt crines intus* C. *mei sunt* D. *mihi sunt crines* Per. — *Intus enim crines mihi sunt*. Nempe crinibus densis, conglobatis et constipatis farta sum. Videtur intelligi *pila trigonalis*, quam quidem nusquam lego discrte crinibus fartam dici, densiorem tamen durioremque ejus farturam hinc intelligo, quod Martialis XIV, 45, *pilam paganicam* dicit *pluma turgere*, atque hinc duriorem folle (qui tantum vento turgebat) molliorem pila esse : durior igitur materia, qua pila referta fuit, videntur crines fuisse.

3. *Manibusque remittor in auras*. *Remittere* pilam, *reddere*, *expellere*, *expulsare* dicunt. Manilius, lib. V, 165 seq. « Ille pilam celeri fugientem reddere planta, Et pedibus pensare manus, et ludere saltu, Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis ». Seneca, de Benef. II, cap. 32 : « Sicut in lusu est aliquid, pilam scite ac diligenter excipere; sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte et expedite remisit, quam exceperat ». Copiose de jactu et lusu pilæ egi in Excursu III ad Sal. Bass. 174, t. III, p. 273. Ed.

LX. SERRA.

Dentibus innumeris sum toto corpore plena;
Frondicomam subolem morsu depascor acuto;
Mando tamen frustra, quia respuo præmia dentis.

1. *Dentibus innumeris. Perpetuos dentes* dicit Ovid. Met. VIII, 246, de inventore serræ loquens : « Hic etiam medio spinas in pisce notatas Traxit in exemplum : ferroque incidit scuto Perpetuos dentes, et serræ reperit usum ». Plinius sæpe *serram dentatam* vocat. — *Toto sum corpore* E. et Per.

2. *Frondicomam subolem.* Terræ matris progeniem, subolem, quæ folia et frondes pro coma habet, id est, arbores. Columella, Hort. v. 146 : « Florida quum suboles materno pullulat arvo ». Comas poetis dici frondes et folia arborum, florum, plantarum, vulgatum est. — *Morsu depascor. Depasci* est per partes minutatim absumere, quod inprimis fit morsu. Virg. Æn. II, 215 : « serpens...miseros morsu depascitur artus ». Tibull. IV, 1, 128 : « Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas ». Lucil. Ætn. 487 : « amnis perpascitur agros ». Etiam securi morsum tribuit Horat. Carm. IV, 6, 9 : « mordaci velut icta ferro Pinus ». — *Acuto.* Sonum serræ innuit Poeta noster. Huc et respicit illud Virgilii, Georg. I, 143 : « argutæ lamina serræ ». Heum. Ausonius, Mos. 363 : « Stridentesque trahens per lævia marmora serras ».

3. *Quæ respuo* A. et C. et Per. *dantis* C. Salmasius ad Spartiani Pesc. Nigr. cap. ult. hunc versum in valde magnæ vetustatis libro ita scriptum se vidisse testatur : *Cætera mando focis, spernunt quæ dentes acuti.* Peccatum in *dentes* sæculo recentium poetarum adscribit, et pluribus id exemplis ostendit. — *Respuo præmia dentis. Præmia*, i. e. ea quæ effecta et parata sunt dentibus. Vid. not. ad XXII, 2. Permanet auctor in allegoria morsus et manducationis, et verbum *respuo* sensu proprio usurpat, quo notat purgamenta oris, vel cibi detrimenta per sputum ejicere, quemadmodum anus apud Petron. cap. 135 : « dentibus folliculos perite spoliat, atque in terram veluti muscarum imagines despuit ». In esu et manducatione cibus dentibus comminuitur, ut saliva commixtus demitti in ventrem possit, quæ sunt *præmia dentium.* Sed in morsibus serræ hoc singulare esse dicit auctor, quod frustra et sine usu mandat, et dentibus comminuta *respuat*, quemadmodum ii, qui cibum jam mansum fastidiunt, eumdem cum sputo solent abjicere.

LXI. PONS.

Stat nemus in lymphis, stat in alto gurgite silva,
Et manet in mediis undis immobile robur;
Terra tamen mittit, quod terræ munera præstat.

1. *Stat domus in* C. et Per. — *Stat nemus in lymphis*. Innumera multitudo arborum, quondam nemus integrum, cæsa et constructa in pontem stat in flumine. Lucan. I, 306: « In classem cadit omne nemus ».

2. *Permanet et mediis immobile robur in undis* Per. — *Immobile robur*. *Robur* nominat, quia pontes, ut hodie, ita olim plerumque e quercubus fiebant. Hinc et pons Tiberinus ab Ovidio, Fast. V, 622, vocatur *roboreus*. Sed cave hic per robur solam arborem intelligas. Quævis machina grandis e roboribus compacta, vel locus tignis roboreis inclusus, robur vocatur. Hic pons est. Virgilio sic dicitur equus Trojanus, Æn. II, 260: « lætique cavo se robore promunt ». *Robur* vocabatur Romæ carcer, vel locus in carcere, quo præcipitabantur malefici, qui ante arcis robusteis includebantur, teste Festo. — Et similiter *Roborarium* apud Gellium, II, 20, vivarium dicitur, quod tabulis roboreis includi solebat.

3. *Ac quum immittit* C. *præstet* E. — *Terra tamen mittit*, i. e. suppeditat, exhibet, suggerit: nempe arbores, e quibus pons construitur, nascuntur in terra. Sic Virg. Georg. I, 57: « India mittit ebur ». — *Quod terræ munera præstat*, h. e. quod vice terræ viam et transitum præbet, ac præstat, ut pedes viator ambulare per pontem, tamquam terrestri itinere, possit.

LXII. SPONGIA.

Ipsa gravis non sum, sed aquæ mihi pondus inhæret;
Viscera tota tument patulis diffusa cavernis;
Intus lympha latet, sed non se sponte profundit.

1. *Inhæret* A. et C. et D. et E. et Per. et Pith. *inhæsit* Cast. cui cætera non respondent. Ed.

2. *Tota tument* A. et B. et C. et Per. et Pith. *tota tamen* Cast. — *Viscera tota tument*. Sic Martialis, XIV, 141: « tergendis spongia mensis Utilis, expresso quum levis imbre tumet ». — *Patulis diffusa cavernis*, quoniam ea viscera laxata et distenta sunt crebris cavis et foraminibus patentibus. Sic terra *totis rimosa cavis* et *crebro introrsus spatio vacuata* dicitur a Lucilio, Ætn. v. 103 et 105.

3. *Jacet* C. *profundet* D. *refundit* Per. et Schott. — *Sed non sponte profundit*, nisi premar scilicet. Cast.

LXIII. TRIDENS.

TRES mihi sunt dentes, unus quos continet ordo;
Unus præterea dens est et solus in imo;
Meque tenet numen, ventus timet, æquora curant.

1. *Tres mihi sunt dentes.* Hinc nempe ipse *Tridens* dicitur, et *tricuspis telum* apud Ovid. Met. I, 330: « positoque tricuspide telo Mulcet aquas rector pelagi ». Martial. de Spect. 26, 3: « Fuscina dente minax ». — *Quos unus continet* B. et C. et Per. et Pith. *unus quos* Cast. et vulg.—*Unus quos continet ordo*, qui dentes in uno ordine juxta se sunt positi, ut ænig. XLI, 2: « plures ordine cernis ».

2. *Unus præterea dens.* Quartus dens, isque solus, nec aliis junctus, *in imo* hastili est, quia hoc acuminatum, ut alia hastilia in terram figi solita. — *Unus* et *solus* a Nostro jam conjungi vidimus. ED.—*Et solus iniquo* E. *et parte sub ima* Per.

3. *Nomen* E. — *Meque tenet Numen*, id est, Neptunus, quem ea de caussa *tridentiferum* adpellat, itemque *tridentigerum* Ovidius, Met. VIII, 595, et XI, 202. HEUM. — Totus hic versus expressus e loco Virgilii, Æn. I, 128 seqq. ubi et Neptuuus profitetur, « imperium pelagi sævumque tridentem sibi sorte datum », v. 138. — *Vectus timet* Per. *tumet* Caus.— *Ventus timet.* Apud Virg. l. c. v. 133, Neptunus: « Jam cælum terramque meo sine numine, Venti, Miscere audetis?... Maturate fugam! » — *Æquora curant* Per. Pith. Cast. Hic Heumannus contra consensum codd. rescripsit *æquor adorat.* Sed *curare* non est tam jejune dictum, quam illi videbatur. *Deos curare* est eos vereri, eorumque metu recte facere, aut a male faciendo abstinere. Sic Virg. Ecl. VIII, 103: « nil ille Deos, nil carmina curat ». Ita etiam Heyn. — *Æquora curant*, i. e. verentur, obsequuntur. Virg. v. 142: « dicto citius tumida æquora placat ».

LXIV. SAGITTA.

SEPTA gravi ferro, levibus circumdata pennis,
Aera per medium volucri contendo meatu,

1. *Septa gravis farro* in codice suo legebat Castal. probabat vero *Septa gravi*, quod reliqui habent: *pinnis* D.

2. *Volucri contendo meatu*, h. e. instar avis volo. Propter pinnas adfixas sagittæ vel centies vocantur *volucres* a poetis. Virg. Æn. V, 503: « sagitta Hyrtacidæ juvenis volucris diverberat auras ». Conf. Æn. V, 242 et 544; Manil. I, 848; Prudent. in Symm. I, 363. *Meatum* au-

Missaque discedens nullo mittente revertor.

tem frequentissime a poetis pro volatu avium usurpari ostendit Heinsius ad Claud. Rapt. Pros. II, 74. Adposite Petron. Bell. civ. vs. 178, de corvo: « pepulitque meatibus auras ».

3. *Descendens* B. et Per. — *Missaque discedens... revertor*, h. e. quamvis discedo in aera ab aliquo emissa, tamen ex alto *nullo mittente*, sed sponte mea *revertor*. *Discedo* et *revertor* hic opponuntur, ut supra ænig. LIX, 3, *mittor* et *remittor*. Utrumque conjungitur in illo Horat. Art. Poet. 390: « nescit vox missa reverti ». *Discedens* ita accipiendum, ut alias *cedere* et *abire in auras* poetæ dicunt. Vid. Ovid. Met. XIV, 848, et VIII, 524. Eadem prope verba de mirabili telo Cephali usurpat Ovidius, Met. VII, 684: « fortunaque missum Non regit, et revolat, nullo referente, cruentum ».

LXV. FLAGELLUM.

De pecudis dorso pecudes ego terreo cunctas,
Obsequium reddens moderati lege doloris;
Nec volo contemni, sed contra nolo nocere.

1. *De pecudis dorso*, h. e. de corio pecudis factum flagellum, ut ænig. XXI, 2. *Pecudes* hic muscas potissimum intelligit Bunem. perperam omnino: sunt potissimum jumenta. — *Flabella* autem erant, quibus muscæ abigebantur, unde *Flabarius*, qui in Isidori Glossis *custos corporum*. Ed. — *Cuncta* D.

2. *Obsequium reddens* A. et B. et C. et Per. et Pith. *Obsequio cogens* Cast. et vulg. quod et recentissimi editores servarunt. Ego vero præstantiorem duco lectionem, quam plures Mspti et excusi tenent, *Obsequium reddens*. — *Obsequium reddens*, i. e. faciens, ut jumenta, quæ cessare videbantur, pareant rursus et obsequantur. Nemesianus, Cyn. v. 567, de equo Mauro: « Paret in obsequium lentæ moderamine virgæ ». Hinc *increpare, hortari, imperare* flagello, verbere, dicunt poetæ. Ovid. Met. XIV, 820: « equos ictu verberis increpuit ». Plinius, Hist. Nat. XXVIII, 8, s. 27, « flagellum imperitans equo » adpellat. —*Memorata lege* C. et Per. et Pith. *moderate* D. — *Moderati lege doloris*, dum modico dolore incusso admonet et imperat. Virg. Æn. X, 587: « pendens in verbera telo Admonuit bijugos ».

3. *Noceri* D.

LXVI. LATERNA.

Cornibus apta cavis, tereti perlucida gyro,
Lumen habens intus divini sideris instar,
Noctibus in mediis faciem non perdo dierum.

1. *Cornibus apta cavis*, i. e. aptata et composita e cornibus cavis. *Apta* enim proprie est participium verbi obsoleti *apere* vel *apisci*, quod nectere, vel conformare significabat. Virg. Georg. III, 168: « ipsis e torquibus aptos Junge pares », i. e. adligatos et nexos. Plura exempla dat Heuman. — E cornu confectas fuisse laternas, vel illud Plautinum docet, Amph. I, 1, 185: « Vulcanum in cornu conclusum geris »; tum Martial. XIV, 62, ubi de laterna e vesica : « Cornea si non sum, numqnid sum fuscior? » — *Perlucida vitro* Per. et Pith. *perl. gyro* Cast. et reliqui. Etsi vero *vitro* antiquiorum edd. auctoritate valet, id tamen glossema et interpretamentum esse, et τὸ *gyro* præferendum puto. Illud enim illustre nimis et manifestum indicium laternæ est, ænigmati minus idoneum, eoque ipso suspectum, quod e vitro compositam laternam dicit, quam ante *cornibus aptam* dixerat. — *Tereti perlucida gyro*, h. e. circum circa perluceo et lumen fundo in orbem vel gyrum, e materia quavis polita factum, quo sum conclusa.

2. *Lumen habens intus divini sideris instar*, h. e. Lumen meum, quod intus gero, simile est sideri alicui cælesti, quod noctu lucet. Hoc ipsum significari videtur verbis Martialis, XIV, 61: « Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis », i. e. flammis meis inclusis velut aureum sidus luceo. Sic etiam in Epithal. Laur. v. 59, ignes et lychni in atrio suspensi vocantur *stellantia lumina*.

3. *Noctibus in mediis faciem non perdo dierum* omnes editi. Hunc autem versum sic emendat Heuman. *Noctibus en mediis faciem prope reddo dierum*. Sed vulgatam auctore ænigmatum indignam esse, quis illi credet, quum sit intellectu facillima? Ita Heyn. — *Faciem non perdo dierum*, h. e. facio, ut noctu facies aliqua diei, seu similitudo quædam lucis diurnæ maneat. Sic Prudent. Cathem. V, 27, de lucernis noctu accensis: « Absentemque diem lux agit æmula, Quam nox cum lacero victa fugit peplo », ut Virg. Æn. I, 731, dicit: « noctem flammis funalia vincunt ». E contrario: « noctis faciem nebulas fecisse volucres », scribit Ovid. Met. I, 602. Conf. ænig. VIII.

LXVII. SPECULAR*.

Perspicior penitus, nec luminis arceo visus,
Transmittens oculos intra mea membra meantes:
Nec me transit hiems, sed sol tamen emicat in me.

* *De vitreo specular* A. *Vitrum* Per. Reusn. *Vitreum* Per. sec. Salmasius, Exercit. Pliu. p. 184, *a*. titulum hujus ænigmatis in vetustis membranis ita legi docet: *Vitreum specular*, et pag. 771, *a*. divisim et συνωνύμως intelligendum dicit, *Vitrium*, *Specular*. *Vitrium* esse a *videndo*, ut *specular* a *speciendo*, et vitrinm idem esse, quod specular, quia specularia apud Veteres ex vitro pariter, ac lapide fiebant. — *Specular* est quadra lapidis specularis in tenues crustas secti, quam fenestris insertam cœnationibus, cubiculis, lecticis et pomariis hortorum, tum luce et calore solis perfundendis, tum ab aere et hieme defendendis, adhibebant. De lapide speculari Plin. XXXVI, 22. Usum specularium, quem dixi, cognoscas ex Seneca, Epist. 86, p. 367, ed. Gron. cujus hic verba adfero: « Quantæ nunc aliqui rusticitatis damnant Scipionem, quod non in caldarium suum latis specularibus diem admiserat! quod non in multa luce decoquebatur, etc. » Idem, Nat. quæst. IV, 13, p. 762: « Quamvis cœnationem velis ac specularibus muniant, et igne multo doment hiemem, nihilominus stomachus ille solutus,... quærit aliquid quo erigatur ». Vid. Martial. VIII, 14; Juvenal. Sat. IV, 21. Ed.

1. *Perspicior eunctis* Per.

2. *Transmittens oculos*. Seneca, Epist. 90, pag. 409, Gron. « Quædam nostra demum prodiisse memoria scimus, ut speculariorum usum, perlucente testa clarum transmittentium lumen ». Lactant. de opif. c. 8: « Mens per oculos ea, quæ sunt opposita, transpicit quasi per fenestras, perlucente vitro, aut speculari lapide obductas ». — *Oculos intra mea membra meantes*. Id est, oculos, qui intra illud spatium, quod partes lapidis specularis implent, versantur: *membra* specularis dicuntur partes ejus, vel testæ plures in fenestris compositæ: *oculi meantes*, qui versantur, convertuntur, ut sæpius *errantes*, *euntes* dicuntur.

3. *Nec me transit hiems*. Martial. VIII, 14, 4: « Hibernis objecta Notis specularia puros Admittunt soles, et sine fæce diem ». Plinius, Epist. II, 17, 4, laudat « aream parvulam, porticibus inclusam, egregium adversus tempestates receptaculum, quia specularibus muniatur ».

LXVIII. SPECULUM.

Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura.
Fulgor inest intus, radianti luce coruscans,
Qui nihil ostendit, nisi si quid viderit ante.

1. *Nulla mihi certa est. Nulla certa* ac perpetua figura mihi adsignata est, quam semper ostendam; sed quamlibet ostendere possum, ergo nulla figura mihi *peregrina* vel aliena est. Heyn. — *Nulla peregrina* A. et B. et D. interposuerunt *est: nulla est peregrina* Per. Pith. Cast.

2. *Radiata luce* Per. quod defendi potest hoc Claudiani, IV Cons. Hon. 552 : «vestis radiato murice solem Combibit ». *Coruscans* A. et B. et C. et D. et E. et Per. *coruscus* Pith. et Cast. — *Radianti luce coruscans.* Innuitur ab auctore *æreum speculum*, quod διαυγὲς κάτοπτρον vocat Callimachus. Heum. Ausonius Mos. v. 231 : « Candentem late speculi explorantis honorem », h. e. nitorem, et v. 235, *fulgens metallum* dicit. Veterum enim specula non ex vitro, ut nostra, sed stanno, ære, argento expolito erant facta, ut docet Plin. XXXIII, 9; immo et auro. Stat. Silv. III, 4, 94 : « Nobile gemmato speculum portaverat auro ». — *Coruscans* frequenter de speculo. Asclepiadius, in Anth. Lat. V, 106 : « speculum nitido splendore coruscat ». Ed.

3. *Qui nihil ostendit*, nullius imaginem refert. Sic Horatius, Epist. I, 5, 23, de supellectile cœnatoria speculi instar nitente et polita : « ne non et cantharus et lanx Ostendat tibi te ». *Rapere imaginem* speculum dicitur Statio l. c. v. 98, et Claudian. Nupt. Hon. v. 109. — *Nisi cum quod* A. *nisi si quod* B. *nisi quod perviderit* D.

LXIX. CLEPSYDRA*.

Lex bona dicendi, lex sum quoque dura tacendi,

* *De Clipsedra* A. *Clesedrus* B. *Clepsidra* C. *Clepsydra* D. et Cam. et Per. et Pith. *Ratio* inscripsit Cast. Walch. et alii, cujus inscriptionis rationem dare difficile est.

1. *Lex bona dicendi.* Ad mensuram et numerum clepsydrarum olim in judiciis spatium horarum ad dicendum caussidico dabatur. Hæc temporis a judice dati definitio vocabatur *lex*, ut e nonnullis Ciceronis locis probat Draudius, commentat. de clepsydris vet. cap. IV, p. 57. Recte igitur clepsydra dicitur *Lex bona dicendi*, quando a Prætore satis liberale spatium ad dicendum datur: eadem *lex dura tacendi* est, quando temporis concessi finem indicat. *Silentium clepsydra indici* ait Plinius, Epist. I, 23, 2.

Jus avidæ linguæ, finis sine fine loquendi,
Ipsa fluens, dum verba fluunt, ut lingua quiescat.

2. *Jus avidæ linguæ* A. et B. et D. et Per. et Cam. et Pith. *Vis avidæ* Cast. quod recepit Heyn. *fines sine fine* B. Theod. Hasæus inscriptione *Ratio* deceptus, ut ei secundum versum magis accommodet, ita scribit: *Vis avidæ linguæ, fons et sine fine loquendi*, atque tum ita construit: Vis et fons linguæ, avidæ loquendi sine fine; ut sensus emergat: *vim omnem et fontem sermonis esse positam in Ratione, quæ materiam præbeat*, etc. Heumannus ex ingenio dedit: *Do linguæ frenos avidæ sine fine loquendi*, nixus loco Dialogi de orat. cap. 38, 2, quo dicitur, Pompeium certo dicendi spatio oratoribus in judiciis dato, *imposuisse veluti frenos eloquentiæ*. Sed quum *dare frenos linguæ* vix dici posse ipse intelligeret, addidit conjecturam aliam: *Injicio linguæ frenos sine fine loquenti*. Ego inhærendum duxi lectioni, quam plurimi præstantissimique codices exhibent, *Jus avidæ linguæ*, quam et explico in not. — *Jus avidæ linguæ, finis*. Hoc est, oratori dicere aventi, quantum et quoad dicere justum sit, præscribit, ei vero, qui nimium loquax finem dicendi invenire nequit, finem imperat. Conferatur cum his lepidissimum epigramma Martialis, VI, 35.

LXX. PUTEUS.

Mersa procul terris in cespite lympha profundo,
Non nisi perfossis possum procedere venis,
Et trahor ad superos alieno ducta labore.

1. *Procul terris*, i. e. procul a superficie terræ. Curtius, IX, 5, 4: *procul muro*. Idem, V, 5, 5, *procul urbe*. Putei enim sæpe sunt profundiores. Virg. Georg. II, 230: « alteque jubebis In solido puteum demitti ». Heum. — « Putei sedem profundam » dicit Columella Hort. 25. — *Procedere venis* C. *procedere rimis* D. et E. et Pith. pro quo *rivis* posuit Cast. et vulg. *profusis possum procedere venis* Per. Heumannus correxit *terris*, invitis codd. *perfossis venis* adseruit Heyn.

2. *Non nisi perfossis possum procedere venis. Procedere*, ebullire, adfluere, ascendere. *Nisi venis perfossis*, nempe aquarum terram profundam permeantium. *Fodere venas* dixit Avienus, D. O. v. 1325.

3. *Et labor* A. *Et trahor* C. et B. et Per. et Pith. *Est labor* D. et E. *Labor et* transponendo emendavit Castal. quod et placuit Heynazio, quamvis in textum non receptum. — *Et trahor ad superos*. Sic Terent. Maurus præfat. v. 23: « Haustos hinc igitur cados Imis ab tenebris, aquæ, Tum filo tenui trahens ». *Superos* ambigue dixit. Qui alias cælestes et Deos significant, ut ænigm. XLVII, 2, hic homines in superiore parte terræ agentes. Sic plane apud Plautum, Aulul. II, 7, 6, *superi* vocantur, qui supra puteum sunt.

LXXI. TUBUS*.

Truncum terra tegit, latitant in cespite lymphæ;
Alveus est modicus, qui ripas non habet ullas.
In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.

* *Tubus* hic vocatur ligneus canalis, e trunco arboris perforato, ut primus versus significat, per quem aqua deducitur. *Fistulæ tubulique* vocantur in lege Romana apud Frontinum de Aquæd. art. 129, p. 220, edit. Pol. Romæ isti tubuli, quibus aqua ducebatur e castellis, erant plumbei, « lamina plumbea circumacta in rotundum », ut scribit Frontinus, art. 25, pag. 81. Hinc Ovid. Met. IV, 122: « Non aliter, quam quum vitiato fistula plumbo Scinditur, et tenues stridente foramine longe Ejaculatur aquas ». — Ἄδηλον inscripsit huic epigrammati Reusn. et plane nullam inscriptionem habet Per. sec.

1. *Alveus est modicus*. Pro *alveo* lymphæ illi subterraneæ est foramen exiguum, vel canalis angustus per truncum ligni actus; et hic alveus *ripas non habet ullas*: quæ verba duplicem habere sensum possunt: nempe, alveus ejus talis non est, qualis fluviorum, qui ripis continetur, vel intra ripas est; vel, alveus ille, licet modicus, ripis tamen nullis coercetur, simulque est immodicus et effusus; quemadmodum de pontu terris omnibus superfuso Ovidius loquitur, Metam. I, 292: « deerant quoque litora pontu ». Quo pacto verba ea quum sensum efficiant ambiguum, repugnantem, et mirificum, hinc plane sunt ænigmatica.

3. *Modico, quod ligna vehebant* B. *modico, quæ ligna vehebat* Per. Junretus ad Symm. Epist. IV, 51, *medio* pro *modico* reponendum censet, quumodo scriptum in veteribus schedis invenit. Sed *medio* dudum ediderunt Pith. et Cast.

LXXII. FOLLIS*.

Non ego continuo morior, dum spiritus exit;
Nam redit adsidue, quamvis et sæpe recedat,

* *De Follibus* A. *Follis* B. et C. et Pith. et Per. Reusnerus in margine adscripsit *Tibia*. *Uter* Cast. Walch. et al.

1. *Continuo morior*, i. e. statim morior, spirare desino. *Mori* de folle usurpat, quis et *spiritum* ei, qui proprie animantium est, pro vento tribuit. Sic *exanimare folles* Lucilius dixit, Ætn. 559: « follesque trementes Exanimant, pressoque instigant agmine ventos ».

2. *Recedit* B. et D. *in sæpe recedit* C. Ex horum codicum lectione Heu-

Et mihi nunc magna est animæ, nunc nulla facultas.

mannus effecit *quamvis mihi sæpe recedit.* Sed *quamvis et sæpe recedat* Per. Pith. Cast. quod merito retinuit Heyn. — *Redit adsidue... et sæpe recedat.* Virg. Georg. IV, 171 : « taurinis follibus auras Accipiunt redduntque ». Ausonius, Mos. v. 268, de folle : « Accipit alterno cohibetque foramine ventos ». Verbo *recedere* etiam proprie de exeunte spiritu morientis utuntur poetæ. Ovid. Met. XI, 43 : « in ventos anima exhalata recessit ». Add. Virgil. Æn. IV, extr.

3. *Magna est anima, nunc* A. *Et mihi nunc magna est animæ, nunc* B. et C. et D. et Pith. quam lectionem receperunt Henm. et Heyn. *magna anima est, nunc* E. *Et mihi nunc animæ magna est* Per. *Nuncque mihi magna est animæ* Cam. *Nunc mihi magna meæ est animæ* Cast. — *Magna est animæ*, i. e. flatus, venti. Virg. Æn. VIII, 403 : « Quantum ignes animæque valent ». Pluribus exemplis hunc usum vocis *animæ*, pro spiritu vel flatu usurpatæ, adducto etiam hoc Symposii ænigmate, illustrat Burmannus ad Ovid. Met. IV, 497.

LXXIII. LAPIS.

Deucalionis ego crudeli sospes ab unda,
Adfinis terræ, sed longe durior illa.
Litera decedat, volucris quoque nomen habebo.

1. *Crudelis hospes in unda* A. et B. et C. et D. et E. *ab unda* D. *Deucalion ego sum crudelior hospes ab unda* Per. *crudelior hospes in unda* Pith. Cast. et vulg. Recte hæc emendavit et e *crudelis hospes*, quod quinque codices habent, refinxit *crudeli sospes*, scripsitque : *Deucalionis ego crudeli sospes in unda*, quod etiam recepit Heyn. Ego vero malim e primo cod. Lugdun. et editione Perionii recipere *ab unda*. Nam *sospes* cum præposit. *a* vel *e* solet construi, et hic lapides notantur, qui ab eluvione Deucalionea salvi remanserunt. Horat. Carm. I, 37, 13 : « Vix una sospes navis ab ignibus ». — *Crudeli sospes ab unda*, qui propter duritiem et gravitatem ab unda diluvii Deucalionei salvus et incorruptus mansi, ita ut ex lapidibus a Deucalione jactatis novi homines nascerentur. Ovid. Met. VII, 356 : « Deucalioneas effugit inobrutus undas ». Et Columella, Hort. v. 67 : « Deucalioneas cautes, *dicit*, *quæ* abruptæ montibus altis *genus hominum* peperere ».

3. *Litera decedat.* Supra ænigm. XXXVI, 3 : « si litera prima periret ». — *Volueris quoque* A. et B. et C. et Per. et Pith. *voluerum nomen* D. *volucrum sic* E. *volucris tum* Cast. et rel. — *Volucris quoque nomen habebo.* Dempta litera L remanebit vox *apis*, quod est nomen animalis volantis : *volucres mella daturas* vocat apes Ovidius, Fast. V, 271. Et vid. not. nostr. ad Licentii carmen, v. 21 tom. III huj. op. Ed.

LXXIV. CALX*.

Evasi flammas, ignis tormenta profugi.
Ipsa medela meo pugnat contraria fato.
Ardeo de lymphis; mediis incendor ab undis.

* *Chalybs* inscribit Per. perperam. — De calce hic proprie sumpta sermo est. Figurative autem sæpius apud Ciceronem terminus curriculi in circo, qui calce aut creta olim notabatur. Unde Tusculan. Quæst. I, 8 : « Video calcem, ad quam quum sit decursum, etc. » De Amic. cap. 27 : « E carceribus ad calcem pervenire ». Senect. cap. 23 : « a carcere ad calcem revocare ». Senec. Epist. CVIII : « ait Cicero, quoniam sumus a calce ejus interpellatione revocati : hanc, quam nunc in circo cretam vocamus, calcem Antiqui dicebant ». Ed.

1. *Profugi* A. et C. et D. et Per. et Pith. *refugi* Castal. et vulg. — *Ignis tormenta profugi. Profugere* pro effugere s. refugere habes apud Melam, III, 9, 37 : « Eudoxus, quum Lathurum regem Alexandriæ profugeret ». Curt. X, 2, 20 : « Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos ». Et vide Grævium ad Cic. lib. X, ad Att. ep. 8, p. 154. Heyn.

2. *Ipsa medulla* A. et B. Glossa tamen in A. adscripsit : Lege *medela : medella* D. *pugnet* E. *fatu* D. — *Ipsa medela meo*, h. e. Ipsa aqua, quæ alias medela esse solet contra vim ignis, contraria est mihi, et *pugnat fato meo*, omnem vim adhibet ad fatum meum peragendum. Ovid. Met. VII, 526 : « pugnatum est arte medendi ». Virg. Æn. IV, 38 : « placitone etiam pugnabis amori ». — *Ipsa medela*. Sententiam hujus versus ita expressit Plinius, Hist. Nat. lib. XXXVI, 23 : « Mirum, aliquid, postquam arserit, accendi aquis ». Idem, lib. XXXIII, 5, extremo : « Calx aqua accenditur ». Heum.

3. *Ardeo de lymphis mediis incendor ab igne* A. *ardeo dempsis, medios incendor ad ignes* D. *Frigeseo lymphis, calidis incendor ab undis* Per. et Pith. *Infrigidor lymphis calidis, incendor ab undis* B. *Infringor lymphis calidis, incendor ab undis* C. *Ardeo de lymphis, mediis incendor ab undis* Cast. et vulg. Quamvis Heumannus hic edidit *ab undis*, in editione tamen Operum Lactantii *in undis* dedit, quod Bünemannus ibidem repetiit.

LXXV. SILEX.

Semper inest in me, sed raro cernitur ignis;
Intus enim latitat, sed solos prodit ad ictus;
Nec lignis, ut vivat, eget, nec, ut occidat, undis.

1. *Semper inest intus* Cast. et vulg. *inest in me* C. et Per. et Pith. quod prætuli, quia *intus* secundo versu recurrit.

2. *Intus enim latitat.* Virgilius, Georg. I, 135 : « Et silicis venis abstrusum excuderet ignem ». Idem, Æn. VI, 6 : « semina flammæ Abstrusa in venis silicis ». Heum. Supra LXII, 3 : « Intus lympha latet ». — *Ad ictos* D.

3. *Nec occidat* D. et E. Sed in codice C. totum ænigma sic legitur : *Magna mihi duro mollitur semper ab igne, Tantesque sicco intus mihi virtus adhæret, Semper inest in me, sed raro cernitur ignis.* Pari modo in editione Perionii exhibetur præsens ænigma, ita quidem, ut corrupta scriptura codicis C. emendata videatur : *Virtus magna mihi duro mollitur ab igne, Cessantique foco virtus tamen intus adhæret. Semper inest in me, sed raro cernitur ignis.* De eo sic judicat Heumannus : Videtur lacer quispiam codex, in quo ænigma hoc ita corruptum erat, ut vix unus ejus versus legi posset, otioso monacho occasionem præbuisse, suo ex ingenio resarciendi damnum. — *Nec lignis ut vivat... nec ut occidat.* *Vivere, mori, occidere, reviviscere* de igne et lumine frequenter usurpant poetæ. Propert. IV, 3, 50 : « Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem ». Apud Statium, Theb. VI, 547, et XII, 252 : « moriens ignis », et apud Petron. c. 22 : « occidentes lucernæ ». Multa alia hanc in rem congesserunt Heinsius ad Ovidium, Met. VII, 77, et Burm. sec. ad Propert. l. c.

LXXVI. ROTÆ*.

Quatuor æquales currunt ex arte sorores,
Sic quasi certantes, quum sit labor omnibus unus;

* *Rotæ* inscribunt B. et C. et Per. idque receperunt Heum. et Heyn. *Rotæ, seu Quadriga* Pith. *Rota* Cast. et vulg.

1. *Ex parte* A. et C. *æquali... ex parte* Per. Reusnerus tamen in margine notavit *æquales... ex arte: sororis* D. — *Æquales currunt ex arte sorores. Æquales* h. l. dicuntur ejusdem formæ et mensuræ, non ejusdem ætatis, ut explicat Heum. *ex arte currunt æquales*, quæ per artem et structuram artificiosam ita sunt conjunctæ et compositæ, ut æqualem cursum teneant.

2. *Quam sit* edid. Heyn.

Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

3. *Sunt una, neque se* Per. sed pro *una* Reusnerus in marg. *pariter.* Bunemannus conjicit *Et prope eunt pariter.* — *Et prope sunt pariter.* Id est, æque prope (*sind sich einander gleich nahe*); ita interpretantur Heum. et Heyn. Ego magis velim in voce *pariter* respici ad duo paria rotarum, quæ uno axe et pari distantia conjuncta, unum alterum consequuntur, ut se prope contingere videantur, nec tamen contingere possint. Qui sensus fere melius exprimitur lectione, quam Bünemannus reperit, *prope eunt pariter;* nempe *eunt pariter* per paria junctæ, et singula paria sibi *prope* eunt. — *Et prope sunt pariter.* Putabam legendum : *Et prope eunt pariter;* quod confirmatur a Quintiliano, qui lib. I, cap. 1, 14 : « Non longe Latina subsequi debent, et cito pariter ire ». Seneca, Epist. V, p. 14 : « Sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt », i. e. conjuncta sunt, ut idem ante dixit. Mamertinus, Genethl. cap. XI : « Ambo sunt, pariter sunt : quam junctim sedent ! » Bux. — *Et prope sunt.* Ego conjicerem *Et properant,* quod et elegantius et rotis aptius quam *sunt* aut *eunt.* Ed.

LXXVII. SCALÆ *.

Nos sumus, ad cælum quæ tendimus alta petentes,
Concordi fabrica quas unus continet ordo,

* *Scalæ* inscribunt Pith. et Cast. *Scala* Per. Sed *Scalæ* rectius est, quia in ænigm. pluralis numerus adhibetur.

1. *Possumus ad cælum* B. *ad cælum quæ scandimus* A. Per. Pith. Cast. Glossa in A. ad *scandimus* adscripsit: lege *tendimus: quia scandimus* C. *quæ tendimus* D. et E. quam lectionem receperunt Heum. et Heyn. — *Ad cælum quæ tendimus.* Virgil. Æn. IV, 445 : « quantum vertice ad auras Ætherias tendit ». Lactant. lib. II, 18, 5 : « ad superna niti semper ac tendere ». Bux. — Sed quum offendere possit tautologia in *tendere* et *petere*, hinc legi posset *surgimus* vel *crescimus*, quæ eleganter de montibus, turribus et aliis quæ in altum extolluntur, dici notissimum est. Hæc etiam commutantur apud Ovid. Met. I, 44 : « Lapidosos surgere montes », ubi in aliis *crescere.* Heroid. Epist. VII, 11 : « Nec mea Carthago nec te crescentia tangunt Mœnia »; ubi *surgentia* prætulit Burmannus. Silius Ital. XIV, 309 : « Perque altam molem et toties crescentia tecta Scandit ovans ». Ed.

2. *Concordi fabrica quas unus*, h. e. duobus asseribus vel perticis, quæ gradus impactos continent, ita fabricatis, ut concorditer secum æqualitate graduum, et paribus intervallis, conveniant : *geminam arborem* scalis tribuit Stat. Theb. X, 841, quarum *concordem fabricam* hoc loco iudicari puto. — *Quas unus continet ordo.* Idem hemistichium supra occurrebat ænigmate LXIII, 1.

Ut simul hærentes per nos scandatur ad auras.

3. *Et simul... mittentur* Per. *Ut simul... comitentur* Pith. Cast. *scandatur* emendavit Heum. et edidit Heyn. *nitantur* conjicit Bünem. et Heyn. — *Ut simul hærentes per nos.* Per *hærentes* intelligo ipsos gradus scalæ, qui asseribus vel perticis infixi sunt uno ordine. Hoc inprimis docere potest locus in Cicer. Epist. ad fam. lib. VI, 7, 8 : « Quemadmodum igitur scalarum gradus, si alios tollas, alios incidas, nonnullos male hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, non adscensum pares ». Possunt etiam *hærentes* intelligi scalæ, quæ parieti, arbori, muro adplicatæ sunt; quemadmodum Virgil. Æn. II, 442 : « Hærent parietibus scalæ ». Librarii, qui hoc versu scripserunt *per nos mittentur* vel *comitentur*, videntur *hærentes* de hominibus, qui scalis inhærent ut adscendant, accepisse. — *Per nos scandatur.* Lego *nitantur*, quod de adscensu in ardua sæpe poni solet. Virg. Æn. II, 442 seq. « Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos Nituntur gradibus ». Quintil. lib. I, proœm. 20 : « Altius tamen ibunt, qui ad summa nituntur, quam qui præsumpta desperatione, quo velint, evadendi, protinus circa ima substiterint ». Bunem. — *Scandatur ad auras. Aerium iter* scalas vocat Stat. Theb. X, 842. — Et vide locum Silii supra adductum. Ed.

LXXVIII. SCOPA*.

Mundi magna parens, laqueo connexa tenaci,
Juncta solo plano, manibus comprensa duabus,

* *Scopa* inscribunt omnes libri, quamvis *scopam* et *scalam* singulari numero efferri improbet Quintil. lib. I, cap. 5, 16.

1. *In silvis genita et laqueo* B. et C. et Per. et Pith. *Mundi magna parens, laqueo* Cast. et seq. *complexa* B. et C. — *Mundi magna parens. Mundum* pro munditie dixit, quam scopis adsignat Plautus, Stich. II, 2, 23 : « Munditias volo fieri, efferte huc scopas ». Atque hinc *emundare* de scopis dicitur. Juvenal. XIV, 67 : « uno Semodio scobis hæc emundat servulus unus »; ita enim legendum puto, non *emendat*, quod in vulgatis est. Festiva autem ambiguitas est in *Mundi magna parens,* quum tam magnifice de re vili loquatur. Et videntur librarii, fortasse monachi, ea formula offensi, qua etiam Deus adpellari posset, illam substituisse, quæ duobus in codd. totidemque editionibus adparet : *In silvis genita.* — *Laqueo connexa tenaci.* Ita Virg. Georg. IV, 412 : « Tanto, gnate, magis contende tenacia vincla ». Bun.

2. *Vincta solo* D. *comprensa* A. idque dederunt Heum. et Heyn. sed *compressa* habent priores Per. Pith. Cast. Castalio tamen, ut in notis monet, *comprensa* libentius scribere voluit : *complexa pressa duobus* D.

Ducor ubique sequens, et me quoque cuncta sequuntur.

3. *Sequens, me quoque* D. *Quoque sequens ducor, simul et me cuncta sequuntur* Per.— *Sequi* de illis dicitur, quæ se facile duci patiuntur. Virg. Æn. VI, 146: «Carpe manu; namque ipse volens facilisque sequetur». Ed.

LXXIX. TINTINNABULUM.

Ære rigens curvo patulum componor in orbem;
Mobilis est intus linguæ crepitantis imago;
Non resonat positus, motus quoque sæpe resultat.

1. *Patulum... in orbem* A. et C. et D. et E. et Pith. *patulo... in orbe* Per. et Cast.

2. *Linguæ crepitantis imago*. Malleolum mobilem, quo tintinnabulum pulsatur, similem esse dicit linguæ, quæ adpulsu suo ad palatum vocem et sonum efficit : quod expressit Horatius, Serm. II, 3, 274: «Quid? quum balba feris annoso verba palato». Ob eam caussam videtur Juvenalis, Sat. VI, 440, mulieris argutam garrulitatem tintinnabulis adsimilare : «Verborum tanta cadit vis, Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas Pulsari». Ut hic tintinnabulum linguæ, ita Echo *vocis imago* dicitur. Virgil. Georg. III, 50. — *Linguæ crepitantis*. Æra inprimis *crepitare* dicuntur. Apud Virgil. Georg. IV, 151, cymbala vocantur *æra crepitantia*. Et de ipsis tintinnabulis Paulinus, Natali VI, Fel. «Ut præsepia vidit Nuda boum, et nullos dare tintinnabula pulsus, Excussa ut cervice boum crepitare solebant».

3. *Nam removent penitus* C. *motus quoque longe* Castalio in codice suo habuit, pro eoque legit *motus longeque;* sed edidit deinceps quod Pithœus. *Dum gaudu subito, mater mea me laniabit* D. *Gaudeo dum subito, mater mea me laniavit*. Quod versum hunc alienissimum duo codices exhibeant, hoc inde factum esse Heumannus existimat, quod duo ænigmata essent in unum confusa, adeoque prioris tertius, posterioris duo priores versus periissent. Posterius autem ænigma infra loco ultimo occurrit, *Lagena* inscriptum, ubi sic editus est versus tertius : *Dum cecidi infelix, mater mea me divisit*. Nec infeliciter conjecit Heumannus. In editione Perionii et Pithœi ænigma *de Lagena* illud *de Tintinnabulo* proxime sequitur, ob quam vicinitatem duo hæc ænigmata, si obscurius et corruptius scripta in aliquo codice fuerunt, facile potuerunt ab imperito librario confundi. Qua confusione quum titulus *Lagena* periisset, hinc alii codices descripti, qualis Castalionis fuit, toto illo ænigmate caruerunt, et Castalio, quum illud a Pithœo editum legisset, secunda editione demum cæteris addidit, et ultimo loco posuit. — *Positus, motus. Orbis* e versu primo revocandus : de voce *resultat* conf. æn. XI.

LXXX. CONDITUM*.

Tres olim fuimus, qui nomine jungimur uno;
Ex tribus est unus, tres et miscentur in uno;
Quisque bonus per se, melior, qui continet omnes.

* *Conditum* Pith. et Cast. *De potu ex melle* A. *conditus potus* B. et C. et Per. qui titulus non displicet Heumanno, ob versum tertium, ubi *melior* extat, non *melius*. — *Conditum*. Ex Apicio, lib. I, cap. 1 et 2, adparet, *vinum*, *mel*, *piper* tria fuisse illa, quæ ad *conditum* quodcumque pertinerent. Gesn.

1. *Tres olim fuimus*. Ad hæc verba glossa antiquissimi codicis Anglicani hæc adscripsit : *id est, mel et vinum et piper*. Heum.

2. *Et tres miscentur* A. et C. et D. et E. *tres et miscentur* B. *tres commiscentur* Per. Pith. Cast.

3. *In se* D. — *Quisque bonus per se*, i. e. sine reliquis duobus, vel sine alterius adjumento. Vid. not. ad LIII, 2.

LXXXI. ACETUM EX VINO*.

Sublatum nihil est, nihil est extrinsecus auctum;
Nec tamen invenio, quidquid prius ipse reliqui:
Quod fuerat, non est; cœpit, quod non erat, esse.

* Hic titulus est in Castal. et vulgatis editionibus : sed *Vinum conversum in acetum* apud Per. et Pith. legitur.

1. *Sublatum est mihi nil, et nil extrinsecus* B.

2. *Nec tamen invenio* B. et Per. *inveni* Pith. et Cast. *quidquid prius ipsa reliqui* A. et C. et D. et Per. et Pith. *ipsa reliqui* B. *esse reliqui* Cast. Heumannus correxit *quod in isto vase reliqui*. Et hic versus in vulgatis omnibus est tertius; sed Heumannus transpositione facta in secundum locum recepit, quod Heynazius ait se non posse non probare. Et mihi idem videtur justa ex ratione factum

3. *Quod fueram, non sum, quod eram, non nunc fore cœpi* B. *Quod fueram, non sum, cœpi, quod non erat, esse* C. et Per. et Pith. *Quod fuerat, non est : cœpit, quod non erat, esse* Cast. et rel. — *Quod fuerat*, nempe vinum ; quod non erat, nempe acetum. Posset legi : « Quod fueram, non sum ; cœpi quod non eram, et esse ». Ed.

LXXXII. MALUM *.

NOMEN habens Græcum, contentio magna Dearum,
Fraus juvenis pulchri, multarum cura sororum,
Excidium Trojæ, dum bella cruenta peregi.

* *Mnlum*, μῆλον Per. — *Malum*, sive pomum, hoc ænigmate describitur per continuas adlusiones ad fabulas poetarum, quibus malum vel missum, vel donatum, vel custoditum intervenit. Quas fabulas item conjunctas pro laudatione mali pulchri adduci vidimus in Classe carminum hortensium hujus tomi, (supra pag. 131), ubi conferendæ sunt adnotatl. nostræ.

1. *Nomen ovis Græce* A. et C. et D. et E. et Cam. et Per. in margine. *Est mihi nomen ovis* Pith, el Per. qui subjicit: *Græce: nam μῆλον et ovem et malum significat.* Verum quum ex hac scriptura oriatur acumen admodum frigidum, et monacho ineple sedulo, quam auctore poeta, dignius, rejicit eam Heumannus, et relinet, quam Castalio cum aliis protulit: *Nomen habens Græcum.* — *Nomen habens Græcum.* Uli e φήμη fit *fama*, sic e μῆλον *malum*, e μήτηρ *mater.* Scilicet Dores pariter ac Æoles η in α mutare solebant. Vid. Heupelius de dialectis Græcis, Can. 257 et 340. HEUM. — *Contentio magna Dearum*, i. e. caussa fui magnæ contentionis inter Deas tres, Junonem, Palladem et Venerem, de pulchritudine ortæ, quum pomum aureum, inscriplum *pulcherrimæ*, ab Eride vel Discordia projectum in medium Deorum convivium essel.

2. *Juvenis functi* A. et B. et C. et D. et E. et Per. et Pith. et Cam. *juvenis pulchri* Cast. et recentiores. — *Fraus juvenis pulchri.* Intelligi potest vel Hippomenes, qui Atalantam, quum objectis tribus aureis malis retardaret, cursu superavil; vel Acontius, qui Cydippen lecto jurejurando, quod pomo in ejus sinum conjecto inscripserat, se redamare coegit. — *Multarum cura sororum*, nempe Hesperidum, quæ mala aurea in hortis suis ad Oceanum servabanl, ab Hercule demum ablata.

3. *Exeidium Trojæ.* Caussa excidii Trojæ pomum Eridis, Veneri a Paride adjudicatum, qui, accepta pro præmio judicii sui Helena, Græcos in bellum et excidium Trojanum concitavit. — *Quæ bella cruenta peregi* Per. et Pith. *dum bella* Cast. quem sequutus est Heyn. sed Heumannus rescripsit *cui bella cruenta paravi.* Reusnerus ad versum tertium adnotavit: Pro extremo versu alias legitur: *Hoc volo, ne breviter mihi syllaba prima legatur.* Atque hunc etiam pro tertio versu ponit Cam. et *Hoc volo ne brevior mihi* cod. D. et E. Plane autem ut quartum versum tribus adjungit cod. A. — *Dum bella cruenta peregi*, i. e. postquam bellum multo sanguine fuso confeci, cujus finis ipsum excidium Trojæ fuit.

LXXXIII. PERNA.

Nobile duco genus magni de gente Catonis.
Una mihi soror est, plures licet esse putentur.
De fumo facies, sapientia de mare nata est.

1. *De gente Catonis.* Adludit ad familiam M. Porcii Catonis, de qua disputat copiose Gellius, Noct. Att. XIII, c. 19. Uti enim Romæ vetus Brutos, Bestias, Verres, Apros, Asinios, Catulos, Caninios habuit, sic et Porcios. Heum.

2. *Una mihi soror est*, scilicet altera ejusdem porci perna, quasi germana: *plures licet esse putentur*, et possint pernæ omnes haberi pro sororibus. Supra æn. LXXVI, 1, rotas pariter junctas et currentes vocabat sorores.

3. *De fumo facies.* Horat. Serm. II, 2, 117: « fumosæ cum pede pernæ ». — *Deque mari sapor inhæsit* B. *de mari mihi sapor inhæsit* C. *mihi de mare gustus inhæsit* Per. et Pith. Reusnerus subnotavit: Postremus versus alias ita legitur: *De fumo facies, sapientia per mare parta est:* quam lectionem paullo meliorem reddidit Castal. *sapientia de mare nata est.* — *Sapientia de mare nata est.* Respicit salem marinum. Quod enim sapit perna, de sale habet. Sic vice versa *salis mica* dicitur de sapientia. Gesn.—*Mare* est ablativus antiquus pro *mari*, quo poetas meliores etiam subinde usos esse, Heumannus tribus locis Ovidii probat. Et nos idem notavimus ad fragm. III Varronis Atac. quod in hujus operis tomo quarto dedimus, pag. 578. Ed.

LXXXIV. MALLEUS.

Non ego de toto mihi corpore vindico vires,
Sed capitis pugna nulli certare recuso.

1. *Vindico corpore* A. quod melius visum Heum. aures suas eruditas testanti: et sic Bünem. et Heyn. — *De toto mihi corpore vindico vires.* Vires, quibus ago, non a toto corpore meo habeo, sed tantum a capite.

2. *At capitis* Per. et Reusn. *Pugnum* D. nisi hoc sphalma typogr. est in Heum. pro *pugnam*. — *Pugna nulli certare.* Pro *certare cum nullo.* Græcismus haud ignotus. Catull. Carm. LXII, 64: « noli pugnare duobus ». Propert. I, 7, 3: « primo contendis Homero ». Virg. Ecl. V, 8: « solus tibi certet Amyntas ». Manil. V, 511: « Aurea Phœbeis certantia lumina flammis ». Bur. Vid. supra ænig. LXXIV, 2, huj. tomi pag. 406. Ed.

Grande mihi caput est, totum quoque pondus in illo.

3. *Grande tomen* A. D. et E. male: nullus enim hic est adversativæ locus: *totum quoque corpus* C. et Cast. quod probarunt Heum. Bünem. et Heyn. Sed ita sensus exsistit versui 1. contrarius, ubi satis clare amplius sibi corpus esse dicit, quam quod capite definiatur. Vid. not. nostram. *Pondus in ipso* Per. et Reusu. *corpus in ipso est* C. *pondus in illo est* Pith. *in illo* P. Cast. Heum. Bün. Heyn. — *Grande mihi coput est.* Idem hemistichium adfuit æn. XL, 1. — *Totum quoque pondus in illo. Pondus* hoc loco idem, quod v. 1 *vires* dixerat, quas ut ibi non toti corpori tribuit, sed capiti, ita hic *pondus totum* ei inesse dicit. Et *pondus* fabrilibus malleis præcipue tribuitur. Lucilius, Ætn. v. 39, de Cyclopibus: « Quum super incudem numerosa in verbera fortes, Horrendum magno quaterent sub pondere fulmen ».

LXXXV. PISTILLUS *.

Contero cuncta simul virtutis robore magno.
Una mihi cervix, capitum sed forma duorum.

* *Pistillum* C. Nullum titulum habent et ἄδηλον inscribunt Per. et Reusn.

1. *Virtutis robore mogno*, magna vi. Quintil. de caus. corr. eloq. cap. 26, 8: « Virium robore multum cæteros superat ». Curtius, IX, 7, 16: « Pugil ob eximiam virtutem virium regi pernotus et carus ». Heum.

2. *Una mihi cervix.* Pistillo sunt duo capita, vel duo extrema rotunda, forma capitum: una cervix, nempe pars post utrumque caput continuata, qua est manubrium. — *Mihi est* A. *Capitum sed forma oliorum* Per. et Reusn. Scriptura non contemnenda pro, capita sunt opposita, quæque facilius corrumpi potuit in planiorem lectionem *duorum*, quam hæc in illam. *Alius* et *olter* passim est diversus, contrarius, oppositus. Vide Cortium ad Cicer. Epist. ad Div. II, 2, 4. Sed fortasse *oliorum* licentia sequioris ætatis hic scriptum est pro *olliorum*, ut sententia sit: *capitum meorum forma similis est capitibus olliorum.* Sic *alium* pro *allium* in inscript. ænigm. 92, ubi videantur var. lect. et *milia* pro *millia*. Ceparum et alliorum formæ similem esse capitis pistilli, verissimum est. Allii caput dixit Persius, Sat. V, 188: « si non Prædictum ter mane caput gustaveris alli », et σκορόδου κεφαλὴν Aristophanes, Vesp. 679. — *Forma* quandoque cum *fama* librarii confuderunt. Vid. Burm. not. ad Ovid. Epist. IV, 27, et Met. X, 240. Ita apud Val. Flacc. II, 148: « Non fama, non arte colus, non laude pudoris Par tibi »; ubi Heins. et Barth. restituunt *forma*. Sed forte *norma* reponendum sit, quæ aliquando commutantur. Sic apud Curt. VIII, cap. 14, § 13: « Ipse Porus humanæ magnitudinis formam excesserat »; ubi alii *normam* præferunt. Et sic

Pro pedibus caput est: nam cætera corporis absunt.

apud Ennod. ep. 87: « Virtutum pretium forma pudicitiæ ». Burm. margini adscripserat *fama*. Ed.

3. *Pro pedibus caput est.* Alterum capitum, quo tunditur, pro pede est, quia hoc instat et insultat rebus conterendis. Hinc *ire* dicitur pistillus auctori Moreti, v. 111: « Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes ». — *Cætera corporis absunt* de conjectura sua, quam confirmavit B. reposuit Heum. et servarunt Bünem. et Heynaz. Vulgo legebatur *nam cætera corpora non sunt*, dure et obscure, pro *cæterum corpus* vel *cæteræ corporis partes*, nisi *corpora* depravatum ex *corpore*, quod pro *corpori* vel *in corpore* dictum. — *Cætera corporis*, i. e. cæteræ partes corporis. Ovid. Met. VI, 713: « Cætera qui matris, pennas genitoris haberent ». Idem, Her. VI, 124: « Fallere non possunt: cætera patris habent ». Bur.

LXXXVI. STRIGILIS*.

Rubida, curva, capax, alienis humida guttis,

* Bünem. inscribit *Stritilis* subjicitque uncis inclusum [*Strigelis*]. Quæ vocabula unde sint et a quonam usurpata, non habeo dicere. In cod. Castal. inscriptio desiderabatur. — *Strigilis* erat instrumentum balneare, a stringendo dictum, quia eo corporis sordes et sudores destringebant. Formam ejus Pignorius de servis, p. 40, sic describit verbis Apuleii in Floridis (p. 346, ed. Elm.): « juxtaque honestam strigileculam recta fastigiatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ; ut et ipsa in manu capulo moraretur, et sudor ex ea rivulo laberetur ». Typum vel figuram strigilis eodem loco exhibuit Pignorius, ut et Hieron. Mercurialis, Art. gymn. lib. I, cap. 8.

1. Servavi codicum scripturam *Rubida*, invito licet metro: hanc enim sibi licentiam sumpsit ætas recentior, et contra Prudentius *rubiginem* dixit prima brevi. Conjeci tamen *Uvida*, cui gemina sunt sequentia *alienis humida guttis*. *Rubea* B. et C. In A. glossa addidit: *lege Rubea*, quod non aptius metro. *Rupea* P. Per. Reusn. Pith. idque probat Castal. nescio qua mente, quove significatu dictum existimans: nauci enim est illa vox et mihi quidem inaudita. Depravata hæc scriptura videtur ex *Rubea*, idque falso effictum ex *Rufeo*, ut verum fortasse sit *Rufeo curva*, qua ratione et metro consulitur. Cast. conjecit etiam *Roscida*. — *Rubida* erat strigilis, vel coloris rubidi, quia ex ære vel aurichalco fabricata: *curva*, ut facile adplicaret se et complecteretur corpus detergendum; unde Martialis, XIV, 51: « curvo destringere ferro »: denique *capax*, h. e. apta ad excipiendos sudores, cava et tubulata: *alienis humida guttis*, nempe hominis sudore, non suo, madida.

Luminibus falsis auri mentita colorem,
Dedita sudori, modico succumbo labori.

2. *Numinibus falsis* E. mendose. — *Luminibus falsis*, i. e. splendore falso, quo strigilis, ab igne balnei et lucernarum lumine relucens, ita nitet, ut aureum colorem vel splendorem mentiri videatur. Splendor hic *falsus* est, quia non naturalis et proprius, sed aliunde adveniens. Vid. æn. XXIII, 3. Meminisse debemus strigilum usum fuisse in balneis, eaque multo igne et lucernis illustrata fuisse. Vide iconem balinei vel lavacri ab Hier. Mercuriali propositam, Art. gymn. lib. I, c. 10, p. 29. — *Aureo simulata metallo* B. *auri similata metallo* C. *auri simulata metallo* Per. et Reusn. — *Auri mentita colorem*. Virgil. Ecl. IV, 42: « varios discet mentiri lana colores ». Heum. *Auro* inprimis lumen et splendor comparatur. Virg. Æn. VI, 204: « Discolor unde auri per ramos aura refulsit ». Hinc Martiali, XIV, 61, *laterna* dicitur *clausis aurea flammis*; et *aurea sidera* apud poetas passim. — Conf. Manilius, Astron. V, 511. Ed.

3. *Modico succumbo labori*. Hoc est, modico labore stringendi et detergendi opus est, ut sudore adfluam. Proprie *succumbere labori* dicuntur homines, qui defatigantur ad sudorem usque. Hic sensu ambiguo ponitur phrasis ista, ut etiam in strigilem conveniat. Ubi *labor* intelligitur, non qui defatigationem et sudorem creat, sed qui sudori detergendo impenditur, et qui modicus est. Huic *succumbere* strigilis dicitur, quando supponitur et adplicatur corpori, ad sudorem excipiendum.

LXXXVII. BALNEUM.

Per totas ædes innoxius introit ignis:

1. *Per totas sedes* B. et D. — *Per totas ædes*. Per *ædes* intelligit cellam balnei, inprimis sudatorium, vel Laconicum, uti fit in his versibus Statii, qui plane, ut Noster, describit, Silv. I, 4, 59: « ubi languidus ignis inerrat Ædibus, et tenuem volvunt hypocausta vaporem ». — *Per totas ædes innoxius introit ignis*. Hæc verba Apollonius, loco in var. lect. indicato, sic explicat: « balneum, ubi hinc inde flammæ per tabulas surgunt », recte omnino; sed pro *tabulas* legendum est *tubulos*. Nam balnea Veterum ita calefiebant, ut ignes pavimento subjecti per tubos vel canales parietibus circum insertos calorem in totam cellam diffunderent. Sic illa describit Seneca, Epist. XC: « Quædam nostra demum prodiisse memoria scimus: ut speculariorum usum, suspensuras balneorum, et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul et summa foveret æqualiter ». Hoc est, quod dicit Noster, *per totas ædes introit ignis*. Descripsit hujusmodi sudatorium et iconem ejus dedit Jo. Rhodius ad Scrib. Larg. p. 103 seq.

Est calor in medio magnus, quem nemo veretur.
Non est nuda domus, sed nudus convenit hospes.

2. *Est calor in medio magnus.* Non hic cogitandum de foco vel igne in medio posito, uti apud Virg. Georg. II, 528; sed solus intelligitur vapor, qui undique circumfusus etiam medium complet : uti describit Ausonius, Mos. v. 338 seq. « ferventi quum Mulciber haustus operto Volvit anhelatas tectoria per cava flammas, Inclusum glomerans æstu exspirante vaporem ». — *Quem nemo veretur* omnes libri scripti et excusi. Ejus loco Heumannus substituit *cui nemo ferendo*, male omnino, quo sensus auctori plane alienus adfingitur, qui quum dixisset, ignem per totas ædes introire, hoc admirabile addere volebat, neminem tamen illum vereri vel cavere, sed potius cupere, eoque uti velle. Auctor historiæ Apollonii Tyrii, qui hoc ænigma recitat p. 700 edit. Vels. pro iis verbis habet *quem nemo removit.*

3. *Non est nuda domus.* Vel, quia non sine vestibus est : multæ enim in apodyterio sunt depositæ eorum, qui nudi balneum ingrediuntur; vel, quia non vacua est supellectile : nam habet instrumenta et utensilia balnei suspensa, strigiles, ampullas olei et unguenti, lintea ad detergendum, lucernas, lavacra, urceos. — *Nudus sed convenit hospes.* Idem auctor, qui deinde quartum versum ænigmati adjungit : *Si luctum ponas, insons intrabis in ignes.* — *Nudus convenit hospes. Domum* et *hospitem* similiter conjungit auctor ænig. XI, 2 : « Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes ». — *Convenit*, undequaque venit. Ed.

LXXXVIII. TESSERA.

Dedita sum semper voto, non certa futuri.
Jactor in ancipites varia vertigine casus.

1. *Semper fato* A. et D. *voto semper* Per. *certa futuro* Per. Pith. Cast. *futuri* bene correxit Heumann. — *Dedita sum semper voto.* In alea et lusu tesserarum non arti, sed tantum fortunæ et voto locus est. Pariter Martialis, lib. XIV, epigr. 16, de turricula, per quam rotatas tesseras emittebant, fraudis evitandæ caussa : « Quæ scit compositos manus improba mittere talos, Si per me misit, nil nisi vota facit ». Et huc commodissime adludit Seneca, Epist. 117, p. 581 : « subibo hujus voti aleam ».

2. *Jactor.* Consuetum de tessera verbum. Ovid. Art. Am. II, 203 : « Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos, Tu male jactato, tu male jacta dato ». Idem, Art. Am. III, 353 : « talorum ducere jactus Ut sciat, et vires, tessera missa, tuas ». Bun. — *Varia vertigine*, ita ut inter jactandum varia conversione subsiliam. Similiter Anthol. Burmann. lib. III, ep. 78, de tabula :

Nunc ego mœsta malis, nunc rebus læta secundis.

« Contorquet varios alternans tessera missus ».

3. *Nunc ego...nunc rebus* B. et Per. *Non... non* Pith. et Cast.

LXXXIX. PECUNIA.

Terra fui primo, latebris abscondita terræ;
Nunc aliud regnum flammæ nomenque dederunt;
Nec jam terra vocor, licet ex me terra paretur.

1. *Fui primum* B. et Per. et Pith. *primo* Cast. — *Terra fui primo. Terra* subinde vocatur metallum, i. e. terra semen metalli habens, priusquam excoquitur. Lucilius, Ætn. v. 269 : « Quæritur argenti semen, nunc aurea vena, Torquentur flammis terræ, ferroque domantur ». Hoc loco auctor *terram* ambigue dixit, ut etiam regio, ager, intelligi possit, cui versu secundo respondeat *regnum*. — *Abscondita terræ* A. et D. et E. *abscondita diris* Per. et Pith. *duris* Cast. — *Latebris abscondita terræ*. Avien. Descr. Orb. 1313 : « Pars subit abrupti sola cespitis, aurea ut illis Terrarum in latebris excludant cante metalla ». — Adposite Ovid. Met. I, 138 : « itum est in viscera terræ : Quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris, Effodiuntur opes, irritamenta malorum ». En.

2. *Aliud regnum* Per. quæ lectio præferenda videtur vulgatæ *pretium*. *Dederunt* A. et Per. *dedere* Cast. et vulg. — *Nunc aliud regnum flammæ nomenque dederunt*. Nunc postquam flammis excocta sum, pro terra regnum accepi nomenque aliud, nempe pecuniæ. Elegantem lectionem *aliud regnum*, licet ab unico Perionii codice servatam, merito vindico et restituo, cujus acumen non intelligentes librarii *pretium* substituerunt pro interpretamento. Sane apte et argute, quæ prius terra fuit, dicitur regnum cum novo nomine accipere, quæ *regina Pecunia* vocatur ab Horat. Epist. I, 6, 37. Nam et *regnum* pro terra vel agro possesso dicitur, ut in hoc Virgilii, Ecl. I, 70 : « Post aliquot, mea regna videns, etc. » Tum etiam pro jure, vi et potestate in rebus ponitur. Ovid. Met. XIV, 20 : « Sive aliquid regni est in carmine ». Idem, Fast. V, 261 : « Forsitan in teneris tantum mea regna coronis Esse putes ».

3. *Ex me terra paretur*, id est, agri emantur nummis. Sic Senecæ Epist. 5, « res non magno parabiles » vocantur, quæ emi possunt levi pretio. Heum. Vid. infra ænigma XCII, 3.

XC. MULIER GEMINOS PARIENS *.

Plus ego sustinui, quam corpus debuit unum.
Tres animas habui, quas omnes intus habebam;
Discessere duæ, sed tertia pæne sequuta est.

* *Mulier gemellipara quæ geminos parit* Per. Reusn. *Mulier quæ geminos parit* Per. 2, et Pith. *Mulier geminos pariens* Cast. et seq.

2. *Tres animas habui. Animæ* pro animantibus et eorum vita. Ovid. Fast. IV, 666, de forda bove immolanda: « Det sacris animas una necata duas ». Severus Sanct. in Carm. buc. v. 63: « Vidi animas duas Uno in corpore perditas ».

3. *Discessere duæ.* Gemini infantes partu editi. Luditur vocibus *discedere* et *anima*. Nam alias *discedere anima* dicitur eorum, qui exspirant, ut hi *animam dimittere*. Mart. I, 79, 8. Ovid. Met. XI, 788: « animæ misera de sede volenti Exire ». Similiter Virgil. Æn. IV, 385: « Et quum frigida mors anima seduxerit artus ». Supra æn. LXIV, 3, *sagitta discedens*, i. e. evolans. — *Sed tertia bella peregit* Per. mira lectio. — *Pæne sequuta est*, nempe anima matris super partus doloribus pæne discessit a corpore, seu exstincta est.

XCI. MILES PODAGRICUS *.

Bellipotens olim, sævis metuendus in armis,
Quinque pedes habui, quos unquam nemo negavit;

* *De milite* A. *Miles* B. et C. et Per. *Miles podagricus* D. et Castal. *Eques podagricus* Pith.

1. *Bellipotens olim.* Festive auctor militem gregarium et debilem magnifico nomine *Bellipotentis*, quo ipse Mars insignitur apud Virgil. Æn. XI, 8, ornat, quomodo *Strategus* nominari apud Plautum solet, et ab auctore Moreti, v. 60, pauper agelli cultor, diurnum sibi victum parans, *providus Heros.*

2. *Sex pedes* A. et B. et C. *Sexque pedes* Per. et Pith. Sic scripserunt, vel corruperunt potius, librarii, qui putarent *equitem* innui, qui connumeratis equi sui pedibus sex pedes habet. Sed rectius *quinque pedes* dederunt D. et Cast. qui *Militem podagricum* inscribunt: *quos nunquam* A. *quos nemo negavit* B. *quos unquam* C. *quos nunquam nemo negaret* Per. *quos nunquam nemo negavit* Pith. Cast. et vulg. Heumannus correxit: *quod quamquam nemo negavit, Nunc mihi vix duo sunt.* Sed Heynazius lectionem codicis Angl. tertii, quocum et alii quodammodo conspirant, recepit: *quos unquam nemo negavit,* vulgatam Castalionis adfirmans, offendere ob duplicem negationem, non adfirmantem, sed

Nunc mihi vix duo sunt: inopem me copia fecit.

uegantem. Hunc ipse sequutus sum. — *Quinque pedes habui.* Ludit in ambiguo verbo *quinque pedum*, quod ad mensuram pertinet, et *duorum pedum*, quos podagra debilitabat. Cast. Scilicet justa militum statura apud Romanos erat quinque pedum et supra. Vegetius de Re mil. lib. I, cap. 5: « Proceritatem tironum ad incommam scio semper exactam, ita, ut senos pedes, vel certe quinos et denas uncias habentes probarentur ». Büuemannus præterea excitat locum e Dosithei Magistri libr. III, sive Hadriani Imp. sententiis, quas Goldastus cum notis edidit Genev. 1601, et repetiit Fabricius, Bibl. Gr. vol. XII, p. 516. Ibi pag. 12 Gold. narratur, quemdam militare cupientem quærenti Hadriano πεῖον μῆκος ἔχεις respondisse πέντε πόδας καὶ ἥμισυ. Goldastus ad eum locum etiam ænigmatis Symposii sub lemmate *Miles podagricus* meminit, idque ait nec Petr. Pithœum, nec Jos. Castalionem intellexisse.

3. *Copia reddit* B. et Per. — *Inopem me copia fecit.* Aperte imitatur Ovidium, Met. III, 466, ubi Narcissus, sui ipsius in fonte captus amore, inquit: « Quod cupio mecum est: inopem me copia fecit ». Prout hic umbræ suæ copia et facultate inops erat amatæ formæ, ita inops et indigus pedum factus erat miles ipsa pedum podagra distortorum copia et tumore. Seneca de Ira, lib. I, c. 16, p. 37, Gron. « nec corporibus copia vitiosi tumoris intensis, morbus incrementum est, sed pestilens abundantia ». Nostri Symposii Strategus, ut Plauti verbo utar, paullo aliter explicat. Utrumque certe verum. Bur. Hic igitur *copiam* accipit de humoris vitiosi adfluentia in podagra, quæ debilitatem pedum efficit. Mihi auctor, mera verborum Ovidii accommodatione, copiam exterius advenientem innuere videtur, nempe vini et ciborum copiosius ingestorum intemperantiam, quam parentem podagræ esse satis constat.

XCII. LUSCUS ALLIUM VENDENS *.

Cernere jam fas est, quod vix tibi credere fas est.
Unus inest oculus, capitum sed milia multa.

* *Luscus alios vendens* B. et Per. *Luctum alium tenens* C. *Luscus alium vendens* Pith. *Luscus* Cast. Waleb. et al. qui titulus imperfectus est.

1. *Cerne, licet, propius, quod* Per. *Cernere jam fas est, quod* Pith. et Cast.

2. *Unus enim est* A. *capitis* Per. —*Capitum sed milia multa.* Per. *capita*, nisi titulus moneret allia significari, poterant et alia herbarum, quæ a poetis et rei rusticæ scriptoribus laudantur, capita intelligi, ut papaverum, et cognati generis, porri et ceparum, quæ in caput nutriuntur, quarumque in descri-

Qui, quod habet, vendit, quod non habet, unde parabit?

ptione sæpius capitum meminit Plinius lib. XIX, cap. 6, s. 32, 33, 34; siquidem inprimia *capitatum porrum*, ut Columellæ XI, 3, 30, et Pallad. Febr. 24, 11, celebratur; unde auctor Moreti, v. 74: « capiti nomen debentia porra » dixit. Sed hoc loco allium præcipue significari, *capitum milia multa* indicant, quia caput allii multis cohærentibus bulbis vel nucleis compactum et coagmentatum est, ut multa, pro uno, capita habere videatur. Vid. Plin. l. c. sect. 34.

3. *Quæ quod habet* A. *Qui, quod habet* D. et Per. et Pith. *Quotquot habet* B. *Quid quod habet* C. *Quidquid habet* Cast. Walch. et al. — *Qui, quod habet, vendit*, h. e. Qui capita vendit, quæ habet, unde ille oculum, partem capitis, quam non habet, parabit? Heyn.

XCIII. FUNAMBULUS *.

Inter luciferum cælum terrasque jacentes
Aera per medium docta meat arte viator;

* De Funambulo et petaurista variæ exstant descriptiones Manilii, V, 650 seqq. Martialis, II, 86; Juvenalis, XIV, 266, 272; Claudiani de Cons. Mall. 322; Prudentii Hamartig. 367; Anthol. Lat. Burmann. lib. III, epigr. 179, quæ cum nostro ænig. collatæ illi lucem adfundent.

1. *Lucifluum* A. *lucificum* B. et C. et D. et Per. Glossa tamen in B. adscripsit *luciferum*, quod etiam habent Pith. et Cast. — *Terrasque jacentes*, expressisse videtur e Virgilio, Æn. I, 224: « Despiciens mare velivolum terrasque jacentes », i. e. inferius positas. Seneca *jacens* opposuit *edito* Epist. 61, pr. « Quum plurima loca evomant ignem, non tantum edita, quod crebrius evenit, quia ignis in altissimum effertur, sed etiam jacentia ». Bur.

2. *Aera per medium*. Prudentius l. c. « per aerium pendens audacia funem. Manilius: « Et cæli meditatus iter ». — *Docta meat* A. et D. et E. et Per. et Pith. *docte* C. *doctus* Cast. — *Docta meat arte viator*. Sic *doctum* et *aerium viatorem* adpellat funambulum epigramma Antholog. cit. « Stuppea suppositis tenduntur vincula lignis, Quæ fido adscendit docta juventa gradu; Quæ super aerius protendit crura viator ». — *Meare* hoc sensu sæpissime apud Veteres usitatum esse demonstrat Anthol. Lat. Burmann. lib. VI, epigr. 82, ubi vs. 5: « Non jam mirabar sumptis te, Dædale, pennis Isse per ætherios, natura errante, meatus », ubi *meatus ætherii* dicuntur, ut *ætherium iter* de Mercurio, Ovid. Fast. V, 88: « Ætherium celeri qui pede carpit iter ». Ed.

Semita sed brevis est, pedibus nec sufficit ipsis.

3. *Semita sed brevis est. Tenues sine limite gressus* vocat Manilius l. c. *graciles vias* Martialis, *gracilem rudentem* epigr. v. 6. Et *semitam* proprie esse angustam, et tenuem, distinctam a via, probant viri docti ad Phædr. lib. III, Prolog. v. 38. — *Pedibus nec sufficit ipsis*, h. e. Semita illa, qua incedit funambulus, nempe funis, tam angusta est, ut plantam pedum non capiat. Similiter Plinius, Paneg. cap. 22, de hominibus loquens, qui in ædium tectis hærentes spectarent, locum eos occupasse dicit qui, « non nisi suspensum et instabile vestigium caperet », h. e. qui ita angustus esset, ut non totam pedis plantam, sed ut digitos solos, vel calcem caperet.

XCIV. UMBRA*.

INSIDIAS nullas vereor de fraude latenti;
Nam Deus adtribuit nobis hæc munera formæ,
Quod me nemo movet, nisi qui prius ipse movetur.

* *Echo* inscribit E. *Echo de umbra* C. — Quod in vulgatis editionibus sub numero XCIV legitur ænigma *de numero octonario*, ob rationes in procemio adductas ultimum in locum rejectum est, quo ante Pithœus collocaverat. — Vide infra huj. tom. p. 428. ED.

1. *Latenti* A. et B. et C. et D. et Per. *lacerti* E. *latentis* Pith. *latentes* Cast. et vulg. *latenti* adsumpserunt Heum. et Heyn. — *Vereor de fraude latenti.* Dicunt Latini *vereri de aliquo.* Cic. de Senec. c. 6 : « De qua (Carthagine) vereri non ante desinam, quam illam excisam cognovero ». Virg. Æn. IX, 207 : « Equidem de te nil tale verebar ». Phædr. lib. I, fab. 15 : « de dolo noli vereri ». Simili ratione dixit Cicero, lib. V, ad fam. ep. 6 : « a me insidias metuunt ». BUR.

2. *Nobis hæc munera* A. et B. et C. et D. et E. et Per. et Pith. *hujus mihi munera* Cast. *talis mihi munera* fabricavit Heum. quod scripturam codicum MSS *nobis* pro *mihi* corruptam putaret. Contra Heynazius constantem lectionem codicum rejicere sibi religioni duxit, additque, quod hic *Umbra* de se in plurali loquatur, et mox pergat in singulari, id non infrequens esse. In quo recte judicat. Vide principium Cynegetici Nemes. *securi prœlia ruris Pandimus : Aonio jam nunc mihi pectus ab œstro Æstuat*, etc.

3. *Quod me nemo movet*, quod a nemine moveri et impelli possum, nisi qui antea motu se prodiderit. HEYN. Ovid. Met. III, 434 : « Ista repercussæ, quam cernis, imaginis umbra est. Nil habet ista sui, tecumque venitque manetque ».

XCV. ECHO.

Virgo modesta nimis legem bene servo pudoris.
Ore procax non sum, nec sum temeraria lingua;
Ultro nolo loqui, sed do responsa loquenti.

1. *Sacri legem* Per. et Pith. *modesta nimis, legem* Cast. et vulg. Heumannus comma inter *nimis* et *legem* sustulit, et τὸ *nimis* cum *bene*, non cum *modesta*, conjungendum putat. — *Modesta nimis*. Junctum *nimis* cum *bene* mavult Heum. nec male, nisi putes *modesta nimis* hic conjungi, ut in Lactantio *grata nimis*, de Phœnice, v. 88 : « Et sociat myrrhæ pascua grata nimis ». Bur. — Sed vitiosam eam lectionem in Phœnice esse monui in adnotatione ad eum locum. Cæterum *nimis* et *nimium* sequioris latinitatis scriptoribus sæpe poni pro *valde*, *perquam*, jam pluribus locis hujus collectionis poetarum observare licuit. Vid. Maxim. El. II, 1; III, 11, et adnotationes ad hæc loca.

1. *Ore procax*. Grævius, Lect. Hesiod. cap. 14, p. 72 : Euripidis ἀχάλινον στόμα est Taciti *procax lingua* (Ann. I, 16). *Procacem* puellam similiter *modestæ* opponit Ovidius, Am. II, 4, 11 seq. « Sive aliqua est oculos in se dejecta modestos, Uror, et insidiæ sunt pudor ille meæ. Sive procax aliqua est, capior, quia rustica non est ». Festo *procari* est poscere, inde *procaces* meretrices ab *adsidue poscendo*. Lactant. lib. V, 19, 30 : « Illuc veniunt sine delectu adulteræ impudicæ, lenæ procaces, obscenæ meretrices ». Bur. — *Temeraria linguæ* D.

3. *Do responsa loquenti*. Ovidius, Met. III, 357 : « Vocalis Nymphe, quæ nec reticere loquenti, Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo ».

XCVI. SOMNUS.

Sponte mea veniens varias ostendo figuras;
Fingo metus vanos nullo discrimine vero;

1. *Sponte mea veniens. Venire* de Somno dicere amant poetæ. Mart. I, 72 : « Et quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni ». Statius, Silv. V, 4, 16, 19, ad Somnum : « Inde veni, aut leviter suspenso poplite transi ».

1. *Varias ostendo figuras*. Claud. Rapt. Pros. III, 124 : « Somnia quin etiam variis infausta figuris Sæpe moneut ». Figurarum in somnis *artificem* et *simulatorem* Morphea fingit Ovid. Met. XI, 634.

2. *Metus vanos* A. et B. et C. et Cam. et Per. et Pith. *varios* Cast. et vulg. *vero* A. et C. *veri* B. et Cam. et Per. et Pith. *veros* Cast. et vulg. — *Fingo metus vanos. Vanos*, quibus nullum *verum discrimen* vel periculum subsit. Tibull. III,

Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

4, 7 : « Somnia fallaci ludunt temeraria nocte, Et pavidas mentes falsa timere jubent »; et v. 13 : « Efficiat vanos noctis Lucina timores ». Ovid. Her. XVI, 342 : « Crede mihi, vanos res habet ista metus ».

3. *Sed me nemo videt. Somnum videre* usitata Latinis formula. Terent. Heaut. III, 1, 82 : « Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis ». Ovid. Her. XVIII, 27 : « His ego si vidi mulcentem pectora somnum Noctibus, etc. » Burm. — *Claudet* D.

XCVII. MONUMENTUM.

Nomen habens hominis post ultima fata remansi;
Nomen inane manet, sed dulcis vita profugit.
Vita tamen superest morti post tempora vitæ.

1. *Habens hominum* Per. *fata remansi* A. et B. et Per. et Pith. *fara remansi* C. *fata remanens* D. *fata remansit* E. *post ultima fata relinqua* Cans. *ultima saxa relinqua* Cast. et vulg. — *Nomen habens hominis*; inscriptum nomen hominis defuncti. Hinc Propert. II, 1, 82 : « Et breve in exiguo marmore nomen ero ». Idem, lib. III, 14, 30 : « Non juvat in media nomen habere via », i. e. monumentum ad viam positum. »

2. *Nomen inane manet*, quod jam vivo homine caret, sine anima et usu vitæ est. Laberius in prologo apud Macrobium : « Sepulcro similis nil nisi nomen retineo ». Pari ratione a Virgilio, Æn. VI, 886, et XI, 52, *inane munus* et *vanum honorem* dici arbitror, qui præstatur mortuo, sed nihil ad vitam ejus retinendam valet. Heynium in ea interpretatione sequor. Non satis apte huc quadrare videntur *corpus inane*, i. e. exanime, et *tumulus inanis*, quæ a poetis frequentata ab Heumanno et Bunem. hoc loco conferuntur. — *Dulcis vita ubi fugit* B. — *Sed dulcis vita profugit.* Virgil. Æn. VI, 428 : « Quos dulcis vitæ expertes ». Horatius, Carm. I, 16, 23 : « in dulci juventa ».

3. *Post vitæ tempora langa* B. *past morti tempara vitæ* C. *superest morti past tempora vitæ* Per. Pith. *superest multis* ex ingenio substituit Heum. — *Vita tamen superest morti.* Vita tamen aliqua morti superstes facta est, nempe vita nominis, post exactam vitam corporis. Heyn. — Hunc sensum juvant extremi versus epigr. 242, Anth. Lat. lib. IV : « Ac ne terra aliena ignoti nomine obissent, Hic titulus parvo proloquitur lapide », ubi Burmannus « ne ignoti nomine obissent » ita intelligit, ut indicetur ideo marmori inscriptum esse epitaphium, ne nomen eorum posteritati lateret : nominis enim proferendi caussa sepulchra et epitaphia ponebant. Ed.

XCVIII. ANCORA*.

Mucro mihi geminus ferro conjungitur unco;
Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo;
Scrutor aquas medias; ipsas quoque mordeo terras.

* Citat hoc ænigma sub Symposii nomine Cerda ad Virgil. Æn. I, v. 169, quemadmodum in Procemio jam monueramus.

1. *Unco* A. et B. et Cast. *uno* C. et E. et Per. et Pith. — *Ferro conjungitur unco.* Merito hanc lectionem, quam optimi codices habent, alteri prætulimus *uno*, siquidem ancoræ extremitas nude vix dici *mucro* potest, sed *mucro uncus*, quemadmodum *mucronem aduncum* hamo tribuebat auctor ænig. LIV, 1. Et sic etiam Virgil. quem respexisse videtur Noster, Æn. I, 173: « fessas non vincula naves Ulla tenent, unco non adligat ancora morsu ».

2. *Dum* C. — *Cum vento luctor.* Propert. IV, 1, 147: « Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis ».

3. *Scruto* C. — *Ipsas quoque mordeo terras.* Sæpe etiam in litus ipsius terræ conjicior. Ovid. Her. II, 4: « Litoribus nostris ancora pacta tua est ». *Mordere* ancora dicitur, quia et dentes ei tribuuntur, ut a Vestritio Spur. III, 6, et Virg. Æn. VI, 3: « tum dente tenaci Ancora fundabat naves ».

XCIX. LAGENA*.

Mater erat tellus; genitor fuit ipse Prometheus;

* De ordine et numero, quo hoc ænigma collocatum a Castalione est, dixi in var. lect. ad ænig. LXXIX. *Lagena* inscribunt omnes editi, antiquiores et recentes. *De olla* A. qui titulus vetustissimi codicis præplacuit Heumanno, ut poneret *Olla;* eumque sequutus est Heynaz. Ego vero, cur ob unius differentiam cæterorum omnium consensum spernerem, caussam non vidi. Et genuinum hunc esse titulum, persuadere potest Juvenalis, XII, 60, qui *ventrem* quoque lagenæ tribuit, ut Noster.

1. *Mater erat tellus.* Quia e terra est creta vel argilla, e qua formantur figulina. Columella Hort. v. 59: « Terra Prometheæ genetrix fuit altera cretæ ». — *Genitor fuit ipse Prometheus.* Qui primus hominem e luto finxisse dicitur, *auctor vulgi fictilis* a Phædro, IV, 14, adpellatus, ille jure pro inventore artis figulinæ, atque adeo lagenæ, habetur. Propert. III, 3, 29: « O prima infelix fingenti terra Prometheo ». Pro nobili aliquo figulo, majoris ejusdem operis opifice, Prometheus dicitur apud Juvenalem, IV, 133:

Auriculæque regunt redimitæ ventre cavato.
Dum cecidi infelix, mater mea me divisit.

« Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus ».

2. *Auriculas redimita veho cum ventre* B. *Auriculæque regunt, redimitæ ventre cavato* Per. et Pith. rectius hic fortasse scribas *redimitam*, sc. lagenam. — *Auriculæque regunt.* Intelliguntur duæ ansæ lagenæ, quas et Græci ὦτα vocant. Hæ ansæ *regunt* ollam, h. e. adprehensæ faciunt, ut regi, tolli, gestari possit. Inde *diota* Horatii, Carm. I, 9, 8, est vas testaceum, duabus ansis instructum. Nec alia ratio nominis *amphoræ* est. Græcis enim ἀμφορεὺς vocatur, et describitur ἀγγεῖον ἀμφοτέρωθεν φερόμενον. — In Anth. Lat. Burm. VI, 24, de homine bibaci : « Amphoram te, non hominem vocabo, Et nimis plenam et patulam lagenam ». Notum quoque illud de Bonoso tyranno, homine bibacissimo, ex suspendio voluntario sublimi pendente, apud Vopiscum, in ejus vita, cap. 15, ubi tradit milites : « Amphoram illic pendere, non hominem » dixisse. *Utres* inflatos alii vocant. Vide Pricæi notas ad Apul. Met. III, p. 167. Sic cantharum Tiberium bibacem vocat auctor epigrammatis optimi, quod editum est Anth. Lat. II, 78; et Cantharus gulosi et bibacis nomen apud Martial. IX, 11. Ed. — *Red. v. cavato.* Durius et insolentius videtur, auriculas *redimitas* dici *ventre cavato*, aptius fortasse auctor *redimitam* dixerit ipsam lagenam. Et fere prætulerim lectionem codicis Anglic. secundi : « Auriculas redimita veho cum ventre cavato », *Veho*, id est, gero. Vid. not. ad Perv. Ven. 30. Apud Avien. Or. Marit. 348, occurrit « species cavi Teretisque visu urcei ».

3. *Dum misera cecidi* A. et B. *mater mea meque divisit* A. *mater mea post diu vixit* B. *infelix, mater mea me divisit* Per. *mater mea me ante divisit* Pith. et Cast. cum vulg. Hæc lectio vulgata quum vitium metri admittat in *divisit*, Heumannus intelligens versum spondaicum esse, ejecto *ante* scribendum putavit, ut Perionius habet, *mater mea me divisit.* Idem sentit Heyn. In Pithœanæ editionis exemplari meo docta manus versum tertium, nescio, ex codice aliquo, an ex ingenio, sic refictum adscripsit : *Dumque cado infelix, mater me antiqua revisit.* Sensus inest haud ineptus, sed auctoritatem desidero. — *Mater mea me divisit.* Recte lagena, dum frangitur, *dividi* dicitur. Nam et apud Virgilium, Æn. II, 244, exstat *Dividimus muros*, id est, perfringimus. Heum. — Hoc plane sensu Vestritius Spur. Od. I, 16 : « Æstas quem decies septima dividit », i. e. affligit, frangit, debilitat. Vid. not. ad eum loc.

C. CUCULUS*.

Frigore digredior, redeunte calore revertor.
Desero quod peperi; hoc tamen educat altera mater.
Quid tibi vis aliud dicam? me vox mea prodit.

* Solam Perionii editionem, ex eaque ductam Reusneri, hoc ænigma exhibere, monui in Prooemio. In aliquo veterum Msptorum, quibus usus est Heumannus, fortasse id exstitit, sed ille quod ipsum ænigma non recensebat, observare hoc et monere intermisit. Itaque hic nullus varietati locus est. — *Cuculus*, Græcis κόκκυξ, hoc ænigmate a singulari sua indole describitur, qua ova sua nidis aliarum avium infert, et pullos alienæ matri supponit. Enarrant eam Aristoteles, Mirab. ausc. c. 3; Antigonus Caryst. hist. mirab. cap. 50 et 109; Ælianus, hist. anim. lib. III, c. 30; Plinius, Hist. Nat. lib. X, cap. 9, pluresque alii, quos Jo. Beckmannus V. C. in comment. ad loca Aristotelis et Antigoni citata nominavit. Nos potissimum e Plinio illustrabimus.

1. *Frigore digredior, redeunte calore revertor.* Plinius l. c. de Coccyge: « Procedit vere, occultatur Caniculæ ortu ». Idem, alio loco, lib. XVIII, 16, s. 66, *alitem temporariam* vocat cuculum, quia tantum vere visitur.—Similiter in carmine Bedæ in laudem Cuculi, illa avis dicitur *frigora depellere*, et v. 16, cum vere venire dicitur: «veniat Cuculus cum germine læto ». Ed.

2. *Desero quod peperi.* Plinius: « semper parit in alienis nidis, maxime palumbium, majori ex parte singula ova, quod nulla alia avis: raro bina. Caussa subjiciendi pullos putatur, quod sciat se invisam cunctis avibus: nam minutæ quoque infestant, etc. » — *Hoc tamen educat altera mater.* Plinius: «Educat ergo subditum adulterato feta nido... mater gaudet ejus specie, miraturque sese ipsam, quod talem pepererit; suos comparatione ejus damnat, ut alienos, absumique etiam se inspectante patitur ».

3. *Quid tibi vis aliud dicam?* Quid postulas, ut tibi amplius exponam, quæ sim, et quo nomine adpeller? nam ipsa vox mea, quam audis, nomen meum satis prodit. Scilicet coccyx vel cuculus nomen habet a voce, qua semper et ad tædium usque repetita, se primo vere prodit, per onomatopœiam, ut vix alia sit avis, quæ similiter in tot linguis idem nomen habeat. Ita Beckmannus scribit ad Aristot. mir. ausc. p. 15. Inde, qui veteri quodam ritu, cujus Horatius, Sat. VII, 29; Plinius, XVIII, 26; Ausonius, Mos. 165, meminerunt, vinitores sero nimis, et post æquinoctium, vitem putantes probro adficere, cuculum compellantes, solebant, non illud convicium nomine cuculi objecto, sed imitatione cantus alitis illius temporarii, faciebant, ut loca auctorum adlegata recte exponit Rappoltus, Comment. in Horat. Sat. et Epist. p. 177.

CI *.

Nunc mihi jam credas, fieri quod posse negatur.
Octo tenes manibus, sed me monstrante magistro,
Sublatis septem reliqui tibi sex remanebunt.

* Hoc ænigma deest in edit. Per. Ultimum sive centesimum est in Pith. quartum et nonages. in Cast. et seq. Qui exhibent, hunc ei titulum faciunt: *De VIII ut tollas VII, et VI remaneant*, qui titulus plane nihili est, quia ænigma non solvit, sed repetit, adeoque a cæteris ænigmatum titulis plane discrepat, obscurissimumque esse ostendit. Heumannus propterea nullum plane adposuit. Heynazius novum e sua explanatione, quam deinceps referemus, posuit: *Numerus octonarius digitorum ministerio expressus.* — Quoniam hoc ænigma a genio et forma cæterorum omnium Symposii abhorrere, neque in aliqua rei deformatione ingeniosa, sed in lusu puerili et putido versari videbam; parum abfuit, quin ut alienum et Symposio indignum elimiuarem et abjicerem; quum tamen a duobus ænigmatum editoribus receptum sit, malui illud ad calcem ænigmatum rejicere, et quasi extra numerum ponere. Rationes bujus consilii amplius deduxi in Procemio. Mirum est, Heumannum tanti putasse explanationem obscuri hujus et ineptientis ænigmatis, ut viros passim doctos ad interpretandum illud excitaret, sententiisque eorum referendis plures paginas impleret. Ego ponderandis iis interpretationibus, aut numero earum augendo, minime idoneus, satis habeo, quas probabiles et præcipuas judicem, duas vel tres, hic breviter referre. Et recentissima quidem Heynazii hæc est, quam ipsius verbis repeto: «Veteres per digitos numerabant: *sex* significabant omnibus sinistræ præter annularem, seu minimo proximum, expansis; *septem* solo minimo depresso; *octo* depresso annulari et minimo, seu auriculari. Si ergo auricularem septem exprimentem erigebant, relictus est annularis digitus depressus, ergo numerus senarius». Heumann. sic intelligebat: «Octo quia tenet globulos manu; tollit alius septem; relicti erunt sex, unus nempe globulus, et quinque digiti». Addo denique tertiam, quæ fuit Gesneri, item Krausii in Novis literar. anni 1720: «Digiti manuum tibi exhibent alicubi notam numeri octonarii. Nempe pollex indici junctus quinarium quodammodo effingit, reliqui tres digiti unitates. De hac nota numeri octonarii, quam in digitis tuis, utrsmque manum inspiciens, invenisti, si sustuleris septem, id est, notam quinarii cum duabus unitatibus, reliqui tibi sex remanebunt digiti». Sed vix tot referre interpretationes opus erat.

1. *Credes* A. et E. et Pith. *credas* Cast. et Heum. *credis* Cam.

2. *Tenens* Pith. et Castal. *tenes* Cam. et Heum.

D. M. AUSONII

GRIPHUS TERNARII NUMERI.

TER bibe, vel totiens ternos; sic mystica lex est,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus novies ternis contexere cubum.
Juris idem tribus est, quod ter tribus; omnia in istis,
Forma hominis cœpti, plenique exactio partus,

1. *Vel totiens ternos*, sc. cyathos. Hoc enim ducit ex Horatio, Carm. III, 19, 11 : « Tribus aut novem Miscentur cyathis pocula commodis ». — *Sic mystica lex est.* Lex in bibendo observanda, quæ *mystica* dicitur, quia aliquid arcanæ rationis habet. Nempe numerus *impar*, inprimis *ternarius* mysticus et sanctus habebatur. Virgil. Ecl. VIII, 75 : « numero Deus impare gaudet ». Ter igitur bibebant in convivio, et qui excedere hunc numerum volebant, non quatuor et quinque numerabant, sed tria multiplicabant ternis, et sic ulterius progredientes ex tribus novem imparibus contexebant cubum.

3. *Contexere cubum.* Exemplaria habent *cœbum*, antique: ego vulgarem scripturam malui. *Cubum* vocat numerum cubicum. *Cubicus* numerus ex numero quadrato et radice ejus invicem multiplicatis exsurgit. *Quadratus* numerus est novem, ex terno in se ipsum ducto ortus, *cubicus* XXVII, noveno iterum per radicem suam, quæ est tria, multiplicato. Descriptionem cubi in numeris habes apud Gellium, lib. I, cap. 20.

4. *Juris idem tribus est.* Tria tantumdem possunt, quantum ter tria, cuncta in istis comprehenduntur. Scaliger reponit : « Omnis in istis Forma hominis cœpit ». Sed nihil necesse esse, lectionem hanc sollicitare, quum planus sit sensus ille, quem dedimus.

5. *Forma hominis cœpti.* Quod homo conceptus in utero formatur, tandemque plenus exigitur partus, id fit ter terno mense exacto. Novem enim menses uterum fert mulier.— Sed manifeste mihi videtur Ausonius distinxisse hominem cœptum a pleno partu : unde probari posset hoc versu fetum qui tribus mensibus exactis esse incipit, et partum qui post menses novem completur, una designari. Et sic consonat hic versus præcedenti, ubi *tribus* et *ter tribus* talem sensum videntur postulare. ED.

Quique novem novies fati tenet ultima finis.
Tres Ope progeniti fratres, tres ordine partæ
Vesta, Ceres et Juno, secus muliebre, sorores.
Inde trisulca Jovis sunt fulmina; Cerberus inde;
Inde tridens: triplexque Helenæ cum fratribus ovum.
Ter nova Nestoreos implevit purpura fusos:
Et totiens terno cornix vivacior ævo.
Quam novies terni glomerantem sæcula tractus

6. *Quique novem novies*. Ex Platonica ætatis gradnum definitione annum octogesimnm primum, qui ex ter tribus, sive novem, per novem ductis oritur, vitæ humanæ terminnm ponit. Sed verius Isidorus: «Sexta ætas est senectus, quæ nnllo annorum tempore finitur». Vide plura apud Censorin. de die nat. cap. 14, quod est de annis climactericis. Flor. — Aliter Ausonius, Idyll. XVIII, 1, nbi extremum vitæ humanæ terminum sex et nonaginta annis definit.

7. *Tres Ope progeniti fratres*. Ex Saturno, Jupiter scilicet, Neptunns et Pluto: *tres ordine partæ*, i. e. partu editæ. Vetus liber *partu*, et nonnullæ vulgatæ *Parcæ*, quæ quidem numero, sed non huic loco conveniunt: nam *Parcæ* sive *Fata* infra v. 19 occurrunt.

8. *Vesta, Ceres et Juno*, tres sorores eadem Ope genitæ. Ovid. Fast. VI, 285: «Ex Ope Junonem memorant, Cereremque creatam Semine Saturni, tertia Vesta fuit». *Secus muliebre*, pro sexu mnliebri: sic *virile secus* apud Sallustium.

10. *Triplexque Helenæ cum fratribus ovum*, nempe Castoris, Pollucis et Helenæ: quomodo Ausonius in epigr. 56: «Istos, tergemino nasci quos cernis ab ovo». Alii tamen dicunt duo ova fuisse, unum ex quo Castor et Helena, alterum ex quo Pollux et Clytemnestra nati sunt.

11. *Ter nova Nestoreos*. A Parcis stamina vitæ humanæ volventibus concessum est Nestori, ut tria pensa vitæ, tres ætates, tria sæcula impleret: *purpura* hoc loco est filum e lana purpurea ductum. Propert. I, 3, 41: «Nam modo purpureo fallebam stamine somnum», *Purpura* autem a Parcis ducta vitam felicem designat, quemadmodum et ex auro ducta stamina. Claudian. Laud. Stil. II, 334: «et eodem nevimus auro, Aurea quo Lachesis sub te mihi sæcula texit».

12. *Et toties terno*, etc. Et totidem sæcula triplo aucta, h. e. novem, vivendo cornix ætatem Nestoris superat. Hæc, et quæ sequuntur, ex fabulosa Hesiodi ætatum supputatione sunt, de qua Plinius agit lib. VII, c. 48, et ipse Ausonius Idyllio XVIII.

13. *Quam novies terni*. Quæ cornix, si novies trinm vel XXVII sæculorum circuitum vivendo absolveret, cervi eam tribus adhuc terni Nestoris ætatibus, vel novem sæculis, superarent, hoc est cervi vivunt XXXVI sæcula. Ita per ambagem descripsit auctor ætatem

Vincunt æripedes ter terno Nestore cervi,
Tres quorum ætates superat Phœbeius oscen,
Quem novies senior Gangeticus anteit ales,
Ales cinnameo radiatus tempora nido.
Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ:
Tres Charites, tria Fata: triplex vox, trina elementa.
Tres in Trinacria Siredones; omnia terna:
Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ:

cervi, ut continuare ternos numeros posset. Brevius idem, Idyll. XVIII, 4: «Et quater egreditur cornicis sæcula cervus», quod idem est.

15. *Phœbeius oscen*, vel *Phœbeius ales*, ut dicitur Ovid. Met. II, 546, et *Delphicus ales* ut Petronio, Bell. civ. v. 177, corvus, quem ex albo nigrum fecit Apollo. Ovid. ib. Hic corvus vivere dicitur sæcula 108.

16. *Gangeticus ales*. Phœnix, quem in India circa Gangem vivere dicit Noster; Claudian. vero, Idyll. de Phœn. *trans Indos* in separata insula, Lactantius in *primo Oriente*, h. e. in extremis et remotissimis Orientis locis, habitare fingunt. Phœnicem sæcula 972 vivere ait, Lactantius, Phœn. v. 59, mille tantum annos.

17. *Ales cinnameo*, etc. Ales ille, qui in nido e variis odoribus, cinnamo maxime, constructo residet (vid. Lact. Phœn. 83), et circum tempora singulari fulgore radiat. Lactant. v. 139: « Æquatur toto capiti radiata corona ». Ita explicari commode hic versus potest, ut necesse non sit emendationem Scaligeri *radiatus tempora nimbo*, aut Floridi *reparans sua tempora nido* adsumere.

18. *Tergemina est Hecate*. Transtulit hunc versum e Virgilio, Æn. IV, 511: « Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

19. *Tria fata*. Tres Parcæ. *Fata* enim adpellantur Fulgentio in Mythol. et Apuleio, lib. de mundo. *Triplex vox*, acuta, gravis et media. *Trina elementa*, ex eorum philosophorum placitis, qui ignem negabant esse quartum elementum, et tris tantum admittebant, *Terram*, *Aquam* et *Aerem*.

20. *Tres in Trinacria Siredones*. Sic Scaliger ex codice, quasi σειραηδόνες. Vinetus *Sirenes* edidit. Dicuntur autem Parthenope, Ligia, Leucosia, tres Sirenes in mari Siciliæ, quæ et *Trinacria*. — *Omnia terna*, h. e. in his tribus Sirenibus iterum terna omnia animadvertuntur, versu sequente exposita: nam singulæ sunt *volucres*, alas et inferiorem partem gallinaceam habentes, *semideæ*, quia Acheloi fluvii et Calliopes Nymphæ filiæ, *semipuellæ*, quia superne mulieres formosæ. Quum *omnia terna* igitur pertineant ad versum sequentem, aliena omnino ab hoc loco sunt *omnia trina*, quæ in codice antiquo reperta amplectitur Scaliger, quibus ait significari tria illa, e quibus Veteres omina capiebant, sternutationem, palpitationem supercilii, et tinnitum auris.

Ter tribus ad palmam jussæ certare Camenis,
Ore, manu, flatu: buxo, fide, voce canentes.
Tres Sophiæ partes: tria Punica bella. Trimestres
Annorum cælique vices: noctisque per umbram
Tergemini vigiles. Ter clara instantis Eoi
Signa canit serus deprenso Marte satelles.
Et qui conceptus triplicatæ vespere noctis,
Jussa quater ternis adfixit opima tropæis.
Et Lyrici vates numero sunt Mnemonidarum,

22. *Ter tribus... Camenis.* Cum novem Musis Sirenas dicunt, a Junone impulsas, cantu certavisse, Musasque, quum vicissent, Sirenibus evulsisse alas, et ex eis sibi coronas fecisse. Auctor Pausanias in Bœot. XI, 34, et Stephanus in verbo Ἄπτερα. Vin.

24. *Tres Sophiæ partes*, nempe Philosophia moralis, naturalis et rationalis seu logica. De qua divisione Vinetus Diogenem Laert. citat, et Senecam in Epist. et Plutarchum in Probl. Sympos.

25. *Trimestres Annorum cælique vices.* Quatuor anni partes singulæ tribus mensibus continentur.

26. *Tergemini vigiles.* Quum sint quatuor noctis vigiliæ in singulis terni vigiles sunt, ut unusquisque pro sua hora excubet: tres enim horas habet una vigilia. Scal.

27. *Signa canit serus deprenso Marte satelles.* Gallus gallinaceus ter matutino cantu signum dat solis adventantis. Vid. Plinius, lib. X, cap. 21. Qui olim Marti addictus satelles fuit, atque ab hoc in avem, quæ Solis ortum prænuntiat, mutatus est, quod aliquando a Marte excubias agere ante ostium jussus, hanc stationem per somnum deseruisset, quo factum, ut Sol secure dormientes Martem et Venerem deprehenderet. Hanc fabulam interpretes huc advocant e Luciani dialogo, cui titulus Ὄνειρος ἢ ἀλεκτρυών. Scaliger minus bene Ausonii verba de diluculi significatione a buccinatore in castris facta interpretatur, et pro *deprenso Marte* e veteri codice legit *deprehenso*, h. e æqualiter partito in quatuor vigiliis.

29. *Jussa quater ternis.* Loquitur de Hercule, in quo duo numeri ternarii documenta animadvertit, quod tribus noctibus conjunctis generatus est, et quod ter quaternos s. duodecim labores confecit. *Jussa opima adfixit quater ternis tropæis*, h. e. duodecim tropæa de totidem spoliis, quæ referre jussus erat, erexit, vel duodecies vicit.

30. *Et Lyrici vates.* Novem sunt Lyrici poetæ, quo numero et Musæ. Nempe octo Lyricis, Pindaro, Simonidæ, Stesichoro, Ibyco, Alcmani, Bacchylidæ, Anacreonti et Alcæo, nona accensetur Sappho. Vid. Auson. epigr. 32. *Mnemosynarum* legitur vulgo; Heinsius vero reponit *Mnemonidarum*, quia Musarum est meminisse, eas vero Mnemosyne peperisse Jovi dicitur. Vid. Phædr. lib. III, Prol. v. 18, et ibi adnotata.

Tres solas quondam tenuit quas dextera Phœbi :
Sed Citheron totiens ternas ex ære sacravit
Relligione patrum, qui sex sprevisse timebant.
Trina Terentino celebrata trinoctia ludo :
Qualia bis genito Thebis Trieterica Baccho.
Tres primas Thracum pugnas, tribus ordine bellis,
Juniadæ patrio inferias misere sepulcro.
Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,

31. *Tres solas quondam tenuit.* Fortasse olim simulacra Apollinis dextra manu imaguneulas Musarum gestarunt. Tres autem Musas primum Aloidæ constituerunt, *Meleten*, *Mnemen*, et *Aœden*, ut refert Pausan. IX, 29.

32. *Sed Citheron.* Sic scripsit Ausonius, orthographiæ parum studiosus, media vitiose correpta pro *Cithæron*, qui mons est Bœotiæ, atque hic pro aliqua Bœotiæ civitate, quæ Musas inprimis coluit, poni videtur. Scribit Pausanias, lib. IX, cap. 30, fuisse in Bœotia *ternas* trium insignium artificum statuas Musarum, ad quas respicere videtur Varro, qui apud Augustin. lib. II de doctr. Christ. narrat civitatem aliquam locasse apud tres artifices terna Musarum simulacra, quorum quæ pulchriora essent, in templo Apollinis poneret, cumque artifices illi sua opera æque pulchra elaborassent, placuisse civitati, ut omnia novem empta dedicarentur. Latius caussas numeri Musarum ternarii et novenarii exposuit Heynius vir clar. Opusc. Acad. Vol. II, p. 307 seq.

34. *Trina Terentino.* Ludi Terentini vel sæculares fiebant ter in anno, noctu, et tribus noctibus continuatis, ubi sacra celebranda erant Diti et Proserpinæ pro avertenda pestilentia et conservanda civium valetudine, ad aram quæ quondam a Romanis bello adversus Albanos defossa erat in Terento, loco quodam prope Campum Martium. De eorum origine vid. Val. Max. lib. II, cap. 4, n. 5. Meminit eorum Statius, Silv. I, 4, 18 : « Aut instaurati peccaverit ara Terenti ».

35. *Trieterica.* Sacra triennalia, in Liberi Patris honorem, tertio quoque anno fieri solita etiam noctu, unde Nyctelia dicta sunt. Flor.

36. *Thracum pugnas*, i. e. gladiatorum : nam ex Thracia plurimi gladiatores petebantur, et *Thraces* notissimum genus eorum. *Tribus ordine bellis*, i. e. trina editione ludorum ternas pugnas Thracum commiserunt.

37. *Juniadæ patrio.* Filii Junii Bruti, non illius primi Consulis, sed alterius ad annum Urb. cond. 490. Sic enim Valer. Max. lib. II, cap. 4, extr. « Gladiatorium munus primum Romæ datum est in foro Boario, App. Claudio et Q. Fulvio Coss. Dederunt M. et D. filii Bruti, funebri memoria patris cineres honorando ». Vin.— Idem narrat Servius ad Æn. III, 67, nisi quod pro filiis Bruti nepotem ejus substituit.

38. *Illa etiam thalamos... quærens.*

Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes, omnia solus,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.
Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.
Humana efficiunt habitacula tergenus artes,
Parietibus quæ saxa locat, quæ culmine tigna,
Et quæ supremo comit tectoria cultu.
Hinc Bromii quadrantal, et hinc Sicana medimna:
Hoc tribus, hæc geminis tribus explicat usus agendi.
In Physicis tria prima, Deus, mundus, data forma.

Videtur Ausonius Sphingem pro muliere impudica habuisse, quæ viam publicam insidens, viros per ænigmata adliceret, et diriperet, et nuptias eorum quæreret. Nescio equidem, quinam alius Veterum eam fabulam sic interpretatus sit; at certe, quæ in Dactyl. Gorl. Part. II, n. 527, conspicitur gemma vetus, juvenem a Sphinge comprehensum ostendens, eum sensum fabulæ declarare videtur. Nam quod Floridus ad hunc locum dicit, Sphingem thalamos quæsisse, non sibi, sed Jocastæ, quæ interpreti ænigmatis, a Sphinge propositi, se ipsam cum regno Thebarum promisisset; id mihi quidem valde contortum videtur.

39. *Qui bipes et quadrupes.* Argumentum hoc est ænigmatis a Sphinge propositi, quod relatum cum ipsius Sphingis descriptione videas ab Apollodoro, lib. III, cap. 5, et aliis, quos nominat Aug. *van Staveren* ad Hygin. fab. LVII.

40. *Aoniam*, Bœotiam, cujus metropolis Thebæ. Vin.

42. *Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.* Tria in Capitolio numina cellas habebant, Jupiter, Juno, Minerva: media erat Jovis. Hi Dii tutela urbis erant. Turn. Adv. III, 1.

43. *Tergenus artes*, i. e. trini generis, ars cæmentaria, materiaria seu lignaria, et tectoria, quæ parietes tectorio opere inducit. Sic in Technop. monosyll. *quinquegenus nux.*

46. *Hinc Bromii quadrantal.* Amphora vini, quæ et quadrantal, genus vasis, a forma quadrata dictum, quod pedis esset quadrati, cubo seu tesseræ simile. Priscian. de Pond. v. 62: « Amphora fit cubus », ubi vid. not. nost. *Sicana medimna* numero multitudinis: dicitur enim *medimnus* et *medimnum. Sicana*, quia apud Siculos maxime ejus mensuræ usus.

47. *Hoc tribus*, nempe quadrantal tribus modiis constat: *hæc* (medimna) *geminis tribus*, sex modiis, quia medimni dimidium est quadrantal. Breviter hoc expressit Prisc. de Pond. v. 64: « Hujus (amphoræ) dimidium fert urna, ut et ipsa medimni Amphora, terque capit modium ».

48. *Deus, mundus, data forma. Mundum* hic materiam mundi intellige. Principia enim illa, ut patet ex Plutarcho, lib. I, de placit. Philos. erant Θεὸς, ὕλη, ἰδέα. Flor.

Tergeuus omnigenum, genitor, genetrix, generatum.
Per trinas species trigonorum regula currit,
Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.
Tres coit in partes numerus perfectus; ut idem
Congrege ter trino per ter tria dissolvatur.

50. *Trigonorum*. Liceuter iterum secundam hujus vocis corripit, quæ natura longa est, a Græco τρίγωνον.

51. *Æquilatus*, aliis æquilaterum, ἰσόπλευρον triangulum, cujus latera omnia sunt æqualia. *Crure pari*, ἰσοσκελὲς, cujus duo paria sunt latera: *in omnibus impar*, σκαληνὸν, cujus tria latera sunt imparia.

52. *Tres coit in partes*, etc. Vulgo numerus perfectus perhibetur ternarius, quia primus omnium initium, medium ac finem habeat. Verum ternarius dici non potest coire in tres partes, sed abire, hoc est, solvi et dividi in tres partes, aut coire ex tribus partibus. Deinde si bene adtenderis ad nexum orationis, intelliges perfectum numerum hic esse eumdem, qui mox v. 56 totus dicitur. Is autem est novenarius. Quem perfectum h. l. dici arbitror, quatenus e tribus ternionibus conflatur, qui ita coeunt, ut tres partes efficiantur, scil. novenarii. Idque confirmant planeque clamant et postulant sequentia. Statim enim subjicit: *ut idem*, scil. numerus ille perfectus, *congrege ter trino*, h. e. quia ter tria in unum componuntur, *per ter tria dissolvatur*: id quod nullo modo quadrat in triadem, quam ex verbis, *Tres coit in partes numerus perfectus*, invita eorum structura, exsculpit Tollius. Igitur poeta, retrogrado ordine, primo amplectitur animo numerum quadratum novenarium, deinde v. 54 pergit ad radicem quadrati, ternarium; denique v. 55, 66 hæret in tertia parte triadis, h. e. unitate, quæ eadem in medio novenario collocata ex trinis paribus numeris, qui novenario continentur, impares efficiat. Ed. — *Tres coit in partes numerus perfectus*. Hoc de ternario dicit poeta, qui perfectus numerus habetur. Capella: « Trias vero princeps imparium numerus, perfectusque censeodus. Nam prior initium, medium, finemque sortitur: et centrum medietatis ad initium finemque interstitiorum æqualiter componit ». *Coit* autem *in tres partes*, ex quibus constituitur, et in quas iterum resolvi potest, quod sequentia demonstrant: *Tres primus, par, impar habet, mediumque*. Hæ sunt, ut dixi, partes ternarii, quem numerum perfectum adpellavit. Toll.

53. *Ut idem Congrege ter trino*, etc. i. e. ut idem numerus ternarius (qui perfectus est), si ter multiplicetur, et novenarium constituat, rursus per ter tria possit dissolvi, unde confectus erat novenarius. Idem. — *Congrege* est congregato, composito: vox sequioris latinitatis, de qua dictum est ad Perv. Ven. v. 42. Et Auson. Epist. X, 21: « Cernimus Angustas fervere vias, et congrege vulgo Nomen plateas perdere ». — *Congrege ter trino numero*, hoc est, tribus ternariis in unum numerum conflatis, novenarium scilicet. Ed.

Tres primus, par, impar habet, mediumque : sed ipse
Ut tres, sic quinque et septem quoque dividit unus.
Et numero in toto positus sub acumine centri,

54. *Tres primus, par, impar habet, mediumque.* Ternarius, inquit, primus omnium numerorum par, impar habet. Nam et ipse totus est impar, et binarius, quem comprehendit, par. Habet et *medium*, id est, *Unitatem.* Medium Ausonius vocat excessum arithmeticum, quod infra ὀμφαλὸς dicitur, quod ὀμφαλὸς medius in homine. SCAL.

55. *Sed ipse Ut tres, sic quinque,* etc. Sed *ipse Unus*, id est, ipsa unitas, quæ medium est, sive ὀμφαλὸς ternarii, et binarii, est quoque medium quinarii et septenarii. IDEM. — *Dividit*, nempe geminæ triades intercedente unitate secernuntur. ED.

56. *Et numero in toto positus,* etc. Id est, unitas autem illa collocata in centro novenarii numeri inter duos quaternarios, *distinguit solidos*, sive congreges *trientes, cubo pereunte*, non *pergente.* Nam octonarius est primus *cubus* ex binario bis bino, sive in quadrangulum duplex multiplicato : qui cubus interibit, si unitas inseratur binariis conjunctis, et efficiat novenarium numerum, qui cubus non est. *Acumen centri* hic est medium spatium inter duos quaternarios, quod verum centrum novenarii. TOLL.—Hunc locum Wernsdorfius, nostri filius, diserte explicat, et acumen centri pro centro simpliciter positum demonstrat. Quemadmodum enim κέντρον proprie acumen et cuspidem denotat, et ad medium circuli punctum transfertur, ita et *acumen* translate dici potest punctum centri. Floridus ad h. l. nimium premens vulgarem *centri* significationem, acute ingenioseque comminiscitur figuram quadrangulam æquilateram, cujus singuli singuli singulas unitates habeant a novenario, singula latera media itidem singulas, ut octo unitates efficiantur, centrum denique nona unitas occupet. Cui quidem schemati non negaverim sensum horum versuum adcommodari posse facillime, eoque planissime illustrari atque ob oculos poni. Verumtamen dubito, figuram hujusmodi obversatam esse animo poetæ, paucos certe OEdipos Floridi similes habituri. Quin potius *centrum* ille non figuræ cujusquam, sed simpliciter locum in novenario medium intelligit. Finge novem unitates juxtim ac deinceps collocatas hoc modo : IIIIIIIII, hic media unitas posita *sub acumine centri* primo *distinguit solidos trientes* (v. 57), hoc est, geminos quaterniones disjungit : deinde *ex impare terno*, h. e. ex ternione illo impare, in quo medium locum occupat, secernit hinc inde atque *dirimit partes æquipares*, h. e. æquales, geminas scilicet unitates (v. 58) : porro eadem unitas *triplex medium est paribus* (v. 59), h. e. tribus numeris paribus, qui novenario continentur, quaternario, senario et octonario interjecta est media sic, ut latus ejus utrumque claudant gemini binarii, ternarii gemini, totidemque quaternarii, quorum quasi *omphalos secernitur* illa unitas (v. 59 et 60), h. e. separatim spectata centrum tenet. ED. — Vulgo legitur *cubo pergente*, idque explicatur, per-

Distinguit solidos cubo pergente trientes,
Æquipares dirimens partes ex impare terno,
Et paribus triplex medium; quum quatuor et sex
Bisque quaternorum secernitur omphalos idem.
Jus triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, et populi commune quod usquam est.
Interdictorum trinum genus: unde repulsus
Vi fuero, aut Utrobi fuerit, Quorumve bonorum.

fecto cubo numeri binarii bis bini transeunte in imperfectum cubum novenarium: ubi novenarius improprie videtur ab Ausonio cubus vocari.

57. *Cubo pergente*. Verisimiliter legendum *pereunte*, ut conjecit Wernsdorfii filius, hoc est, octonario numero, qui primus cubus est et princeps, atque ἐξόχως h. l. dicitur, e binario scilicet existens. Unitas quæ in novem unitatibus media ponitur, dirimit illa quidem utrimque et separat duo solidos quaterniones (trientes) qui juncti faciunt octo, eadem tamen unitate connumerata perit octonarius fiuntque revera novem. Rem nihili ænigmatica gravitate noster circumloquitur. Vide notam superiorem. Ed.

58. *Æquipares dirimens partes ex impare terno*, i. e. ter seu tribus vicibus dividens numeros pares: vel tres pares numeros tripliciter dirimens. — *Impar ternum* dicitur ternio vel numerus ternarius impar. Ed.

59. *Et paribus triplex medium; quum quatuor*. Et iidem pares numeri triplex medium habent, quando medius tamquam umbilicus distinguit et disjungit *duo* et *duo*, quibus insertus unitatis numerus constituit *quinarium*: *Tria* et *tria*, queis immissus conficit *septenarium*: *quatuor* et *quatuor*; quæ conjuncta cum media unitate *novenarium* efficiunt. Toll.

61. *Tabulæ ter quaternæ*, id est, duodecim: unde Leges duodecim tabularum dictæ, ex quibus jus omne civile Romanorum fluxit, a Decemviris perscriptæ. De quibus vide Liv. lib. III, cap. 34 et 37.

62. *Et populi commune*. Publicum, quod ad statum Rei Romanæ spectat, sub quo sacrum etiam complectitur Ulpianus, de Juris divisione. Vide Instit. Justin. tit. I.

63. *Interdictorum trinum genus*. Interdicta, judicia sunt de possessione, quasi interim dicta, seu pronuntiata, dum de proprietate penitus cognoscatur. Quoniam autem de possessione agi tripliciter potest, nempe de possessione, quam amiseris, recuperanda; de possessione, quam habeas, retinenda; et de possessione, quam nondum adprehenderis, adipiscenda: inde est, quod triplex interdictorum genus a Prætore proditum est, quibus a primis uniuscujusque, in Prætoris edicto, verbis nomina indita sunt. Et recuperandæ quidem possessionis interdictum, *Unde vi*, retinendæ, *uti possidetis* et *utrobi*, adipiscendæ, *quorum bonorum* fuit adpellatum. Flor.

Triplex libertas, capitisque minutio triplex.
Trinum dicendi genus est, sublime, modestum,
Et tenui filo. Triplex quoque forma medendi,
Quoi logos, aut methodos, cuique experientia nomen.
Et medicina triplex, servare, cavere, mederi.
Tres oratorum cultus, regnata Colosso
Quem Rhodos, Actææ quem dilexistis Athenæ,
Et quem de scenis tetrica ad subsellia traxit
Prosa Asiæ, in caussis numeros imitata chororum.

65. *Triplex libertas.* Quam nempe adipiscuntur libertini, vel Censu, vel Vindicta, vel Testamento. — *Capitisque minutio triplex.* Capitis diminutio est prioris status mutatio. Ea triplex adpellatur Maxima, Minor, quam quidem Mediam vocant, et Minima. Tria enim sunt, quæ habemus, inquit Paulus libro II ad Sabinum, Libertatem, Civitatem, Familiam. Igitur quum hæc omnia amittimus, *Maxima :* quum amittimus civitatem, at libertatem retinemus, *Media :* quum autem et libertas et civitas retinetur, familia tantum mutatur, *Minima* est capitis diminutio. Vin.

66. *Trinum dicendi genus est.* Triplex character apud Rhetores, *sublimis*, medius seu mediocris, qui hic *modestus*, et *tenuis* seu humilis, quem *tenui filo* adpellat Ausonius. *Uberem, gracilem, mediocrem* dicit Gellius, lib. VII, cap. 14.

67. *Triplex quoque forma medendi.* Dogmatica, Methodica, et Empirica, seu experimentalis. Serenus Samonicus (vel potius Marcellus, carm. de medic. v. 6) : « Quod Logos, aut Methodus, simplexque Empirica pangit, Hoc liber iste tenet, diverso e dogmate sumptum». Λόγος ratio, μέθοδος via brevis, ἐμπειρία experientia. Flor.

70. *Tres oratorum cultus.* Tria sunt genera oratorum apud Ciceronem in Bruto, et Quintil. lib. XII, Inst. orat. *Attici*, pressi et integri : *Asiani*, inflati et redundantes : *Rhodii*, medii, et velut ex aliis mixti.— *Regnata Colosso Quem Rhodos.* Sol erat tutela Rhodiorum : testes nummi Rhodii, ex una parte rosa, ex altera Sole insigniti. At *Colossus* ille ingens, in foro Rhodio positus, erat Solis, non alius Dei, aut hominis, aut herois : proinde *regnata Colosso*, id est, Soli. Scal. — Nescio, an melius scribatur *signata colosso*, i. e. quæ colosso, miraculo illo, insignis et celebrata fuit. De Rhodo insula Soli dicata, vid. not. ad Prisciani Perieg. v. 531 seq.

72. *Tetrica ad subsellia.* Ad judicialia, forensiaque subsellia, in fora et curias. Vin. — *Subsellia* erant judicum in tribunali Prætoris; significant igitur judicia. Similiter *tetricam Minervam* Martial. X, 19, 14, vocat studium et meditationem caussarum forensium.

73. *Numeros imitata chororum.* Rhythmum quemdam, id est, legem pedestris orationis, intelligit

Orpheos hinc tripodes, quia sunt tria, terra, aqua, flamma.
Triplex sideribus positus, distantia, forma.
Et modus, et genetrix modulorum musica triplex:
Mixta libris, secreta astris, vulgata theatris.
Martia Roma triplex; equitatu, plebe, senatu.
Hoc numero Tribus, et Sacro de monte Tribuni.
Tres equitum turmæ: tria nomina nobiliorum.
Nomina sunt chordis tria: sunt tria nomina mensi.

Scaliger; quales sunt numeri chororum, ut *Pindarici*, qui propterea Horatio dicuntur numeri *lege soluti*.

74. *Orpheos hinc tripodes.* Vinetus hic *Orpheos* ab *Orpheus* in patrio casu accipiendum putat, *tripodes* autem, id est, τριπόδης pro *tripus* τρίπους in singulari numero: *Tripode* autem Orphei significari tria illa rerum principia, quæ auctor mox exprimit. Et fortasse carmen aliquod Orphei olim exstitit, quo tria hæc principia, terram, ignem et aquam, sive, ut habet Suidas, noctem vel chaos, descripsit, iisque, tamquam tripode, totam rerum naturam sustineri docuit. Sed deperditis Orphei operibus nihil in ea re nisi conjectare licet.

75. *Triplex sideribus positus, distantia*, etc. Triplex vel ternum aliquod observatur in sideribus, situs scilicet eorum, distantia, et forma, sive constellatio.

76. *Et modus, et genetrix modulorum*. *Modus* et *modulus* carminis idem est. Ergo et *modus* est triplex, Lydius, Dorius, Phrygius; et ipsa inventrix et parens modorum *Musica* triplex est; *mixta libris*, Rhythmica (in pedibus et numeris orationis): *secreta astris*, Harmonica (orbium cœlestium motio): *vulgata theatris*, crusmatica. Toll.

79. *Hoc numero Tribus.* Tribus primum instituit Romulus, in tres partes universa multitudine divisa, quæ ipsæ a numero Tribus vocatæ, et fuerunt Rhamnenses, Tatienses, Luceres.

79. *Et Sacro de monte Tribuni.* Pomponius, lib. I Digest. tit. de orig. jur. § 20: « Iisdem temporibus quum plebs a patribus secessisset, anno fere septimo decimo post reges exactos, Tribunos sibi in monte Sacro creavit, qui essent plebeii magistratus: dicti Tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, et ex singulis singuli creabantur; vel quia tribuum suffragio creabantur ». Porro mons ille, Festo Pompeio et T. Livio auctoribus, fuit trans Anienem fluvium, *Sacer* cognominatus, quod eum plebs, creatis Tribunis plebis, descendens Jovi consecravit. Vin.

80. *Tria nomina nobiliorum.* Prænomen, nomen, agnomen; quibus aliquando addebatur cognomen; ut Publius Cornelius Scipio Africanus, et Caius Julius Cæsar Octavianus. Flor.

81. *Nomina sunt chordis tria*, ὑπάτη, μέση, νήτη, id est, *gravis*, *media* et *acuta*, apud Veteres, qui de Musica scripserunt. *Tria nomina mensi*, Calendæ, Nonæ, Idus. Vin.

Geryones triplex; triplex compago Chimæræ.
Scylla triplex, commissa tribus, caue, virgine, pisce.
Gorgones, Harpyiæque, et Erinnyes agmine terno:
Et tres fatidicæ, nomen commune, Sibyllæ;
Quarum tergemini fatalia carmina libri,
Quos ter quinorum servat cultura virorum.
Ter bibe. Tres numerus super omnia, tres Deus unus.
Hic quoque ne ludus numero transcurrat inerti,
Ter decies ternos habeat, deciesque novenos.

82. *Geryones triplex*. Græcis Γηρυόνης, rex ille Hispaoiæ cum tribus corporibus et senis brachiis, quem Hercules vicit, et cujus abduxit boves: *triplex compago Chimæræ*, ex leooe scilicet, capra, et draeone. Flor.

83. *Commissa tribus*, i. e. conjuocta. Virgilius, Æn. III, 428, de Scylla: « Delphinum caodas utero commissa luporum », et Manil. I, 409, de Centauro: « Pars hominis, tergo pecIns commissus equino ». Vid. not. ad Sympos. æo. XXXIX, 2.

84. *Gorgones*, tres, Medusa, Euryale, Stheno. *Harpyiæ* tres, Ocypete, Aello, Celæno. *Erinnyes*, sive Furiæ tres, Megæra, Alecto, Tisiphone.

85. *Et tres fatidicæ... Sibyllæ*. Tres, quia vetustissioi Græci, quos et Solinus seqoitur, totidem duntaxat, non plures, retuleruut: *nomen commune*, quod, ut ait Varro: « omnium fatidicarum mulierum nomeo fuit commuoe Σίϐυλλα». Scal.

86. *Tergemini fatalia carmina libri*. Sibyllini libri, quibus imperii Romani fata contineri credebant, tres fnerunt, teste Gellio. Unum taotum ponit Plinios, alii novem. Flor.

87. *Ter quinorum servat cultura virorum*. Quindecemviri libris Sibyllinis inspiciendis, quos adibant quasi oraculum, quum Dii immortales publice consuleodi erant, ut ait Gellios, lib. I, 19. Id.

88. *Ter bibe*. Redit ad exordium suum, et repetit, quod principium et occasio ludendi hujus carminis fnerat. — *Tres Deus unus*. Hæc ex Athanasii symbolo, et Catholicæ ecclesiæ doctrina. *Tres* omnioo ponendum ex veteri codice, non autem *ter*, quod editiones nonnullæ habent.

89. *Numero transcurrat inerti*. Numero versuom absolvatur, qni nullam in se ternarii vim habeat. Flor.

90. *Ter decies ternos, deciesque novenos*. Nonaginta scilicet versus, quot revera habet hoc poemation. Quos qnidem dnplici modo numerat, ot sint decies ter tres, vel decies oovem, quod in idem recidit. Mallem ergo hic cum Tollio *deciesve*, quam *deciesque*. Flor.

ADPENDIX AD LUDICRA POEMATA (1).

HOSIDII GETAE

MEDEA,

TRAGŒDIA EX CENTONIBUS VIRGILIANIS CONFLATA.

PRÆMONITIO NOVI EDITORIS.

Hoc artificii genus, Ausonio deinde feliciter tentatum, ludicris certe carminibus adscribendum erat: nullum autem clarius exemplum eligere poteramus, quam integram istam tragœdiam, cujus plurimis testimoniis demonstrata visa est antiquitas. Produxit hanc primum codex Salmas. et Leidensis recentior, Salmasiani libri apographus. Ejus initium, usque ad versum 134, edidit Scriverius sub titulo *Tragœdiæ veteris* in collectaneis veterum tragœdiarum. Et hanc videtur respexisse Salmasius, quum se antiquam tragœdiam, *Medeam*, habere jactaret; vide eum ad Capitolin. Macrin. cap. 11, et Trebell. Pollion. Gallien. cap. 8, ubi ita laudat: « In tragœdia Medea, quam penes me scriptam in

(1) Eo libentius hanc Hosidii Getæ tragœdiam huc adferendam duxi, quod eam instituerat Wernsdorfius operi suo, nisi fato præreptus fuisset, inserere. Sic enim de hac verba facit (hujus edit. tom. III, p. 8): « Hosidii Getæ tragœdia, quæ quidem ex centonibus Virgilianis composita est,... quia et antiquitate eminet, quippe jam a Tertulliano memorata, profecto repeti inter Poetas minores, magisque vulgari meretur ».

vetustissimis membranis habeo ». Sed in errorem adduxit viros eruditos, qui existimarunt eum possedisse deperditam Ovidii Medeam, quod et de Bilibaldo Pirkheimero traditum: ita credebat Fabricius, Biblioth. Lat. vol. I, cap. 15, p. 274; sed quod ipse correxit vol. II, p. 380. Notum est Ovidianam Medeam memorari Quintiliano, lib. X, cap. 1; ubi vide Pet. Burm. notas, p. 912, et ad lib. VIII, cap. 5, p. 721, ubi et Salmasium et Scriverium erroris immunes facit, quum neuter Ovidio adtribuerit, sed Salmasius tantum notaverit penes se esse antiquam tragœdiam Medeam in vetustissimis membranis, sed Ovidio tamen non adscripserit. Certe versus ille, quem ex Ovidii Medea altero loco adfert Quintilianus, « Servare potui, perdere an possim rogas? » in his legi non potest, quia diversi metri est, quem ex illo Virgilii in Ciri, v. 275, desumptum esse idem Burmannus putabat, « Ut me si servare potes, ne perdere malis »; ubi idem adnotavit Scalig. et sic Barthius in Adversariis, et Delrius in notis ad Senec. Med. init. sed dubito an non adumbratus sit ex antiquiore poeta, veluti ex illo Aristophanis in Nubibus, vs. 1179:

Νῦν οὖν ὅπως σώσῃς μ', ἐπεὶ κἀπώλεσας.

Similiter ipse Ovidius, Met. IX, vs. 728:

.... si Di mihi parcere vellent,
· Parcere debuerant, si non et perdere vellent;

quamquam versum istum adulterinum existimet Heinsius: et forte nota e tragico vetustiore fuit sententia, ad quam etiam respexisse potuit Cicero pro Planco, cap. 36, in fine: « ut idem perditor Reipublicæ nominarer, qui servator fuissem ». Neque dissimile illud Jasonis apud eumdem Ovidium, Epist. XII, 75:

Perdere posse sat est; si quem juvet ipsa potestas:
Sed tibi servatus gloria major ero.

Ejusdem Medeæ Ovidianæ meminerunt inter Veteres auctor

de Causs. Corr. Eloq. cap. 12: « Nec ullus Asinii aut Messalæ liber tam illustris est, quam Medea Ovidii aut Vari Thyestes »: eamque scripsisse juvenem patet ex lib. III Amor. Eleg. I, 29; et certus sum genuinum ex Medea Ovidiana versum haberi apud Senecam, Suasor. III: « Feror huc illuc ut plena Deo »: licet tantum ex tragœdia Ovidii, Medeæ nomine non expresso, proferat. Gravius autem impegerunt viri eruditi, qui adfirmarunt de Ovidii Medea loqui Tertullianum de præscript. Hæret. cap. 39; quod falsum esse, et eodem in loco innui hanc ipsam, quam nunc primi integram publicamus, Medeam, e centonibus Virgilianis compositam, verumque ejus auctorem esse *Osidium* vel *Hosidium Getam*, qui cum Ovidio inter Getas exsulante confusus est, constabit, si ipsa Tertulliani verba adscribamus. Ita enim ille: « Vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius Geta Medeam tragœdiam ex Virgilio plenissime exsuxit: meus quidam propinquus ex eodem poeta inter cætera styli sui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homero-Centones etiam vocari solent, qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus ». Quæ ultima descripsisse in Vocabulario suo Papiam, ubi de centonibus agit (vid. Anth. Burm. lib. I, ep. 170, init.), nisi potius ea pro more compilaverit ex Isid. Orig. lib. I, cap. 38, circa finem, ubi plane eadem occurrunt, et in fragmento MS, quod olim P. Danielis, deinde N. Heinsii fuit, pari errore, quo apud Papiam, legitur « more centenario... in unum sarciunt corpus », pro « more centonario sarciuntur ». Patet igitur Tertullianum memorare Medeam hanc tragœdiam, e versibus Virgilianis artificio centonario concinnatam, ejusque auctorem esse Hosidium Getam, male cum Ovidio confusum, quia illius tragœdiam Medeam exstitisse olim noverant, sed quæ versibus iambicis conscripta fuisse videtur,

unde ridicule cæcutiit Delrius, qui initio Commentarii ad Senecæ Medeam scribit, « Tertullianum forte ad sententiam magis quam ad verba respexisse, dum Ovidii Medeam ex Virgilio centonem nuncupat ». Neque sagacius rem egit Barthius, qui ad Claudian. pag. 1160 conjicit illam Ovidii tragœdiam versibus Virgilianis contextam a Tertulliano tradi : perperam quoque apud eumdem Colomesius et alii emendarunt *Ovidius Scytha :* vel *Getam* vocari crediderunt Nasonem, quia ipse lib. IV Pont. Epist. 13, 18, dicit:

Carmina quæ faciam pæne poeta Getes.

Quæ certe viris eruditis non excidissent, si tragœdiam hanc Medeæ centonariam vidissent. An autem ille Osidius vel Hosidius Geta idem sit ac Cn. Hosidius Geta, qui sub Claudio consul fuit cum L. Vagellio an. 800, et qui in Fastis Consul. Almelov. p. 119, atque inscriptione insigni occurrit apud Reines. Cl. VII, n. XI, p. 475 et 476; quæ continet illud Sctum, cujus ad Tertull. d. l. meminit Rigaltius, sed quod emendatius exstat in Inscriptionibus Donianis, p. 84, decernere vix possum : neque an ille sit, qui apud Dion. Cass. lib. LX, cap. 20, p. 678, Γαῖος ὁ Σίδιος male vocabatur, ut ibidem Rigaltius notat; nam recte Γναῖος Ὀσίδιος Γέτας edidit Reimarus, ut et corrigendum monuit Cuperus in Epist. ad *la Croze*, p. 29, et an ad hunc vel patrem ejus referendus ille Ὀσιαῖος Γέτας, cujus secundi triumviratus meminit idem auctor, lib. XLVII, cap. 10, p. 498, ubi quoque α in δ mutato ex correctione Fabricii edidit Reimarus Ὀσίδιος· vide etiam lib. LX, cap. 9, p. 947, ubi olim edebatur etiam Γναῖος ὁ Σίδιος. Et certe Hosidius ille Geta, Tertulliano laudatus, ad inferiorem ætatem detrudendus est, neque constare puto, id genus carminis centonarii jam Claudii tempore in usu fuisse, quod minime tam antiquum, neque facile aliud hac ipsa Medea, et Ausoniano Centone Nuptiali vetustius nobis superesse credo : neque credebat etiam Cuperus in Epistolicis Gallicis, Epist. VIII,

p. 23 et 24, qui Hosidium Getam, Medeæ hujus auctorem, ad ætatem Tertulliani refert ex voce *hodie* in ejus loco: « Vides hodie ex Virgilio, etc. » et quia addit, « meus quidam propinquus ex eodem poeta, etc. » Hosidio nempe. Aliter tamen censet Fontanin. de Antiq. Hortæ, lib. II, p. 205, ubi auctorem hujus Medeæ facit antiquissimum præ cæteris, quorum centones Virgilianos habemus, Osidium Getam, qui sub Claudio I vixit, et Tertulliano memoratur, atque inepte cum Ovidii Medea confunditur: quod pluribus se ostendisse dicit in Dissertationibus ineditis de Cornelio Gallo poeta, quas deinde inseruit Historiæ Literar. Aquileiensi, ubi vid. cap. 2, p. 36. De aliis poetis antiquis, qui *Medeam* tragœdiam scripserunt, vide notata Pet. Burm. ad Ovid. Trist. II, 5, 387, et de Statii Medea Gevart. Lect. Papin. pag. 15. Ennium quoque Medeam, ex Euripide expressam, conscripsisse, notum est, quam *Medeam exsulem* inscriptam fuisse ex Nonio Marcello docet Victor. ad Cic. Epist. ad Famil. VII, 6; ne quid dicamus de Attii Medea, cujus fragmenta cum Euripideis egregie contulit Scaliger ad Varron. pag. 100.

HOSIDII GETÆ

MEDEA,

TRAGŒDIA EX CENTONIBUS VIRGILIANIS CONFLATA.

MEDEA.

Esto nunc, Sol, testis, et hæc mihi terra precanti,
Et diræ ultrices, et tu Saturnia Juno,
Ad te confugio; nam te dare jura loquuntur
Connubiis, si quid pietas antiqua labores

1. *Esto nunc, Sol, testis, et hæc mihi terra precanti:* ita in Salm. et Leid. sed Heinsius ex majori codicum optimorum numero *vocanti* prætulit apud Virgil. Æn. XII, 176, ubi totus hic versus legitur; et recte, quia præcedit illic *precatur*, et *precor* mox sequatur: id firmat codex Amstelæd. sed *precanti* in meo codice, ut et hic edidit Scriver. ita passim cognata hæc verba in MSS confunduntur. Virg. Æn. XI, 101: «Velati ramis oleæ, veniamque rogantes»; ubi in Parrhas. et Veneto *precantes:* apud Tibull. El. lib. III, 2, v. 15: «Præfatæ ante meos manes, animamque precatæ», ubi *rogatæ* in plurimis MSS et edd. vetustissimis: sic *vocare* et *rogare;* vid. ad Ovid. Ep. XX, 191, et alibi.

4. *Si quid pietas antiqua labores Respicit humanos, nostro succurre labori:* sic edidit Scriverius. In Salm. vitiose legebatur *Respice humano;* in Leid. *succurrere labori:* primum legitur Æn. V, 688; alterum lib. IX, 404: «Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori»; ubi si *dolori* in codd. exstaret, huic certe loco melius conveniret, propter inconcinnam in fine duorum versuum utriusque vocis repetitionem: alia enim res est infra v. 28: «Et si pietate meremor, Nostro succurre labori»; unde tamen colligas poetam hunc in suo codice Virgiliano etiam *labori* habuisse. Quam frequenter autem *labor* et *dolor* in MSS apud Ovid. aliosque poetas confundantur, aduotare opus non est. Quia tamen in loco Virgilii nihil variant codices, retineamus *labori*, licet versus præcedens in eamdem vocem exeat, quum non pauca talia exempla sint apud similes non tantum centonarios, sed longe melioris ævi poetas, ubi in eadem voce aut pluribus desinunt, vel simili principio

Respicit humanos, nostro succurre labori,
Alma Venus; quicumque oculis hæc adspicis æquis,
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen.
Quid primum deserta querar? connubia nostra
Reppulit, et sparsos fraterna cæde penates.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis,
Profuerit, mediosque fugam tenuisse per hostes?
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Jussa aliena pati; iterumque revolvere casus;
Ire iterum in lacrymas. Sed nullis ille movetur
Fletibus, infixum stridet sub pectore vulnus.
Exstinctus pudor, atque inmitis rupta tyranni
Fœdera, et oblitus famæ melioris amantis,
Oblitusve sui est: lacrymæ volvuntur inanes.

inchoantur versus, qui sæpe ob id perperam a librariis omissi, vel ab editoribus deleti fuerunt: ut egregie ostendit Rittersh. ad Gunther. Ligur. pag. 148: quo referendum illud Petronii, quod Burm. dedit Anth. I, epigr. 51: « ibit ad aras, Sancte, tuas hircus, pecoris pater ibit ad aras Corniger », ubi alterum versum a Scaligero in Catalectis ea propter omissum esse notavi.

6. *Quicumque oculis hæc adspicis æquis.* Male in cod. Salm. et Leid. *aut quicumque. Adspicit* legitur in ipso Virg. Æn. IX, 209; sed *adspicis* edidit Scriver. ut est in cod. Salm. et Leid.

13. *Quid non mortalia pectora cogis? Pectora* deerat Salm. et superscr. in Leid.

15. *Infixum stridet. Stridit* in Salm. et Leid. a verbo *stridere*, penult. brevi: quod et apud Virg. Æn. IV, 689, in antiquioribus haberi codicibus testatur Pierius, et multis defendit Heinsius. Sane Servius ad Virg. Æn. II, 217, testatur antique *strido, stridis;* sed sua ætate *strideo, strides*, dictum fuisse; v. Heins. et Burmann. ad Ovid. Met. IX, 171; Oudend. ad Lucan. VI, 179, et IX, 916. De similibus verbis *fervere, tergere*, et aliis, vide Rittersh. ad Gunther. lib. I, Ligur. pag. 18 et 19; Pineier. Pareg. lib. IV, 4; Scriver. ad Martial. Ep. III, 4; Heins. ad Prudent. pag. 92, et Schœlg. ad Juvenc. lib. I, v. 114: ut autem hic *stridet vulnus*, ita apud Valer. Fl. lib. III, vs. 278: « et adhuc stridentia pensant Vulnera », i. e. recentia, calentia: ut *stridentia exta*, et similia, vide notas Burmanni ad Petron. cap. 95.

17. *Oblitus famæ melioris amantis:* sic Salm. et Leid. et Scriverii editio: *oblitos amantes* legitur in Virg. Æn. IV, 221.

18. *Oblitusve sui est. Suæ est* in iisdem Schedis, quia *famæ* præces-

Nusquam tuta fides; vana spe lusit amantem
Crudelis : quid, si non arva aliena domosque
Ignotas peteret, pro virginitate reponit?
Heu pietas, heu prisca fides! captiva videbo
Reginam thalamo cunctantem, ostroque superbo.
Haud impune quidem, si quid mea carmina possunt.

CHORUS COLCHIDARUM*.

Rerum cui summa potestas,
Precibus si flecteris ullis,
Et si pietate meremur,
Nostro succurre labori.
Et tu Saturnia Juno
Cui vincla jugalia curæ,

sit, sed male ; vid. Anth. Lat. Burm. lib. I, epigr. 172, v. 145.

21. *Ignotas peteret, pro virginitate reponit?* Ita optime in cod. Salm. et Leid. nec video caussam, cur et membranarum scripturam, et distinctionem ac lectionem hemistichiorum Virgilii ipsius, ex suo arbitrio mutaverit Scriverius hunc in modum : « quid? si non arva aliena domosque Ignotas petis? hæc pro virginitate reponis? » non enim Jasonem ipsum hic aut in præcedentibus adloquitur Medea, sed tacitas et solas querelas in eum effundit exsul ac repudiata. Mutationis ansam Scriverio dedit, quod in cod. Salmas. legeretur : « Ignotas peteret, hæc pro virginitate reponit »; et ita in cod. Leidensi : sed deleta tantum *hæc* recte constat sensus, et integra manet lectio hemistichiorum Virgilianorum ex Æn. lib. IV, 311, et lib. XII, 878.

22. *Heu pietas, heu prisca fides! captiva videbo.* Bene ita correxit Scriverius, quum in cod. Salmas. esset, « heu prisca fides, et hæc captiva videbo »: quomodo etiam in Leid. sed in neutro hujus versus hemistichio apud Virg. *et hæc* leguntur : versumque efficiunt plus æquo longum; ut modo vers. præced. vid. Anth. Lat. Burm. lib. I, epigr. 172, v. 145.

23. *Reginam thalamo cunctantem.* Sic exstat apud Virg. Æn. IV, 133; *thalami cunctantes* in Salm. et Leid. et v. seq. *Aut inpone.*

* Nescio cur Chorum hunc totum edere neglexerit Scriverius, quum in codice Salmasiano, unde habuit, legatur : male autem in illo cod. et Leid. *Colcitarum* scribitur pro *Colchidarum*, id est, *Colchidum*; vid. Salmas. ad Trebell. Poll. Gallien. cap. 8; vel scribe cum Cl. Oudendorpio *Colchicarum* : nam a *Colchis* est *Colcha, Colchica, Colchiaca*, non *Colchida*.

Oculis hæc adspicis æquis?
Nemorum Latonia custos,
Triviis ululata per urbes,
Sic nos in sceptra repouis?
Quid, o pulcherrime conjux,
Potuisti linquere solam?
Per tot discrimina rerum
Nequidquam erepte periclis.
Manet alta mente repostum,
Quem forti pectore et armis
Quæsitas sanguine dotes.
Felix, heu nimium felix,
Dum fata Deusque sinebant!
Nescis heu perdita necdum,
Quæ te dementia cepit
Caput objectare periclis.
Hæc nos suprema manebant,
Hoc ignes aræque parabant.
Nostram nunc accipe mentem,
Vaginaque eripe ferrum,
Ferroque averte dolorem.

37. *Per tot discrimina rerum:* in Salm. *per totu*, in Leidens. *per tot o discrimina.*

40. *Quem forti pectore et armis Quæsitas sanguine dotes.* Ita in Salm. et Leid. cod. Sed in bis sensum desidero, uno bemistichio Virgiliano, quod forte excidit, facile restituendum, si ex Æn. lib. IV, 111, inseramus, ac legamus, « Quam forti pectore, et armis, Medioque ex boste recepit Quæsitas sanguine dotes! » quas dotes sanguine quæsitas Medeam in gratiam Jasonis medio ex hoste, id est, serpentibus ac tauris, recepisse hic indicet Chorus, describit ipsa apud Ovid. Ep. XII, 199 et seq. « Dos ubi sit, quæris; campo numeravimus illo, Qui tibi laturo vellus arandus erat. Aureus ille aries, villo spectabilis aureo, Dos mea: quam, dicam si tibi, redde; neges. Dos mea, tu sospes: dos est mea, Graia juventus, I nunc, Sisyphias, improbe, confer opes »; vid. et Euripid. in Medea, vs. 476 et seq.

43. *Dum fata Deusque sinebant.* Deest hic versus codici Leidensi: sed ex illo aptior sensus nascitur.

CREON, MEDEA.

CREON.

Femina, quæ nostris erras in finibus hostis,
Flecte viam velis; neque enim nescimus et urbem,
Et genus invisum, et non innoxia verba.
Hostilis facies occurrat et omina turbet.

MEDEA.

Nullæ hic insidiæ; nec tanta superbia victis.

CREON.

Non ea vis animo : nec sic ad prælia veni.
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures,
Unde genus ducis varium et mutabile semper.

52. *Femina, quæ nostris erras in finibus hostis.* Sic edidit Scriverius : *errans in finibus* legitur in Virg. Æn. IV, 211, et hic in cod. Salm. et Leid. Singulare in boc carminum genere est, quod boc in loco unica vox *hostis* in fine versus adjiciatur ex lib. VII, 713, ubi legitur *Trojani nominis hostis*, ut in margine adnotavit Scriver. nam in primo Virgilii loco habetur « Femina, quæ nostris errans in finibus urbem Exiguam pretio posuit »; sed potuit etiam poeta respicere ad lib. VII, 469, ubi est *detrudere finibus hostem*, et in suo cod. scriptum invenisse *finibus hostis* pro *hostes*.

53. *Flectem viam* vitiose in Salm. et Leid.

54. *Et genus invisum, et non innoxia verba.* Sic Salm. et Leid. cod. primum bemistichium est ex lib. I, 28; in altero edidit Scriverius *nec non innoxia verba*, repugnante sensu. Itaque alterum prætuli, quia ita non tantum in schedis nostris MSS exstabat, sed in ipso Virgil. Georg. II, 129: est enim hiatus in versu, Virgilio frequentissimus; vid. Anth. Burm. I, 180.

55. *Hostilis facies occurrat et omina turbet.* In cod. Salm. « occurrat adque homina turbet », in Leid. *turbat* a man. pr. sed *turbet* a m. sec. Scriverius edidit : « Hostilis facies occurris, et omina turbas ». Sed ita mutare versus Virgilianos in bis centonibus non decet : levius esset, si legeremus : « Hostilis facies ne occurrat, etc. » Nam apud Virgil. Æn. lib. III, 407, habetur, « Ne qua inter sanctos ignes in bonore Deorum Hostilis facies occurrat, et omina turbet », ubi *omnia* in multis codd. MSS, ut semper bæc confunduntur.

57. *Nec sic ad prælia veni. Venis* in cod. Leid. male.

59. *Unde genus ducis varium et mutabile semper.* Sic edidi ex cod.

Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Funereasque inferre faces, et cingere flamma,
Pacem orare manu, et vertere sidera retro,
Atque odiis versare domos: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes fœcundaque* pœnis
Viscera* notumque furens quid femina possit.
Cede locis, pelagoque volans da vela patenti.

Salmas. et Leid. ut *genus varium et mutabile* junxerit poeta: nam Scriverius addidit ex Æn. IV, 569: « Unde genus ducis. Varium ac mutabile semper Femina; Tu potes unanimes, etc. » relicto versu mutilo. Sed quum in cod Salmasiano, unde ipse Scriverius protulit, una serie legantur ita ut edidi, nullo cum lacunæ indicio, membranarum auctoritatem sequi præstat.

62. *Pacem orare manu, et vertere sidera retro.* Hunc quoque versum a Scriverio omissum revocavi ex Salmas. et Leid. cod. primum hemistichium exstat lib. X, 80, alterum lib. IV, 489: sane hunc negligi non oportebat, ne quatuor integri versus Virgiliani hic occurrant, qui leguntur lib. VII, 335 et seq. « Tu potes unanimes armare in prælia fratres, Atque odiis versare domos; tu verbera tectis Funereasque inferre faces; tibi nomina mille, Mille nocendi artes ».

64. *Fœcundaque pœnis * Viscera *notumque furens quid femina possit.* Malui mendosam codicis Salmasiani et Leidensis exhibere scripturam, quam cum Scriverio mutare hemistichium Virgilianum, totumque versum negligere: ille enim ita edidit: « fœcundaque viscera pœnis. Cede locis, pelagoque volans, etc. » apud Virgilium vero Æn. lib. VI, 598: « fœcundaque pœnis Viscera », ut hic in cod. Salmasiano; alterum illud: « notumque furens quid femina possit », exstat lib. V, 6. Si voculam unam inserere liceret, connectere sensum facile esset hoc modo: « tibi nomina mille, Mille nocendi artes semper; fœcundaque pœnis Viscera sunt: notumque, furens quid femina possit »; vel cum Clar. Oudendorpio vocem *testor* ob vicinitatem literarum earumdem *Mille nocendi artes, testor*, inserere: ita certe omnia bene cohærent, et locum suum tuetur versus ille, quem Scriverio præteritum miror, quum clare in codice Salmasiano, qui ipsi ad manum fuit, legatur, et quo opportune in Medeam hic utitur Creon.

66. *Cede locis.* Est ex Æn. lib. VII, 559, quem locum recte protulit Broukhus. ad Propert. I, 9, 27, inter illa exempla, in quibus *cedere* dicitur de iis, qui vel judicio vel vi aliqua de loco dejiciuntur: et expressit sine dubio Virgilius illud Homeri, Iliad. A, vs. 522: Ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν αὖτις ἀπόστιχε, quod Scholiastes exponit per ἀναχώρει. *Cedere de loco* apud Livium, lib. III, 63. Medea apud Ovid. Ep. XII, v. 134: « Ausus es Æsonia dicere cede domo. Jussa domo cessi ». Quo loco optime firmatur Burmanni emen-

MEDEA.

Rex, genus egregium, liceat te voce moneri:
Pauca tibi e multis, quoniam est oblata facultas,
Dicam equidem (licet arma mihi mortemque mineris),
Ne pete connubiis natam : meminisse juvabit;
Dissice compositam pacem, miserere tuorum.

CREON.

Ne tantos mihi finge metus, neve omine tanto

datio in vexato Propertii versu, lib. II, El. 17, 12 : « Colchida sic hospes quondam decepit Iason : Electa est tenni namque Creusa domo »; ubi mire variant codices, et fluctuant interpretes : sed in notis ad Virgil. Georg. II, 407, legebat : « Ejecta tenuit namque Creusa domum », i. e. ejecta Colchide, sive Medea, Creusa tenuit domum Jasonis. Nec male Cl. Oudendorpius tentabat « Ejecta est : tenuit namque Creusa domum ». Certe *Ejecta* legitur in tribus Vossianis, uno Leidensi, Dorvilliano, meoque codice : emendatio autem Heinsii, quam in notis suis dedit Bronkhusius, et altera, quæ adfertur in Miscell. Observ. vol. V, tom. I, p. 129, nimium a vulgatæ scripturæ vestigiis recedit.

67. *Liceat te voce moneri.* Sic legitur in Salm. et Leid. *moveri* edidit Scriverius; quod ex solo Heinsiano codice, quem Venetiis comparavit, apud Virg. Æn. III, 461, Pet. Burmann. notavit : inveni id quidem in fragmento etiam Walliano, sed a manu sec. correctum *moneri :* quod et in Amstelæd. meoque codice habetur : et hoc servant etiam schedæ MStæ in carmine Didonis, v. 131.

69. *Dicam equidem* (*licet arma mihi mortemque mineris*): ita edidit Scriverius, et consentiunt Salmas. et Leid. codex, licet *minetur* sit in Virgilio, Æn. XI, 348 : quod tamen hic etiam potest admitti, ut intelligatur Jason. Distinctionem sequutus sum, quam apud Virg. ipsum faciendam jubet Servius, qui notat ad vocem *licet* pareothesin ponendam esse; nam in vulgatis est : « (Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minentur) ».

71. *Dissice compositam pacem :* ita et hic scribunt schedæ nostræ MSS, non *disjice*, ut passim in vetustis membranis, sed quod perperam viri docti amplexi sunt, quum scriptura ista nata sit ex more librariorum literam *i* non geminantium; vid. N. Heins. ad Virg. Æn. I, 70, licet alterum probare videatur Gronov. ad Sen. Agam. 195, ubi quæ de Claud. Puteano dicit, videbis amplius apud Gevart. Elect. lib. II, 4, p. 60, de hoc verbo disserentem : in hac autem voce duplicant *s*, quia in *Disice* prima non potest corripi, ut in *adicit* pro *adjicit*, et similia; vid. ad Anth. Burm. I, 80, v. 15.

72. *Neve omine tanto Prosequere, caussas necquidquam nectis inanes :* in Salmas. et Leid. cod. mendosa erat scriptura : « neve homine tanto Prosequere tanto caussas, etc. » Primum hemistichium est ex lib.

Prosequere, caussas nequidquam nectis inanes.
Stat sua quique dies: non ipsi exscindere ferro
Cælicolæ valeant, fati quod lege tenetur.
Nec mea jam mutata loco sententia cedit.

MEDEA.

Non equidem invideo genero dignisque hymenæis,
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro;
Tempus inane peto: liceat subducere classem;
Extremam hanc oro veniam: succurre relictæ,
Dum pelago desævit hiems, miserere parentis,
O genitor, et nos aliquod nomenque decusque

XII, 72, alterum ex lib. IX, 219; unde Scriverins inseruit voculam *ha* pro *ah*, ut sæpe apud Statium: « Prosequere, ha caussas nequidquam, etc. » sed forte ex ultima syllaba vocis *Prosequere* præstaret *en* vel *et caussas*, etc.

76. *Nec mea jam mutata loco sententia cedit:* ita recte edidit Scriver. ex Salm. cod. quod a Leidensi etiam firmatur: neque aliter in suis codicibus invenit Proba Falcon. Centon. in V. T. cap. XXIV, v. 6: nam Æn. lib. IX, 220, ubi hic versus occurrit, perperam Masvicius edidit *sententia sedit* contra sensum: quam lectionem illic satis refutavit Burmannus: aliud enim est apud Virgil. Æn. XI, 551: « Versanti potior vix hæc sententia sedit », ubi *sedit* est, placuit sententia, consilium cepit: ita *sedere* apud Valer. Fl. I, 178: « Si primos, duce te, virtutis honores Carpere, fraternæ sedeat accrescere famæ », ubi vide Pii notas; licet id alii in *si des* mutaverint; sed alterum in scriptis codicibus esse notat Heinsius. Lib. II, 382: « Si sedet Ægæi scopulos habitare profundi »: sed *cedit* sententia, quæ se vinci ac persuaderi patitur: ut *cedere repugnanti* Ovid. Art. Am. II, 197, ita *cedere* pro *concedere*, permittere; de quo vid. quæ adnotavit Bentleius ad Horat. Epist. II, 1, 67.

81. *Dum pelago desævit hiems, miserere parentis:* sic in sua editione Scriverius; corrupte enim in schedis Salmasianis « desevit hyems tem miserere »; unde in cod. Leid. *hyems item*.

82. *Et nos aliquod nomenque decusque Gessimus, et scis ipse, neque est te fallere quidquam:* ita hæc de ingenio suo Scriverius exhibuit: nam in codice Salmasiano *Gessimus, scis ipse neque est*, etc. inseruit enim copulam *et*, minus, ni fallor, concinne, quia modo præcessit *et nos aliquod nomenque*, etc. ex Æn. II, 89: mihi ex ultima syllaba vocis *Gessimus* placeret, *ut scis ipse*. Desumpta hæc sunt ex Georg. lib. IV, 447: « Scis, Proteu, scis ipse: neque est te fallere cuiquam », ut nunc editur in vulgatis: unde Heinsius *quiquam*, id est, *cuiquam*, quia Virgilium *qui* pro *cui* scripsisse testatur Quintilianus: *cuiquam* est in ed.

Gessimus, et scis ipse, neque est te fallere quidquam.
Nunc victi tristes (quoniam fors omnia versat)
Submissi petimus terram, litusque rogamus
Innocuum, neque te ullius violentia vincat.

CREON.

Quid caussas petis aut in me exitiumque meorum?

Juntina, aliisque, et in codd. MSS Mantelianis dnobus, Menagiano et Gudiano ab Heinsio collatis, et in ed. Aldina apud Probam Falcon. Centon. in V. T. cap. XXI, v. 9; sed prætnli tamen *quidquam*, qunm ita in Mediceo aliisque codicibus legatnr, et schedæ Salmasianæ et cod. Leid. hic *quidquam* agnoscant, quod probare etiam videtur Servius, qui notat: « Alii quidqnam legunt: Hoc autem dicit: qnum omnia noveris ». Neque aliter Arusianus Messius inedito Elocutionum libello: « *Est cernere*, Virgil. Æn. *Terræ omnipotentis alumnum Cernere erat.* Idem Georg. *neque est te fallere quidquam* ». Exprimit autem illud Homeri, Iliad. A. 561: οὐδέ σε λήθω, quod enim Latinis hac in re *fallere*, in Græcis est λανθάνειν· vid. Lambin. ad Horat. Od. lib. I, 10, 16. Elegantiam locutionis *non est te fallere*, pro non licet, non datnr te quidquam celare, nt *Effugere hunc non est*, et similia, copiose illustrarunt Passerat. ad Propert. I, 20, 13; Gronov. Observ. IV, cap. 8, et N. Heins. ad Ovid. Art. Am. II, v. 28.

84. *Nunc victi tristes (quoniam fors omnia versat)*: ita in MSS schedis, et in ipso Virgilio legitur, Ecl. IX, 5. *Sors* tamen edidit Scriverius, quod et Cerda aliique defendnnt: vide notas ad Æn. X, 458: *fors* etiam in hoc hemistichio servant schedæ Salm. et cod. Leid. Anth. Burm. carm. CLXX, v. 127: *sors* tamen præferendum, si cum Burm. quem offendebant duo illa epitheta *victi tristes*, legamus in Virgilio: « Nunc victi, tristis quoniam sors omnia versat », quamquam hujusmodi geminatorum epithetorum exempla non infrequentia sint: de quibus vid. ad Lotich. pag. 345. Si tamen id in hoc Virgilii loco non admittendum videatur, distingui posset: « Nunc victi, tristes (qnouiam fors omnia versat), Submissi petimus terram, litusque rogamus Innocnnm »; eodem modo Æn. lib. IV, v. 373: « ejectum litore, egentem Excepi, et regni demens in parte locavi », qnod separandum monet Servius, non *ejectum egentem*, vel *litore egentem*. Alterum versum ita distinxit Scriverius: « Submissi petimns; terram litusque, etc. » cui obstat ipsa hemistichiorum Virgilianorum ratio: primum enim « submissi petimus terram », legitur Æn. lib. III, 93; alterum « litusqne rogamus Innocnnm », Æn. lib. VII, 229. Seq. vers. *nec te ullius*, etc. est apud Virg. Æn. XI 354. *Neque* edidit Scriverius ex cod. Salm.

87. *Quid caussas petis aut in me exitiumque meorum*: sic supplevit Scriverius; nam in Salmasiano codice legitur: « Quid caussas petis

Quidquid id est, timeo vatum prædicta priorum,
Eia age, rumpe moras; quo me decet usque teneri?

MEDEA.

Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?

CREON.

Ire ad conspectum cari genitoris et ora,
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri.

MEDEA.

Nunc scio quid sit amor: hospitio prohibemur arenæ:
Nec spes ulla fugæ, nulla hinc exire potestas;
Quassatæque rates, geminique sub ubere nati,

in me exitiumque meorum », deficiente uno pede, vel cum hiatu: primum hemistichium margini adnotavit Scriverium desumptum esse ex Æn. lib. VIII, 395, ubi legitur « Quid caussas petis ex alto »; ad alteram versus partem locum Virgilii non indicavit, qui est ex ejusdem libri, v. 386: « Ferrum acuant portis in me, excidiumque meorum »; unde conjuncto utroque hemistichio propius Virgilio adhærebimus, si hic scribamus: « Quid caussas petis ex alto, excidiumque meorum », vel *exitiumque*, ut in aliis codicibus ibidem habetur; sed *excidiumque* etiam est apud Probam Falcon. Cent. N. T. cap. XXIII, v. 2.

89. *Quo me decet usque teneri?* ita et hic schedæ MSS non *morari*, licet illud in suis codicibus habuerit Prob. Falc. cap. XXXII, v. 7; vid. Anth. Burm. I, 180, v. 83.

92. *Dum spes incerta futuri.* Hoc loco *futuri* præfert cod. Salmas. et Leid. pro *futuris*; vid. Anthol. Lat. Burm. I, 180, v. 129.

93. *Nunc scio quid sit amor: hospitio prohibemur arenæ.* Ita clare in schedis Salmas. et cod. Leid. quod admittere malui, licet vitio poetæ versus æquo longior sit, quales etiam supra habuimus incogitantia horum versificatorum, diversos centones consuentium; primum enim hemistichium est ex Eclog. VIII, 43: « Nunc scio, quid sit amor »; alterum ex Æn. I, 544: « hospitio prohibemur arenæ »; nam quod Scriverius deleta voce *amor*, et incerta copula *et* ediderit: « Nunc scio quid sit, et hospitio », in eo a cod. Salmas. recessit, nullumque constituit sensum. — Quum tamen vix credibile sit, hunc versum sic ab auctore relictum esse, fere suspicares unum versum deesse, quem ex Virgilio, lectori otioso supplere facile erit, ut sic: « Nunc scio quid sit amor: quæve hunc barbara morem Permittit patria: hospitio prohibemur arenæ ». Ed.

95. *Quassatæque rates.* Corrupte in schedis Salm. *Quas a te quaratis*: sed ut nos, edidit Scriverius, ex

Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago,
Indulge hospitio noctem non amplius unam.
Hanc sine me spem ferre tui : audentior ibo.

CREON.

Desine jam tandem : tota quod mente petisti,
Largior, et repetens iterumque iterumque monebo.
Si te his adtigerit terris Aurora morantem,
Unum pro multis dabitur caput.

Æn. lib. IV, vs. 53 : *quassæ rates* Horatio, Statio, aliisque poetis, pro quo in MSS sæpe *lassæ*; vid. Heins. ad Claudian. in Rufin. I, vs. 276.

96. *Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas :* ita in schedis MSS : *asperat* recte Burmannus ad locum Virgil. Æn. III, 285 contra Vondelium, *glacie constringit* vertentem, exponit, mare innavigabile, intractabile reddit, cujus explicationem firmat alius Maronis locus ex Æn. lib. IV, 53 : « Dum pelago desævit hiems, et aquosus Orion, Quassatæque rates, dum non tractabile cælum ».

97. *Si te nulla movet tantæ pietatis imago :* ita ex Virgil. Æn. lib. VI, 405, recte edidit Scriverius ; nam vitiose in cod. Salm. erat *si te nullam habet*, quod provenit ex consueta librariis scriptura *si te nulla mobet* pro *movet*, ne quis putet, *si te nulla habeat* fuisse in Virgilio; nam et lib. IV, 272, et lib. VI, 405, quo utroque loco hoc hemistichium legitur, codices scripti constanter servant *Si te nulla movet.*

99. *Hanc sine me spem ferre tui : audentior ibo.* Nescio qua negligentia hunc quoque versum omiserit Scriverius, quum in cod. Salmas. clare legatur, ut et in Leidensi, et valde adpositus sit. Est autem ex Æn. lib. IX, 291, ubi *audacior* male in nonnullis codd. MSS; quod et in fragmento Walliano, aliisque reperi, Æn. lib. VI, 95: «Tu ne cede malis, sed contra audentior ito, Quam tua te fortuna sinet », ut et infra legitur in schedis MSS, v. 167; passim enim hæc male confunduntur; vide Burmanni notas ad Ovid. Art. Am. I, v. 608, et Met. X, 586.

100. *Tota quod mente petisti, Largior, et repetens :* ita in Salmas. et Leid. cod. et in ipso exstat Virgilio, Æn. lib. III, 436, et apud Probam Falcon. Cent. N. T. cap. XVII, v. 32; cur enim Scriverius ediderit *at repetens*, nulla caussa est : *quod tota mente petisti* edidit Aldus in Prob. Falcon. Cent. V. T. cap. 24, v. 5, quod et in nonnullis codd. est Virg. Æn. lib. IV, 100.

VOX DEINTUS*, CHORUS.

VOX.

O digno conjuncta viro, dotabere virgo.
Ferte faces propere, thalamo deducere adorti,
Ore favete omnes, et cingite tempora ramis.

CHORUS.

Velamus fronde per urbem,
Votisque incendimus aras.
Heu corda oblita tuorum,
Vatum prædicta priorum,

* *Deintus* pro more illius temporis nibil aliud est quam *intus*, ut *decontra* pro *contra*, *desecus* pro *secus*, et similia; de quibus vid. Salmas. ad Capitolin. Macrin. cap. XI, p. 764, ubi hanc ipsam e veteri Tragœdia Medeæ inscriptionem inter talia adfert, et plura hujus vocis *deintus* exempla vid. apud Muneker. ad Fulgent. Expos. Serm. Ant. in *promos* et *condos*, p. 777. De similibus *inante* pro *ante*, *ineoram*, *amodo*, aliisque compositis præpositionibus vid. Rittersh. ad Gunther. p. 79; Taubm. ad Virgil. Æn. VII, 289; Salmas. et Græv. ad Florum, lib. I, cap. 1, aliosque.

106. *Ore favete omnes, et cingite tempora ramis:* ita edidi ex ipso Virgilio, Æn. lib. V, 71; licet in Salm. et Leid. cod. legatur *cingite tempora flammis*, pro quo Scriverins edidit *palmis*, nescio unde; certe in codd. MSS Virgilii Montalbanio, binis Rottendorphianis, Hamburgico, aliisque ab Heinsio collatis, ut et Amstelædamensi, meoque, constanter *ramis* habetur: sic v. 128, *velati tempora ramis*, et apud Virg. Æn. VIII, 286: «Populeis adsunt evincti tempora ramis». In fragm. Walliano erat, *tempora cingite ramis*, quod e Romano aliisque codd. etiam notavit Pierius, et e Dorvilliano Burmannus.

107. *Velamus fronde per urbem.* Male iterum Scriv. mutavit, et edidit *Velamur*, quum alterum sit in Salm. et Leid. nam jungenda sunt « Velamus aras fronde et votis incendimus», ut *delubra fronde velare* in loco Virgilii, Æn. II, 249, unde hæc desumpta sunt: « Nos delubra Deum miseri, quibus ultimus esset Ille dies, festa velamus fronde per urbem ».

109. *Heu corda oblita tuorum:* ita edidit Scriverius, neque aliter in Salm. et Leid. cod. licet in Virgilio, duobus locis diversis, Æn. lib. IV, 528, et lib. IX, 224, legatur: « et corda oblita laborum ».

110. *Vatum prædicta priorum.* Firmant schedæ MSS tam hoc loco quam supra v. 88: vulgatam in Virgilio lectionem lib. IV, 464, ubi *piorum* ex nonnullis codicibus præferunt Pierius et Heinsius, et me-

Fati sortisque futuræ!
Spe multum captus inani
Mactat de more bidentes
Phœboque patrique Lyæo,
Cui vincla jugalia curæ:
Cumulatque altaria donis.
Tremere omnia visa repente,
Fibræ adparere minaces,
Vox reddita fertur ad aures:
Thalamis neu crede paratis,
Funus crudele videbis.
Carpebant membra quietem,
Animalia somnus habebat,
Ferali carmine bubo
In fletum ducere voces,
Tristes denuntiat iras.
Quæ tanta insania, cives,
Velati tempora ramis,

lius videbatur Kromayero ad Prob. Falcon. Cent. N. T. cap. I, v. 2, ubi tamen *priorum* in ed. Aldina.

118. *Fibræ adparere minaces.* Male in schedis Salmas. et cod. Leid. *adparuere*, quod metro adversatur; *adparere* recte edidit Scriverius, ut ex præcedentibus *Tremere omnia visa repente*, hic quasi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetatur: «Et visæ fibræ adparere minaces»; et sic in Virgilio legitur; sed ubi infinitivus ille dependet a sequenti voce *cessavit*, Georg. lib. I, 484: «nec tempore eodem Tristibus aut extis fibræ adparere minaces, Aut puteis manare cruor cessavit».

120. *Thalamis neu crede paratis:* ita iu schedis MSS, et apud ipsum Virgil. Æn. VII, 97: *ne crede* edidit Scriverius, quod in solo Virgilii Wittiano codice legitur.

124. *In fletum ducere voces.* Male *Infletum* in schedis: eleganter satis hi duo versus desumpti sunt e Virg. Æn. IV, 463: «Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri, et longas in fletum ducere voces», sequenti versu perperam in schedis Salmas. *Risus denuntiat iras;* sed recte *Tristes* correxit Scriverius ex Æn. lib. III, 366.

128. *Velati tempora ramis:* ita legitur in cod. Salmas. et Leid. licet *Evincti* ediderit Scriverius, ut in vulgatis editionibus apud Virg. Æn. VIII, 286: «Populeis adsunt evincti tempora ramis»: alterum quoque Virgilio sæpe in usu, ut Æn. VIII, 278: «bicolor cum populus

Thalamo deducere adorti,
Quæso miserescite regis.

* * *

Recubans sub tegmine fagi
Divino carmine pastor
Vocat in certamina Divos,
Ramo frondente pependit.
Quæ te dementia cepit
Saxi de vertice pastor
Divina Palladis arte
Phœbum superare canendo?
Raptim secat aera pinnis,
Fugiens Minoia regna,
Ausus se credere cælo,

umbra Velavitque comas »; et lib. V, v. 72 : « velat materna tempora myrto », et alibi, sed parum interest. Vs. seq. recte Scriverius *Thalamo deducere adorti* edidit ex Æn. VI, 397: *Thalami* in cod. Salm. et Leid. sed *Thalamo* in iisdem supra v. 105.

129. *Quæso miserescite regis*, bene ex Virg. Æn. VIII, v. 573: correxit Scriverius vitiosam cod. Salmasiani scripturam : « Quæ sub miserescite regi »; quomodo etiam in Leidensi cod. Inter hunc et sequentem versum, « Recubans sub tegmine fagi », Scriverius hiatum posuit asteriscis insignitum, ut nonnulla hinc excidisse indicaret, cui facile adsentior, et quia non cohæret sensus, eum sequutus sum, licet in Salmasiano et Leidensi codice omnia uno et perpetuo tenore legantur.

133. *Vocat in certamina Divos:* ita in schedis MSS et apud Virg. Æn. VI, 172: *divas* edidit Scriverius, qui hoc et sequenti versu specimen hujus Medeæ absolvit in Collectaneis veterum Tragicorum, licet mallem eum ad finem perduxisse: sed videtur cætera non addidisse, quia in notula subjecta monet, Salmasium reliqua ex iisdem vetustissimis membranis cum aliis antiquis monumentis compluribus, hactenus ineditis, in lucem emissurum, quorum spem tam in Commentario ad Histor. Augustæ Scriptores, quam in aliis scriptis non raro fecit: quod quum tamen non præstiterit, nos gratiam haud exiguam a Musarum cultoribus inituros auguramur, quod tandem integram Medeam hanc Tragœdiam, sed falso hactenus Ovidianam creditam, e tenebris eruerimus, totamque ex eodem Salmasiano codice publicaverimus.

138. *Phœbum superare canendo.* Est ex Eclog. V, 9, eodemque hemistichio utitur similis poeta in alio Centone, ubi de Marsya: « Formosum pastor Phœbum superare ca-

Vitamque relinquit in auras.
Demens videt agmina Pentheus
Caput a cervice revulsum,
Incensas pectore matres,
Vocat agmina sæva sororum,
Juvenem sparsere per agros.

MEDEA, NUTRIX.

MEDEA.

En quid ago? vulgi quæ vox pervenit ad aures?
Obstupui, magnoque irarum fluctuat æstu
Durus amor, tædet cæli convexa tueri.
Quæ potui infelix? quæ memet in omnia verti,
Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent,
Heu, furiis incensa feror! stat gratia facti.

nendo Dum cupit, et cantu vocat in certamina Divos, Membra Deo victus ramo frondente pependit». Cel. Oudendorpius vs. 154, «Ramo frondente pependit», vel delendum, vel post vers. 141: «Ausus se credere cælo», ponendum existimabat.

145. *Incensas pectore matres:* in Salm. et Leid. *ingensas*, frequente librariorum scriptura, ut paullo post v. 153, et alibi passim: at in ipso Virgilio, Æn. lib. VII, 392, exstat: «furiisque accensas pectore matres», ubi nullam lectionis diversitatem e suis codicibus adnotarunt Pierius aut Heinsius, qui *pectora* per Græcismum malebat. Neque differunt hic Amstelædamensis meusque codex; videtur igitur hic auctor in suo Virgilii codice babuisse «furiisque incensas pectore matres», quod defendi posset ex Æn. IV, 396: «Heu, furiis incensa feror!» ubi in nullo codice legitur *accensa*.

149. *Magnoque irarum fluctuat æstu:* bis occurrit apud Virgil. Æn. IV, 532 et 564; ubi tamen in secundo loco est *varioque irarum*, etc. eadem variatione, qua in lib. VIII, 19, legitur «magno curarum fluctuat æstu»; sed lib. XII, v. 486: «Heu quid agat; vario nequidquam fluctuat æstu».

151. *Quæ memet omnia verti:* ita correxi ex Æn. lib. VII, 309: vitiose enim in cod. Salmas. a man. pr. «quæ me me ignominia verti»; in Leid. «quæ me me in omnia verti».

152. *Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent:* ita clare legitur in Salmas. et Leid. cod. solus codex Hamburgensis apud Virg. Æn. X, 176, habet *cælum;* unde conjiciebat Burmannus: «cui cælum, et sidera parent»; sed alterum Maroni usitatius esse addit: vulgata certe

Illum ego per flammas, et mille sequentia tela,
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Eripui leto, fateor, (me), arma impia sumpsi;
Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?
Quid loquor? aut ubi sum? ictum jam fœdus, et omnes
Compositæ leges, credo, mea vulnera restant.

NUTRIX.

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit;
Sed cape dicta memor, duri solatia casus,
Sensibus hic imis, nostram nunc accipe mentem;
Heu, fuge crudeles terras, fuge litus avarum!

MEDEA.

Cara mihi nutrix, claudit nos objice pontus,
Deest jam terra fugæ; rerum pars altera adempta est.

etiam legitur in Probæ Faleon. Centon. in V. T. cap. XIV, 1, et N. Test. cap. IX, v. 5. *Sidera parent* dictum, ut in carmine Petronii in Catalect. Scalig. p. 255: *mihi fulmina parent*, ubi plura notavimus.

154. *Illum ego per flammas, et mille sequentia tela.* Consentiunt hic schedæ vulgatis Virgilii codicibus, Æn. lib. VI, 110, et Arusianus Messius libello Elocutionum MS in *Recipit ex illo illum*; ubi hunc locum adfereus etiam habet *per flammas, et mille sequentia tela*, etc. Proba tamen Faleonia in suis codicibus legisse videtur, *per flammas, per mille sequentia tela*, repetitione non invenusta. Ita enim illa Centon. N. Test. cap. XII, v. 10: « Illum ego per flammas, agerem si Syrtibus exsul, Per varios casus, per mille sequentia tela, etc. »

156. *Eripui leto, fateor, me, arma impia sumpsi:* ita in schedis MSS; alio nonnihil ordine leguntur primi hemistichii verba apud Virg. Æn. II, 134: « Eripui (fateor) leto me, et vincula rupi ». Alterum *arma impia sumpsi* est ex libro XII, v. 31; sed sensus hic requirit, ut Medea jactet se Jasonem morti eripuisse, non se ipsam, *Illum ego per flammas*, etc. *Eripui leto, fateor*, vel *Eripui, fateor, leto.* Itaque hic forte *me* delendum, et legendum, *Eripui leto fateor, arma impia sumpsi:* ultimam enim in *fateor* hic produci, sequente licet vocali, sine exemplo non esse nemo nescit; vel, *Eripui, fateor, leto, arma impia sumpsi*, frequenti apud Virgilium ipsum, et in his quoque Centonibus hiatu.

157. *Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?* Totus hic versus est ex Virgil. Æn. lib. II, v. 101, ubi *autem* deest in fragmento Moreti, ut notavit Burm. forte

Hæc gener atque socer patriaque excedere suasit.

NUTRIX.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito:
Et quocumque modo fugiasque ferasque laborem;
Tu modo posce Deos veniam, tu munera supplex
Tende petens pacem, caussasque innecte morandi
Carminibus, forsan miseros meliora sequuntur.

MEDEA.

Nunc oblita mihi tot carmina; vox faucibus hæsit;
Mens immota manet, et cæco carpitur igni.
Carmina vel cælo possunt deducere lunam,
Sistere aquam fluviis, deducere montibus ornos:
Has herbas, atque hæc ponto mihi lecta venena
Ipse dedit; nihil ille Deos, nil carmina curat.

quia *autem* abundare monet Servius, aliisque frequentius sit, *Sed quid ego hæc?* vide multa apud N. Heins. ad Ovid. Epist. XV, v. 207, ubi legebat: « Sed quid ego hæc? precibus pectusne agreste movetur »; sed quam emendationem postea damnavit ad Virg. Æn. X, 675, et prætulit: « En quid ago? precibus pectusne, etc. » quia formula illa *quid ago* in extremo luctu adhibetur, ut supra Medea, v. 148, ex lib. IV, 534: « En quid ago? rursusne procos irrisa priores Experiar? »

166. *Hæc gener atque socer:* ita in Leid. *atque soror* in schedis Salmas. apud Virgil. Æn. VII, 317: « Hac gener atque socer coeant mercede suorum ».

168. *Et quocumque modo fugiasque ferasque laborem.* Apud Virgil. Æn. III, 459, legitur, *Et quo quemque modo: effugias* in codd. Pierii: *quocumque modo* ibidem in codice Wittiano, ut hic in Salm. et Leid. sed in quibus male, *fugias ferasque*.

171. *Forsan miseros meliora sequuntur:* sic in Salm. et Leid. sed rectius in vulgatis Virgilii editionibus est *sequentur* Æn. lib. XII, 153: sequenti versui adposui Medeæ loquentis signum, quod huic male præfixum erat in cod. Salm. et Leid.

172. *Nunc oblita mihi tot carmina, vox faucibus hæsit.* Versum uno pede longiorem hic denuo ex duobus diversis non uno tempore consutis hemistichiis habemus, quales jam multoties vidimus, et haud infrequenter animadvertemus. Si tamen in his centonibus verba transponere liceret, legi posset: « Carmina nunc oblita mihi, vox faucibus hæsit ». Male etiam in schedis *Non oblita;* sed *Nunc* correxi ex Eclog. IX, 53.

176. *Has herbas, atque hæc ponto mihi lecta venena Ipse dedit; nihil*

NUTRIX.

Quid struis? aut qua spe inimica in gente moraris?
Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.

JASON, SATELLES, MEDEA.

JASON.

Quod votis optastis, adest; timor omnis abesto:
Hic domus, hic patria est, nullum maris æquor arandum.
Solvite corde metum tandem tellure potiti
Per varios casus, bene gestis corpora rebus
Procurate viri; juvat indulgere choreis.

SATELLES.

Unde tremor terris? qua vi maria alta tumescunt?
Quid tantum Oceano properant se tingere soles?

ille Deos, nil carmina curat. Ita correxi schedas ex Virg. Ecl. VIII, v. 95 et 103; nam in Salmas. et Leid. cod. legebatur: « Has herbas ad hæc ponti mihi lecta venena Ipse dedit mihi nihil ille Deos nihil carmina curat ».

178. *Quid struis? aut qua spe inimica in gente moraris?* In textum recepi hanc lectionem ex Æn. lib. IV, 235, ubi habetur: « Quid struit, aut qua spe inimica in gente moratur »: vitiose enim in cod. Salm. et Leid. erat: « Quid stabis aut qua spe inimica in gente moraris ».

179. *Aut pugnam aut aliquid jamdudum*, etc. Suspensa est oratio Nutricis ad Medeam, et nisi subaudiatur *decet*, *tempus est*, vel similia, alter forte versus excidit, qui sequitur apud Maronem, Æn. lib. IX, 186: « Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum, Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est », quem addidit etiam Proba Falcon. Cent. V. T. cap. 1, 25, vel ex lib. IX, v. 153, et lib. II, 576, suppleri posset: « Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum Mens agitat, certum est sceleratas sumere pœnas, Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti »; qui ultimus versus exstat Æn. II, 62, ubi receptam lectionem firmant hic schedæ Salmas. nam in cod. Leid. *ceu certe*, ut et in aliis Virgilii edd. sed recte Heinsius *certæ morti* probavit, et *versare dolos* pro *dolo* præferendum.

182. *Hic domus, hic patria est:* ita in schedis; quomodo et in aliis codicibus Virgilii, Æn. VII, 122, pro « Hic domus, hæc patria est », ut in vulgatis legitur, et apud Prob. Falcon. Cent. V. T. cap. XII, 6; ubi Aldina Poetar. Christian. editio

Nescio quod certum est, in nubem cogitur aer.
Adspice convexo nutantem pondere mundum:
Et fratris radiis obnoxia surgere luna.

JASON.

Media fert tristes succos, infecta venenis,
Quo thalamum eripiat, atque ossibus implicet ignem;
Fare age, quid venias: jam istinc et comprime gressum.

habet « Hæc domus, hæc patria est ».

188. *Nescio quod certum est :* ita in schedis MSS; sed lege: « Nescio quid certe est », ex Ecl. VIII, 107.

189. *Adspice convexo nutantem pondere mundum: Et fratris radiis.* Primus versus est ex Eclog. IV, 50; alter ex Georg. lib. I, 396: « stellis acies obtusa videtur Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna »; unde patet infinitivum *surgere* illic regi a præcedenti verbo *videtur;* quod negligens centonarius eumdem hic fecit orationis hiatum, qualem supra vidimus v. 179.

191. *Media fert tristes succos, infecta venenis :* ita correxi : in cod. Salmas. et Leid. legebatur « Media fert tristes succos, nigrisque infecta venenis » : sed delenda est vox *nigrisque*, quum propter versus ipsius pedes abundantes, tum propter ipsa Virgilii hemistichia : primum enim est ex Georg. lib. II, 126 : « Media fert tristes succos, tardumque saporem, etc. » ; alterum ex Æn. lib. VII, 341 : « Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis » : in neutro enim versu *nigrisque* occurrit.

193. *Jam istinc, et comprime gressum.* Ne audacius rem agere viderer, ita edidi in textu, ut hodie legitur, licet duriore versu, in vulgatis Virgilii exemplaribus, Æn. lib. VI, 389, ubi viri docti nullas e codd. MSS promunt varietates scripturæ; nisi quod *istic* in multis legatur, et in antiqua ed. Veneta *istic jam comprime. Gressus* in Wittian. Codex Amstelædamensis vulgatam servat, cum glossa in margine, *recede hinc :* neque aliter in meo codice habetur. Sed forte hic non parum debemus corruptæ schedarum Salmasianarum et cod. Leidensis scripturæ, in quibus inveni, « Fare age, quid venias, jam stinget comprome ressum », unde elici potest elegantior, ut mihi quidem videtur, lectio, atque adeo ipsi Virgilio forte restituenda : « jam stringe, et comprime gressum »; ut *stringere* hic absolute capiamus pro eo quod argenteo ævo *strigare* dixerunt, ut apud Phædr. fab. III, 6, 9 : « ubi strigandum, et ubi currendum est, scio », ubi vide notas interpretum; et ita dicatur de illo, qui cursum sistit, et gressum cohibet a loco, in quem tendere adnitebatur : quod optime Virgilio convenit, quia Charon illic Stygiæ undæ adpropinquantem cum Sibylla Æneam increpat, et gressum ulterius promovere vetat, sed quasi metam stringere jubet, ut apud Ovid. Met. III, 2, 12 : « Et stringam metas interiore rota ». Diverso nonnihil sensu apud Propertium,

MEDEA.

Ad te confugio, precibusque inflectere nostris,
O dulcis conjux; non hæc sine numine Divum
Eveniunt : si te ceperunt tædia laudis,
Hos cape fatorum comites; his mœnia quære.

JASON.

Non fugis hinc præceps, dum præcipitare potestas

III, 9, 24 : *stringere latus* currus, est celeriter prætereundo detergere, et Tibrin *stringentem ripas*, tactu modico quasi festinanter prætereuntem, explicat Servius ad Æn. VIII, 63 ; vide Naunium ad Virgilii Bucolica, Ecl. IX, p. 265 ; Passerat. ad Propert. pag. 469, et N. Heins. Advers. lib. II, pag. 207 et 252 : *stringere vestigia*, apud Ovid. Met. I, v. 536, de cane lepori jam imminente : « Alter inhæsuro similis, jamjamque tenere Sperat, et extento stringit vestigia rostro », ubi in uno Heinsii codice *cingit vestigia :* in Juniano et Vossiano *sequitur*, quod et in quarto Palatino invenit Gebhardus, sed in tribus ejusdem bibliothecæ codicibus *stringit*, hoc est, superne lepori instat. Obscura in hoc verbo locutio est apud Valer. Flac. lib. VII, 483, ubi Medea ad Jasonem : « Hei mihi! cur nullos stringunt tua lumina fletus? An me mox merita morituram patris ab ira Dissimulas? » quam singularem locutionem esse in notis suis monet Burmannus, et forte dictum putat, ut *stringere tela, ferrum*, etc. sed postea exemplari suo adscripserat Celeb. Schultensium de Defect. Ling. Heb. p. 131, exponere, cur lumina tua nullos exprimunt fletus, sed pumicis instar arent : quam significationem exemplis Veterum probari posse dubitabat, et an *lumina* recte dicantur *exprimere lacrymas*. Puto illic *stringunt* corruptum esse, et quia sequitur *Dissimulas*, substitui posse, *cur nullos fingunt tua lumina fletus ?* Deinde quum altero versu in codice antiquissimo Vaticano legatur *Dissimules*, forte totus locus ita constitui posset : « Hei mihi ! cur nullos fingunt tua lumina fletus ? Ut me mox merita morituram patris ab ira Dissimules », id est, cur lacrymas saltem non fingis, ut paratam mihi perniciem eo magis tegas ac dissimules. Sed hoc aliis dijudicandum relinquo.

196. *Eveniunt : si te ceperunt tædia laudis.* Schedæ hic exhibebant versum duobus pedibus abundantem hoc modo : « Eveniunt, tantæ me si te cœperunt tædia laudis ». Apud Virg. Georg. IV, 330, legitur « Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis »; sed quia *Eveniunt* hic jam primam versus sedem occupat ex Æn. lib. II, 777, ubi præcedens versus totus exstat, delenda putavi ista *tantæ me* vel *tanta meæ*, et legendum : « Eveniunt, si te ceperunt tædia laudis ». *Proveniunt* hoc in loco legitur apud Auson. Centon. Nupt. p. 513, ed. Toll.

Jam propiore Deo? nescis, heu perdita nescis,
Nec quæ te circumstent deinde pericula, cernis!

MEDEA.

Hanc quoque deserimus sedem, tibi ducitur uxor,
Cui pater et conjux quondam tua dicta relinquor?
Et sedet hoc animo, dotalis regia cordi est,
Externique iterum thalami.
Mene fugis? hoc sum terraque marique sequuta?
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum?
Hic nostri reditus, exspectatique triumphi?
Quid tua sancta fides? iterum crudelia retro

199. *Jam propriora die :* sic in cod. Salmas. et Leid. sed puto corrigendum *Jam propiore Deo* ex Æn. lib. VI, 51.

200. *Nec, quæ te circumstent deinde pericula, cernis!* ita correxi ex Æn. lib. IV, 561; ut ex Mediceo codice aliisque præfert Pierius, et ex suis MSS Heinsius, probavitque Burmannus imitatione Silii Italici: uam olim edebatur : « Nec quæ circumstent te deinde pericula cernis »; et ita habetur apud Prob. Falcon. Cent. in V. T. cap. XXIV, 4: quomodo forte transposuerunt illi, quibus sic numeri videbantur molliores; ut et sæpe in aliis poetis factitatum, sed medicina intempestiva; vide quæ notavi ad Lotich. El. lib. IV, 3, 71; hic vero in schedis Salmasianis legebatur « Neque te circumstent deinde pericula nescis »; in cod. Leid. *Ne... que circumstent*, superser. *te ;* sed *nescis* hic ter repeti non opus est, præsertim quum *cernis* hoc in versu apud ipsum Virg. legatur.

203. *Cui pater et conjux quondam tua dicta relinquor?* est ex Æn. lib. II, 678, ubi ex notis virorum doctorum patebit, male nonnullos hic tollere interrogationis notam, et recte ita proferre Donatum : cui addi potest Nonius Marcellus, p. 439, ed. Mercer. *et quondam conjux* in fragm. Walliano.

206. *Hic labor extremus :* ita legendum ex Æn. lib. III, 714; nam in Salmas. et Leid. « Hic labor extre longarum, etc. ».

207. *Hic nostri reditus, exspectatique triumphi.* Lege *Hi nostri reditus*, etc. ex lib. XI, 54; ubi recte Pierius præfert *exspectatique triumphi*, pro *exoptatique*, ut in Romano codice, quod etiam e Menteliano notavit Burmannus; sed *exspectati* hic firmant cod. Salm. et Leid. nec aliter in Virgiliano Biblioth. Amstelmeoque codice legitur; et apud Rufin. de Schemat. Lex. p. 33; Nonium Marc. p. 222, ed. Merc. et Probam Falcon. Cent. N. T. c. XXXI, v. 10; in loco autem Terentii, qui est ex Heaut. Act. II, Sc. 4, 28 : «Tencone te, Antiphila, maxime animo exoptata meo », testatur Pierius in antiquis et maxime emendatis codici-

Fata vocant, tantis nequidquam erepte periclis.
Mene fugis? per ego has lacrymas, per si quis amatæ
Tangit honos animum, per inceptos hymenæos,
Per connubia nostra, et mensas, quas advena adisti,
Te precor, o miserere animi non digna ferentis.
Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
Dum rauca adsidue longo sale saxa sonabant,
Incubuere mari tantis surgentibus undis,

bus etism legi *exspectata;* quod probat G. Fabricius et codex Leidenbrogii. Sequentis versus primum hemistichium, « Quid tua sancta fides », est ex lib. VII, 365 : ne quis putet de priori loco sumptum, sed diversæ lectionis esse, quia ibidem apud Virgil. sequitur « exspectatique triumphi Hæc mea magna fides? »

209. *Tantis nequidquam erepte periclis :* sic scribendum ex Æn. lib. III, 711; frustra enim in schedis MSS *nequaquam erepta.*

210. *Mene fugis? per ego has lacrymas, per si quis amatæ Tangit honos animum :* ita in cod. Leidensi; nam male in Salmas. « per ego te has lacrymas ». Apud Virgilium ipsum, lib. XII, 56 : « Turne, per has ego te lacrymas, etc. » quem locum etiam Eugraphius ad Terent. Andr. Act. I, Sc. 5, pag. 512, ed. Lindenbr. corrupte adfert, et ex diversis locis hemistichia in unum conjungit, ut sæpe in ejusmodi Grammaticorum scholis : hic vero *per ego has lacrymas* prætuli, quia passim in obtestationibus interponitur casus personæ, ut notum est; vide Scalig. ad Cirin, v. 326; Gronov. ad Livium, XXIX, 18, ed. pr. Acidal. ad Curt. IX, 2, 28; Heins. ad Ovid. Am. III, 2, 61; Drakenb. ad Silium, V, 82, aliosque.

212. *Per connubia nostra, et mensas, quas advena adisti.* Duo hemistichia incogitanter consuta versum denuo longiorem efficiunt : primum enim est ex Æn. lib. IV, 316 : « per connubia nostra, per inceptos hymenæos »; nisi legamus, *Per connubia, per mensas*, etc. alterum exstat Æn. lib. X, 460 : « Per patris hospitium, et mensas, quas advena adisti ». Vitiose *advenas* in Leid. cod. Posset tamen transpositis hemistichiis etiam legi : « Tangit honos animum, et mensas quas advena adisti, Per connubia nostra, per inceptos hymenæos ». Sequenti versu etiam male in schedis MSS : *Te precor miserere.*

216. *Dum rauca adsidue longe sale saxa sonabant :* ita correxi ex Æn. lib. V, 866; male enim in schedis : « Dum rauco adsidue longo sale saxa sonabant ».

217. *Incubuere mari tantis surgentibus undis.* Corrupta Salm. et Leid. codicis scriptura loco huic tenebras objecit, in quibus legebatur *Infixure mari;* quod ut emendarem, nullus e Virgilio succurrebat locus, nisi ex Æn. lib. I, 84 : « Incubuere mari, totumque a sedibus imis Una

Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Compressi, et rabiem tantam cælique marisque.
Unius in miseri exitium, proque omnibus unum
Objeci caput, id sperans fore munus amanti:
Sed quid ego ambages et jussa exorsa revolvo?
Nil super imperio moveor, speravimus ista,
Tempore quo primum fortes ad aratra juvencos;
Semina * et ætherios spirantis naribus ignem

Eurusque Notusque ruunt, etc.» itaque in contextum id recipere non dubitavi: reliqua *tantis surgentibus undis* sunt ex lib. VI, 354: «Deficeret tantis navis surgentibus undis»; ubi in suo codice hic poeta legisse videtur, *Deficeret navis tantis*, etc. ut in Wittiano aliisque MSS, et editis haberi Burm. notavit; sed verborum constructio in his nutat, *Incubuere mari*, etc. *luctantes ventos*, et seqq. Itaque libenter hic corrigerem, si liceret: «Incubuere mari, tantis surgentibus undis, Luctantes venti; tempestatesque sonoras Compressi, et rabiem tantam cælique marisque». Ita saltem sensus aliquis emergeret; vel quia *Luctantes ventos* in Virgilio est, inserto uno versu ex duobus hemistichiis, eodem loco occurrentibus, legi posset: «Incubuere mari, tantis surgentibus undis, Una Eurusque Notusque, et terras turbine perflant. Luctantes ventos, tempestatesque sonoras Compressi, et rabiem tantam cælique marisque»; porro pro *tempestatesque sonoras*, ex Æn. lib. I, 53, corrupte in Salm. et Leid. cod. legebatur *tempestatis quos honoras*. Tertius versus est Æn. V, 802.

221. *Objeci caput, id sperans fore munus amanti:* ita me recte emendasse arbitror vitiosam codicis Salmas. et Leid. lectionem, in quibus inveni: «Objecit caput, hid spe feror munus amanti». Primum elicui ex Æn. lib. VIII, 145: «me me ipse, meumque Objeci caput»; alterum ex lib. VI, 526: «Scilicet id magnum sperans fore munus amanti».

222. *Sed quid ego ambages et jussa exorsa revolvo?* Nullum in Virgilio offendi versum, qui vel totus in eo exstet, ut hic legitur, vel ex cujus duobus hemistichiis hic conflatus sit. Georg. lib. II, 46, occurrunt quidem ista: «Atque per ambages et longa exorsa tenebo». Itaque e diversis pannis singulari more hic unum consuit versum; *ambages et longa exorsa* ex d. l. Georg. sed ita ut *jussa* exhibeant hic schedæ, pro *longa*, quod a Servio tamen agnoscitur, qui *longa exordia* exponit prooemia longe repetita; deinde *Sed quid ego* initio versus et *revolvo* in fine sit ex Æn. II, 101: «Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo».

224. *Tempore quo primum fortes ad aratra juvencos:* sic correxi schedas MSS, in quibus male legebatur, «Tempore qui primum fasces ad aratra juvencos». Prima pars versus est ex Æn. lib. IX, 80; altera ex Georg. lib. III, v. 50.

225. *Semina * et ætherios spirantis*

Objeci, *satis immanis dentibus hydri
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto.
Telorum seges et jaculis increvit acutis,
Ferrea progenies duris caput extulit arvis.
Illi inter sese magna vi vulnera miscent,

naribus ignem Objeci, **satis immanis dentibus hydri Explicuit legio*, etc. Hoc loco satis mendoso malui vitiosam schedarum MSS scripturam, adposito asterisco, ut et alibi feci, repræsentare, quam proprias conjecturas textui inserere. Cogitabam enim hæc forte castiganda esse hunc in modum : « Seminaque, et tauros spirantes naribus ignem Objeci, unde satis immanis dentibus hydri Explicuit legio, et campo, etc. » *Semina* habes in initio versus Ecl. VI, 33, et Georg. I, 193; sequentia sunt ex Georg. lib. II, 140 : « Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem Invertere, satis immanibus dentibus hydri; Nec galeis, densisque virum seges horruit hastis »; ubi quæ Servius et Philargyrius notant, locum hunc opportune illustrant. Possis etiam ex *ætherios* formare *æripedes*, ut *æripedem cervam* dixit Virgilius, Æn. VI, 303; vide Heins. ad Ovid. Epist. VI, 32, et XII, 93, et Muncker. ad Hygin. fab. 22; ita Homero, Apollonio Rhodio, lib. III, 230, et Apollodoro, lib. I, cap. 9, § 13, χαλκόποδες dicuntur; vid. Scalig. ad Ausonii Gryphum, v. 14, et Is. Voss. ad Catull. p. 48: hinc apud Ovid. Epist. XII, 93, in cod. Scriveriano aliisque MSS legitur *Æripedes solidi*, non *Ære pedes solidi*. *Igniferos* dixit Valer. Fl. VIII, 342 : « jungam igniferos sine carmine tauros »; ubi vide Burm. notas; *ardentes* lib. VIII, 437 : « Credidit ardentes quis te nunc jungere tauros Posse »; ubi *æripedes* etiam legebat Heinsius: quem tamen male in loco Martialis Spec. Ep. XXVII, corrigere « Æripedes posset siue Colchide jungere tauros », quia *æneus* numquam trisyllabon, sed semper *aeneus*, vel *aenus* apud poetas est, notavit Markland. ad Stat. Silv. lib. I, 1, 51; ubi plura. Deinde *Objeci* est ex lib. VIII, 145; et ut sensus ac metrum constaret, inserui *unde*. Innuit enim Jason, ex draconis pervigilis dentibus, quos severat, junctis aratro tauris ignem efflantibus, armatam virorum legionem provenisse. Perperam post *dentibus hydri* in schedis Salmas. distinctio major ponebatur; jungenda enim sunt ista, unde legio se explicuit, satis dentibus hydri immanis. Male etiam apud Virg. in nonnullis codicibus *immanes hydri*, quum *immanis hydri* secundi sit casus; et sic recte adfert vetus scholiastes Lucani, lib. IV, 550. *Unde* eodem modo, ut Georg. lib. I, 63 : « Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem : Unde homines nati : durum genus »; mox vitiose in cod. Salm. et Leid. *Eripuit legio* pro *Explicuit*, ut restitui ex Georg. lib. II, 280. Sequenti versu emendavi : « Telorum seges et jaculis increvit acutis » ex Æn. lib. III, 46; nam inepte in schedis iisdem *Cælorum*. Pro *increvit* Pierius ex suis codicibus profert *implevit*, et ex Rottendorphiano ac Sprotiano codice Heinsius; sed *increvit* firmatur a

Confixique suis telis et pectora duro
Transfossi ligno, animasque in vulnera ponunt.
Auro ingens coluber servabat in arbore ramos,
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ullis.
Ille manu patiens immania terga resolvit,
Ut me conspexit flammantia lumina torquens,
Cervicem inflexam posuit, somnosque petivit.
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Sin absumpta salus, nec habet fortuna regressum;

schedis nostris MSS, et eleganter *increvisse* ex seminatis draconis dentibus hic dicitur seges telorum virorumque, ut apud Ovid. Epist. VI, 11 : « Seminibus jactis segetes adolesse virorum ». *Semina* autem hic dicuntur dentes draconis seminati, ut de dentibus serpentis a Cadmo seminatis apud Statium, Theb. lib. IV, 484; ubi legendum e MSS « Qui plures Erebo pluresque e semine Cadmi », non *sanguine*, ut ex lib. X, 658 : « quo non agnoverit ullum Certius armifero Cadmi de semine Mavors » ; ut recte apud Scholiasten legitur, non *sanguine*, ut in vulgatis : nam id paullo post sequitur, v. 663, et sic Theb. XI, 653 : « hunc et Mavortia clamant Semina »; et sic corrige ex codice Petaviano aliisque in Culice Virg. v. 253 : « At discordantes Cadmeo semine fratres », vel *e semine*, ubi in vulgatis etiam *sanguine*, sed quod mox v. 256 ibidem sequitur : « manat quod sanguine dextra » ; vide et Cel. Oudend. ad Lucanum, lib. IV, 549. Denique a schedis Salmas. et cod. Leid. hic firmatur *Ferrea progenies* apud Virgil. Georg. II, 341, ubi in aliis legitur « virumque Terrea progenies duris caput extulit arvis », quod præferunt nonnulli, quia homines inde *terrigenæ* dicti; vide notas ad Silium Ital. XI, 473, et ita etiam Philargyrius, qui exponit *e terra natos*. Sed *Ferrea* probavit jam Servius, qui explicat durum genus hominum, ex lapidibus ad labores creatorum : licet *Terrea* apud Lactantium legatur, sed cujus codicem depravatum fuisse censet Pierius. Neque dubium est, quin respexerit Virg. ad illud Hesiodi in ἔργοις, v. 174, ubi ferream mortalium ætatem describit, Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον. Huic certe loco id convenientius de armata virorum progenie e dentibus draconis prognata.

233. *Auro ingens coluber. Aurum* legitur in ipso Virgilio, lib. VIII, 352. « Servabat in arbore ramos » est ex lib. IV, 485. Seq. versu male in Salm. et Leid. *Nec visus facilis*; etiam *dictu effabilis* perperam in iisdem schedis, et nonnullis codicibus apud Virg. Æn. III, 621 ; nam *affabilis* recte vindicant Heinsius et Burmannus; et sic legitur apud Probam Falcon. Cent. V. T. c. XV, 5; ubi et Aldus ita edidit, loco prorsus simili : « Ecce inimicus atrox immensis orbibus anguis, Septem

Si nulla est regio, miseris quam det tua conjux,
I decus i nostrum; faciat te prole parentem
Egregia interea conjux, melioribus opto
Auspiciis, possem hinc comitem adsportare Creusam;
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis; dabis, improbe, pœnas,
Quod minime reris, rebus jam rite paratis.

JASON.

Desine meque tuis incendere teque querelis;
Nam mihi parta quies, nullum maris æquor arandum;

ingens gyros, septena volumina, versat, Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli ».

240. *Si nulla est regio, miseris quam det tua conjux:* ita emendavi, et in textu ipso edidi; nam adhæret Æn. lib. X, 44: « Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjux »; mendose enim in cod. Salm. et Leid. legebatur « Si nulla est regio miseris quam de te tua conjux ».

243. *Auspiciis, possem hinc comitem adsportare Creusam.* Castigavi et supplevi hunc versum ex Æn. II, 778; nam in Salm. et Leid. vitiose scribebatur « Auspiciis possem hinc ad portare Creusinum ». Sequentia sunt ex Æn. lib. IV, v. 382; ubi *Supplicia ausurum* in schedis nostris MSS pro *hausurum*, forte quia *hausurum* pro *hausturum* videbatur insolens; unde et alii id mutarunt apud Virgilium in *Supplicio hæsurum*. Sed Veteres dixisse *hausi, hausum*, et *hausuram* docuerant viri docti; et vide Faernum ad Ter. p. 80, et ita legitur apud Non. Marcell. in *supplicium* p. 398, ed. Merc. vide etiam Burm. notas, cui tamen *haurire supplicia*, pro luere, videbatur locutio esse sine exemplo. Sed *haurire cladem* et *haurire calamitatem* pro subire, adnotavit ex Cicerone: cui adde ejusdem locum ex orat. pro domo, cap. XI, sub finem: « Si utile reipubl. fuit, haurire me unum pro omnibus illam indignissimam calamitatem ».

247. *Desine meque tuis incendere teque querelis.* Adstipulantur hic schedæ optimis Virgilii codicibus, Æn. lib. IV, 360; ubi in aliis MSS est *incessere*, ut *incendi* et *incessi* variatur in codice lib. XII, 596; sed *incendere* est animum alicujus commovere, *exagitare*, ut Servius exponit, seu *inflammare*, ut apud Cic. pro domo, cap. XI: « Proinde desinant aliquando me iisdem inflammare verbis »; ubi Lambinus *instare*, merito id improbante Broukhusio in exemplaris sui margine, adscripto hoc ipso Virg. loco, et Æn. IV, 54: « His dictis incensum animum inflammavit amore »; et v. 197: « Incenditque animum dictis, atque aggerat iras ». Ita *incendere luctus*, Æn. lib. IX, 500, et *Incendit clamore nemus* apud Statium, Theb. V, 553; ubi in aliis libris *intendet;* vide Barthium. *Querelis* etiam hic in schedis MSS, de quo vide Serv. et

Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent.
Heu! tot incassum fusos patiere labores!
Nec venit in mentem sudans sub vomere taurus,
Jam gravior Pelias, et ahena undantia flammis,
Squammosusque draco, et quæsitæ sanguine dotes.
In regnis hoc·ausa tuis.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem,

Pierinm; et ita in inscriptionihns antiqnis, quas adfert Manut. in Ortbogr. p. 663; quo pertinent notata Bongarsio ad Justin. et Manutio ad Cicer. quæ in nota Burmanni ad hanc Virgilii locum confusione operarum male relata sunt ad variationem τοῦ *incendere* et *incessere*.

249. *Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent.* Corrupte in schedis Salmas. *Nec veneni si fata;* in cod. Leid. *Nec vene nisi*, quod forte inde venit, quia *Nec veni, ni fata* apnd alios Grammaticos adfertur in hoc versu, qui exstat Æn. lib. XI, 112.

250. *Heu! tot incassum fusos*, etc. Prave prodncit *tot* sequente vocali; nam ap. Virg. Æn. VII, 421: «Turne, tot incassum fusos patiere labores»; vide an scripserit *Nempe*, vel *Tune tot incassum*, etc.

251. *Nec venit in mentem fumans sub vomere taurus:* sic correxi schedas MSS, in quibus legebatur «Nec venit in ventem sudans sub vomere taurus». Primum hemistichium est ex Æn. lib. VI, 39; alterum ex Georg. III, 515; ubi tamen in vulgatis legitur *fumans sub vomere taurus*. Sed ex schedis nostris MSS patet poetam hunc in suo Virgilio codice habuisse *sudans*, quamquam nulla istic in aliis codicibus sit varietas.

252. *Jam gravior Pelias et * inundantia flammis:* ita præferunt cod. Salmas. et Leid. mendose, et sine ullo sensu: itaque supplevi et emendavi ex Æn. lib. VI, 218: «et ahena undantia flammis». Per *ahena* hic intellige calida balnea, quibus se Peliam ævo confectum juventnti restituram simulaverat Medea. Prop. El. lib. II, 1, 56: «Seu mihi Circæo pereundum est gramine, sive Colchis Iolciacis nrat ahena focis». Senec. Medea, 66: «Ustus accenso Pelias aheno, Arsit angustas vagus inter undas». Sic in epigramm. inedito de Balneis, alibi producendo: «In flammis dominantnr aquæ, furit ignis ahenis»; nt legendum: nam corrupte illic in cod Salm. et sch. Divionensibus, *furit ignis amœnus*.

254. *In regnis hoc ausa tuis. Causa* in cod. Leid. et a man. pr. in Salm.

255. *Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem.* Hunc et sequentem versum facile emendare licuit ex Virg. Georg. lib. II, 140; unde et addi posset versus: «Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem Invertere, satis immanis dentibus hydri, Nec galea, etc.»; ubi tamen vulgo exstat *Nec galeis*. Vitiose hic in schedis Salmas. «Hæc loca non tauris spirant e naribus ignem»; in cod. Leid. *spirante*, qui male totum hunc versum præcedenti dimidiato hemistichio adnectit: seq. vers. *galea* et *sedes horruit astis* in utroque

Nec galea, densisque virum seges horruit hastis,
Nec vim tela ferunt : mitte hanc de pectore curam.

MEDEA.

Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domos? pelagine erroribus actus,
An fratris miseri letum ut crudele videres?

JASON.

Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,
Quis Deus in fraudem, quæ te dementia cepit
Commaculare manus, fraterna cæde penates?
Aut ego tela dedi, aut vitam committere ventis
Hortati sumus? aut quæ dura potentia nostri?

MEDEA.

Nil nostri miserere, nihil mea carmina curas;
Efficiam posthac ne quemquam voce lacessas:

codice scribebatur : mox correxi *pelagine erroribus actus*, non *actos*, ex Æn. lib. VI, 532.

260. *An fratris miseri letum ut crudele viderem ?* ita in schedis, sed *videres* legitur apud Virg. Æn. XIII, 636, quod et prætuli, ut ad Jasonem referatur : et simile est lib. XI, 53 : « Infelix nati funus crudele videbis ». Innuit autem Medea fratrem suum Absyrthum crudeliter a se dilaceratum ; quod scelus detestatur ipsa versibus elegantibus apud Ovid. Epist. XII, v. 113 et seqq. et Sen. in Med. v. 44 et seqq.

263. *Quæ te dementia cepit Commaculare manus, fraterna cæde penates ?* ita distinguendum. *Te*, quod deerat in schedis MSS, addidi ex Ecl. II, 69, et VI, 48. Seq. versus primum hemistichiom est ex Eclog. VIII, 48 : « Sævus amor docuit gnatorum sanguine matrem Commaculare manus » ; alterum ex Æn. lib. IV, 21 : « et sparsos fraterna cæde penates ».

264. *Aut ego tela dedi.* Sic cod. Salmas. ex Æn. lib. X, 93. Male in Leid. cod. *Ante ego tela dedi*, et vers. seq. *Hortati sumus, quæ*. Reliqua autem hemistichia hic invertit auctor : nam Æn. lib. X, 71, legitur « num linquere castra Hortati sumus, aut vitam committere ventis ? » et paullo post : « Quis Deus in fraudem, quæ dura potentia nostri Egit ? » Recte igitur hic correxi : « Hortati sumus? aut quæ dura potentia nostri ? » ut meliores etiam codices apud Virgil. nam *potentia nostra* in plerisque vulgatis editionibus. Vers. seq. male in schedis, « nil mea carmina curas ».

267. *Efficiam posthac ne quemquam voce lacessas.* Sic edidi ex Ecl. III, 51 : nam in cod. Salmas. « ne quid-

Nec dulces natos Veneris, nec præmia noris.

JASON.

Quid petis * caussas et irrita jurgia jactas?
Jamque vale, melior quoniam pars acta diei est.

MEDEA.

Utere sorte tua, susceptum perfice munus.

JASON.

Nunc iter ad regem nobis; quod te adloquor, hoc est.

MEDEA.

Non fletu ingemuit nostro, aut miseratus amantem est;

quam voce lacessat ». In Leid. « nequidquam voces lacessas ».

269. *Quid petis* * *caussas et irrita jurgia jactas?* ita legitur in schedis MSS versu mutilo et mendoso: cui emaculando voce una aut altera forte succurrendum hoc modo: « Quidve petis caussas, quidve irrita jurgia jactas? » vel ex Æn. VIII, 395, inserendum: « Quid caussas petis ex alto? » et deleta in cæteris voce *irrita*, licet illa addatur lib. X, 95, legendum, *quid jurgia jactas?* nisi cum Cel. Oudendorpio malis: « Quid petis aut caussas, aut irrita jurgia jactas? »

270. *Melior quoniam pars acta diei est. Quorum pars* cod. Leid. *qm* Salmas. Est ex Æn. lib. IX, 156; ubi in plerisque codicibus Heinsio collatis etiam *est* additur, ut hic in schedis MSS, et cod. Franciano, aliisque.

271. *Susceptum perfice munus.* Est ex Æn. lib. VI, 629. *Susceptum munus* etiam dixit initio dedicationis Æneidos: « Si mihi susceptum fuerit decurrere munus ».

272. *Nunc iter ad regem nobis; quod te adloquor, hoc est. Ergo iter ad regem* legitur Æn. lib. VII, 467; reliqua sunt ex lib. VI, 466: « extremum fato quod te adloquor, hoc est ».

273. *Non fletu ingemuit nostro, aut miseratus amantem est.* Ita correxi schedas MSS, in quibus, « Non fleto ingemui nostro aut miseratus amanti ». Eædem favent codicibus illis, qui *Non fletu*, etc. habent apud Virg. Æn. IV, 369; nam in vulgatis edd. aliisque MSS legitur « Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit? Num lacrymas victus dedit, aut miseratus amantem est? » ubi *est* deest nonnullis codicibus: *miseratus amanti* hic in cod. Salmas. et Leid. forte pro *amantis*. Manilius, lib. I, 872: « Seu Deus, instantis fati miseratus, in orbem Signa per affectus, etc. » ubi male in ed. Delphinica distinguitur: « Seu Deus instantis fati, miseratus in orbem, etc. » *Miserari inopum* apud Prudent. Psych. v. 586 in MSS legi testatur Heinsius; et sic *miserari* cum casu secundo in aliis locis, quos adferunt Muncker. ad Hygin. fab. 98; Jac.

Et dubitamus adhuc? lacrymantem et multa volentem
Dicere deseruit, rapidusque in tecta recessit.
Quid labor, aut benefacta juvant? mea tristia fata
Fessa jacent; ubi nunc nobis Deus ille magister?
Et furiis agitatus amor, et conscia virtus?
Nam quid dissimulo? aut quid me ad majora reservo?
Stat casus renovare omnes, et dare lintea retro;

Gronov. ad Minuc. Felic. cap. 8 et 28, et Drakenb. ad Silium, lib. XI, 381; quæ opponenda sunt observationi Servii ad Virg. Æn. I, 601; ubi notat *miseror* et *misereor* idem significare, sed *miseror* accusativum, *misereor*, genitivum regere; ibidemque hoc in loco profert: « nec miseratus amantem est ». — Hoc confirmat epigr. Anthol. Lat. lib. IV, 215: « Fortunam miserare meam »; ubi Burmannus adnotat *miserari* et *misereri* ob similitudinem constructionis aliquando commutari. Ed.

274. *Et dubitamus adhuc? lacrymantem et multa volentem Dicere deseruit, rapidusque in tecta recessit:* ita distinxi. Primum est ex Æn. VI, 807; alterum ex lib. II, 790. Similia habes Æn. lib. IV, 388: « seque ex oculis avertit et aufert; Linquens multa metu cunctantem et multa parantem Dicere »; et lib. VII, 449: « cunctantem et quærentem dicere plura Reppulit »: quæ imitatus est Valer. Flac. lib. VIII, 445: « sic fata parantem Reddere dicta virum furiata mente refugit ». Tertio hemistichio *trepidusque* perperam in cod. Menagiano, lib. XII, 81; eadem varietas apud Claud. in Rufin. I, 343: « frena rapidos, Formido, jugales »; ubi *trepidos* margo Isingrin. Seq. vs. vitiose in schedis « jubant mea tristitia fata ».

277. *Ubi nunc nobis Deus ille magister?* In Virgil. Æn. 391, distinguitur: « ubi nunc nobis Deus ille, magister Nequidquam memoratus Eryx? » Idem hemistichium est apud Probam Falcon. Centon. N. T. cap. XXIX, 2; ubi vitio operarum in edit. Kromayeri excidit *nobis*.

278. *Et conscia virtus:* ita scribendum ex Æn. lib. X, 871. Inepte in schedis MSS *et conscientia virtus*.

279. *Nam quid dissimulo? aut quid me ad majora reservo?* Sic legitur in cod. Salm. et Leid. hic versus, qui exstat Æn. lib. IV, 368; ubi in vulgatis exemplaribus: « aut quæ me ad majora reservo? » Sed ex quatuor codicibus eamdem repetitionem *aut quid me* etiam producit Burmannus, cui id non displicebat; eum vide ad Ovid. ex Ponto, Ep. III, 1, 119, et quæ notavi ad Lotich. El. lib. II, 15, v. 23. Hanc veram loci hujus scripturam arbitror, neque cum Heinsio, quia in cod. Rottendorph. *quod dissimulo*, legendum: « Nam quo dissimulo? aut quo me ad majora reservo? » et probavit alteram lectionem imitatione sua Broukhusius, El. lib. III, 9, init. « Nam quid dissimulo ulterius, lacrymasque reservo? » — Legitur quoque *aut quæ me ad majora reservo*, scilicet ad quæ majora op-

Rursus et est casus abies visura marinos;
Te sine frater erit: quod si mea numina non sunt,
Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.

CHORUS.

Dictis exarsit in iras,
Insani Martis amore,
Pœnorum qualis in arvis,
Venantum septa corona,
Fulva cervice leæna;
Qualis mala gramina pastus
Tractu se colligit anguis,
Tumidum quem bruma tegebat,
Caput altum in prælia tollit,
Linguis micat ore trisulcis:
Furiis agitatus Orestes,

probria, quæ lectio quoque ferri potest. Ed.

281. *Rursus et est casus abies*, etc. Ita correxi; io schedis enim erat, *Rursus et casus*, etc. vel cum Cel. Oudendorpio, *Et rursus casus abies*, etc. Versus est ex Georg. II, 68.

286. *Pœnorum qualis in arvis*, etc. Adhæret Æn. lib. XII, v. 4: « ultro implacabilis ardet, Adtollitque animos. Pœnorum qualis in arvis Sancius ille gravi venantum vulnere pectus Tum deioum movet arma leo ». De comparatiooe hac a leone vel apro saucio vide ad Lotich. El. lib. I, 8, 67; sed pulchre satis variavit bic, inserto de leæna hemistichio, *fulva cervice leæna* ex Georg. IV, 408: *et venantum septa corona* ex Æn. IX, 551: « Ut fera, quæ densa venantum septa corona, Contra tela furit, etc. ».

290. *Qualis mala gramina pastus Tractu se colligit anguis:* sic scribendum ex Georg. lib. II, 154, non *Tractus*, ut in cod. Salmas. et Leid. Comparationem hanc satis eleganter desumpsit ex Æn. lib. II, 471: « Qualis ubi io lucem coluber mala gramina pastus, Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat, etc. Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis ».

294. *Furiis agitatus Orestes*. Firmant schedæ lectionem hanc apud Virg. Æn. lib. III, 331: « et scelerum furiis agitatus Orestes »; ex quo loco variata fuit scriptura Æn. IV, 471: « Aut Agamemnooiis furiis agitatus Orestes »; ubi in aliis codd. et edd. *scenis agitatus*, pro quo male Marklandus et alii legebant *pœnis:* sed illic præferendum est *scœnis*, quia sequitur « Ergo ubi concepit furias evicta dolore »; vide Heum. Pœcil. tom. III, p. 440. Hoc autem

Armatam facibus matrem
Ardens agit æquore toto,
Patris obtruncat ad aras:
Triviis ululata per urbem

loco *Furiis agitatus* non mutandum est. Sic supra v. 278, ex lib. X, 871, « Et furiis agitatus amor », et Æn. IV, 376: « Heu furiis incensa feror! »

298. *Triviis ululata per urbem.* Id recepi in contextum ex Æn. IV, 709, licet in cod. Salm. et Leid. hic legeretur « Furiis ululata per urbem ». *Per urbes* ibidem in ipso Virgilio editur « Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes »; ubi *per umbras* in cod. Leid. sed alterum firmat imitatio Claudiani, Bell. Get. v. 234: « atraque Phœbe Noctibus ærisonas crebris ululata per urbes »; ubi *per herbas* male in secundo biblioth. Leid. codice. Parum vero refert, an hic *per urbes* an *per urbem* legatur; nam et ita Virg. eod. libro, v. 300, ex quo loco sequentia desumpta sunt: « Sævit inops animi, totamque incensa per urbem Bacchatur: qualis commotis excita sacris Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia »; ubi *orgia* adduntur, ut *sacra trieterica*, *nox trieterica*, et similia, apud poetas sæpe; vide Misc. Lips. Nov. P. III, p. 682; sed hic *trieterica* absolute dicitur Thyas vel Mænas. Cæterum Maroniana hæc pro more imitatus est Valer. Flaccus, lib. VIII, 446: « virum furiata mente refugit Vociferans, qualem Ogygias quum tollit in arces Bacchus, et Aoniis inlidit Thyada truncis ». Sic enim pro vulgato *inlidit tympana*, corrigendum ex corrupta lectione Vaticani codicis *tyana* censet Heinsius, tam in notis ad illum locum, quam ad Claud. in Rufin. lib. I, 312; quamquam de conjectura hac, cæteroquin ingeniosa, dubitet Burmannus propter locutionem *inlidere Thyada Aoniis truncis*, seu thyrso; ideoque *inpellit* vel *instigat* conjicit. Pro quo *incendit* forte vestigiis vulgatæ lectionis *inlidit* propius insisteret; *incendit* autem, pro ictu thyrsi in furorem agit, ut in illo Ovidii, Trist. lib. IV, 1, 43: « Sic ubi mota calent sacro mea pectora thyrso ». Virgil. Æn. IV, 376: « Heu furiis incensa feror! » vide supra ad v. 45, et ita passim *incendere* pro incitare, inflammare; vid. Drak. ad Silium, IX, 244, et quæ notavi ad v. 247; ut autem hic *ululata per urbem* Thyas, ita apud Ovid. Trist. IV, 1, 42: « Utque suum Bacchis non sentit saucia luctum, Dum stupet Edonis exululata jugis ». Quo loco ut firmissimo tibicine inniti voluit Cel. Bentleius præclaram emendationem in Horatio, lib. III, Od. 25, 9, ubi pro vulgato, « non secus in jugis Exsomnis stupet Evias », reponit « in jugis Edonis stupet Evias », quam ut eruditam et ingenio illius dignam fatemur conjecturam, ita tamen de ejus veritate adhuc dubitandum existimamus: nam *Exsomnis Evias* est, quæ per totam noctem luxuriaverit, antequam in somnum ceciderit. Et videri merentur de hoc verbo notata N. Heinsio ad Virgil. Æn. VI, 556, ubi hunc ipsum Ho-

Qualis trieterica Baccho,
Inter deserta ferarum,
Palla succincta cruenta,
Vocat agmina sæva sororum :
Qualis philomela sub umbra,
Pectus signata cruentum,
Late loca questibus implet,
Mœrens miserabile carmen,
Cantu solata laborem :
Graviter pro conjuge sævit
Deserti ad Strymonis undam :
Te solo in litore secum,
Anima fugiente vocabat,
Scirent si ignoscere manes.

ratii locum quod proferat, vulgatam viro acutissimo probatam fuisse lectionem colligere licet: id certum est, minus amplectendam esse ejusdem Critici insignis emendationem in fine odæ, ubi habetur : « Nil mortale loquar: dulce periculum est, O Lenæe, sequi Deum Cingentem viridi tempora pampino »; ubi nulla veterum librorum auctoritate subnixus refingit « Te, Lenæe, sequi ducem Cingentem viridi tempora pampino ». Profecto si *ducem* præferrent vulgata exemplaria, multum ejus sagacitati deberemus, si supposuisset *Deum*, ut eo elegantius opponeretur præcedentibus, *Nil mortale loquar;* idque adposito ejusdem Ovidii loco firmantem sequeremur ex Met. lib. XV, 143 : « Et quoniam Deus ora movet; sequar ora moventem Rite Deum ». Sed hæc quidem hactenus, ne exorbitemur. —*Triviis* hoc versu pro *in triviis*, ut apud Ovid. Am. I, 12, 13: « Projectæ triviis jaceatis ». Virg. Ecl. III, 26 : « non tu in triviis, indocte, solebas, etc. » Ed.

301. *Palla succincta cruenta. Pallas* vitiose in Leid. codice : sic infra v. 322. Simile illud Æn. VIII, 701 : « Et scissa gaudens vadit Discordia palla »; et in epigr. antiquo : « Sanguinea palla quæ texit provida Clotho », Seneca in OEdipo, v. 553, de vate Tiresia, Manes invocante : « Vates amictu corpus et frontem quatit ; Lugubris imos palla perfundit pedes »; sic apud Valer. Fl. II, 106 : « Virginibus Stygiis nigramque simillima pallam »; ubi tamen Carrio *palmam* præfert, bene id improbante Barthio ad Stat. Theb. V, 62.

303. *Qualis philomela sub umbra.* Est ex Georg. lib. IV, 514, et seq. et vide Anthol. Lat. Burm. lib. I, ep. 173, v. 48.

307. *Cantu solata laborem*, legitur Georg. lib. I, 293; male *cantus* in cod. Leid. et v. 311; *animas fugiente* in Salm. et Leid. est ex Georg. lib. IV, 526.

NUNTIUS, CREON.

NUNTIUS.

Quo feror? unde abii? pavor* ossaque et artus
Perfundit toto proruptus corpore sudor.
Genua labant*, oculos stupor urget inertes,
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.

CREON.

Quo res summa loco? unde hæc tam clara repente
Tempestas sine more furit? maria omnia cælo

313. *Quo feror? unde abii? pavor* ossaque et artus Perfundit*, etc. Corruptissime hi versus leguntur in cod. Salm. et Leid. hoc modo : «Quo feror, unde habii, pavor ossaque et artus Perfudit cito præruptus corpore sudor Genua labant, oculos stupor urget inertis ». Primo versu forte supplendum : « pavor occupat ossaque, et artus Perfundit, etc. » ut Æn. lib. VII, 446 : « subitos tremor occupat artus », et alibi; vide Anth. Burm. I, carm. 172, v. 113. Deinde castigavi « Perfundit toto proruptus corpore sudor », ex Æn. lib. VII, 459, pro quo male in schedis MSS *Perfudit cito præruptus*, licet *præruptus* etiam in aliis Virgilii cod. sed merito id improbaute Pierio. Forte etiam non male hic suppleri posset : « Quo feror? unde abii? rumpit pavor ossaque, et artus Perfundit, etc. » licet in loco Virgilii exstet : « Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus Perfundit, etc. » ita ut hic auctor *rumpit* ad *ossa* retulerit, quod Virgilius ad *somnum* : pro *rumpit* vero *rupit* est apud Probam Falcon. Cent. V. T. cap. XI, 12; tertio versu forte legendum « Genua labant tarda, atque oculos stupor urget inertes »; nam Æn. lib. V, 432 : « tarda trementi Genua labant »; et altero hemistichio *atque* additur Georg. lib. III, 523 : « solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes ».

318. *Unde hæc tam clara repente Tempestas sine more furit?* Duo diversa Virgilii loca in unum conjunxit centonarius. Primum ex Æn. lib. IX, 19 : « unde hæc tam clara repente Tempestas? medium video discedere cælum »; alterum ex lib. V, 694 : « quum effusis imbribus atra Tempestas sine more furit ». Pro *sine more* in cod. Leid. corrupte *si memore*; in Salmas. *sime more*. Passim vero pro *sine more* in aliis codd. MSS *sine lege* vel *sine fine* legitur; vide Heinsii notas ad Æn. lib. II, 772; vel ut aliter loqui amant, *sine fine modoque*, quæ duo sæpe junguntur; vid. Cel. Drakenb. ad Livium, IV, 54. Ita apud Claudian. in Rufin. I, 140. In Excerptis Vossianis legitur « Otia te sine fine juvant », pro vulgato *Otia te, Rufine, vocant*. Sed hic recte *sine more* tempestas dicitur furere, id est, præter

Miscuit; iugeminant abruptis nubibus ignes.
Fare mihi, atque hæc edissere vera roganti.

NUNTIUS.

Ædibus in mediis quæque ipse miserrima vidi,
Horresco referens; palla succincta cruenta
In medioque focos, nocturnas inchoat aras;
Intenditque locum sertis, et fronde coronat
Funerea, crinem vittis innexa cruentis,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Spargens humida mella, soporiferumque papaver:

morem, sine exemplo; vide Heins. et Drakenb. ad Silium, XII, 444.

319. *Ingeminant abruptis nubibus ignes:* ita scribendum ex Æn. lib. III, 199. In schedis enim *aruptis* vel *a ruptis*, quæ recte tamen tuentur *abruptis*, non ut Giphanius et Lambinus legebant *abrupti nubibus ignes;* vide illic Heinsii et Burm. notas, et sic apud Macrob. Saturn. VI, cap. 1.

320. *Fare mihi, atque hæc edissere vera roganti.* Sic cum hiatu ex cod. Salmas. vestigiis legi potest, in quo « Fare mihi adque hæc cedisse revera roganti »; in Leid. cod. *edissere vera*. Sed quum apud Virg. *Fare age* plerumque conjungantur, ut Æn. lib. III, 362, et lib. VI, 389, corrigi posset relicto itidem hiatu: « Fare age, atque mihi hæc edissere, etc. » vel « Fare age, jamque mihi hæc, etc. » In plerisque codicibus tamen Virgilianis, Æn. lib. II, 149: « mihiqne hæc edissere vera roganti », aut *mihique edissere*, vel *mihi hæc*, neglecta etiam synalœpha. Sed alterum præstat, et a Franciano, atque Amstelædamensi firmatur. In meo codice a manu prima, « mihiqne edissere vera roganti »; sed superscr. ac correctum a sec. manu, *mihique hæc edissere.*

323. *In medioque focos, nocturnas inchoat aras.* Sic legendum, non *foco*. Prima pars versus est ex lib. XII, 118; altera ex lib. VI, 252.

324. *Intenditque locum sertis, et fronde coronat Funerea.* Male in cod. Salmas. et Leid. *Incenditque*, quod Servius ad Æn. lib. IV, 506, ubi hic versus exstat, pro ligare explicat; vel hypallagen statuit, *Intendit serta per locum.* Sed *intendere* illic poni pro tegere et operire, docebunt Burm. notæ.—*Fronde coronat Funerea.* Exponuntur funestæ arbores, nempe verbena, cupressus, taxus, quarum usus in incantationibus. *Ilicem* hic Virg. nominat. Ed.

325. *Crinem vittis innexa cruentis:* ita edidi ex Æn. lib. VI, 281: « Vipereum crinem vittis innexa cruentis »; ubi in cod. Franciano *victis*, pro quo *vinctis* hic in schedis Salm. et cod. Leid. unde Heinsius *vinclis* conjiciebat; sed vera lectio est *vittis:* ita enim et Æn. lib. II, v. 168: « manibusque cruentis Virgineas ausi Divæ contingere vittas ».

Sparserat et latices simulatos fontis Averni,
Sanguineam volvens aciem, manibusque cruentis
Pro molli viola, casiaque, crocoque rubenti,
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Scillamque, elleborosque graves, et sulfura viva,
Obscuris vera involvens, lacrymisque coactis

328. *Sparserat et latices simulatos fontis Averni:* ita edidi ex lib. IV, 512; vitiose in schedis *simolatos fonte Averni*. Sine ulla variatione adfertur etiam hic versus a Donato ad Terentium, Scholiaste Horatii, et Macrob. Sat. III, 1.

330. *Pro molli viola, casioque, crocoque rubenti.* Prima versus pars est ex Ecl. V, 38; sed alterum hemistichium apud Maronem nusquam offendi, licet singulæ voces *casia*, *croco* et *rubenti*, diversis quidem locis, et alia carminis sede, apud eum occurrant. Confer cum his locum Virgilii in Ciri, v. 369 et seqq. expressum ex Ecl. V Daphnidis. — *Crocoque rubenti.* Hæc quoque conjunxit Julianus, ep. V, 1: « Tithoni conjux croceo sublime rubore Infecit cælum lutea sidereum »; ubi tamen alii legunt *roseo*. Sed hæc sæpe permutantur. Servius ad Æn. VII, 26: « Homerus... interdum ῥοδοδάκτυλον, interdum κροκόπεπλον dicit Auroram ». Conf. Ovid. Fast. III, 403. Ed.

331. *Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.* Vulgatam Virgilii lectionem prætuli, Æn. lib. VII, 13; nam in schedis Salm. *nocturno in lumine*, ut Mediceus, et alii Maronis codices habent: *nocturno in limine* erat in codice Leid. sed pro vulgata Arusianum Messium stare notavit Heinsius. Ejus verba sunt ex libro Elocutionum MS: « *In illam rem pro causa illius rei.* Virg. Æn. VII, 13: *Urit odoratam nocturna in lumino cedrum.* Sallust. Hist. Frag. lib. I: *nimiumque partium decus in mercedem corruptum erat.* Idem: *Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat* ». Ita scribe, non *in tumultu*. Sed puto illic emendandum esse, *In illam rem pro usu illius rei*, vel *pro in usum illius rei:* docet enim vim præpositionis *in* cum quarto casu pro in finem, vel usum alicujus rei; quam elegantiam Heinsius ad Claudian. in Rufin. I, 152, et alii abunde illustrarunt. Merebatur certe hic Arusiani locus adscribi, vel propter fragmenta Sallustiana, quæ inter reliquias ex libris Historiarum a viris doctis, etiam ex Messio hoc Arusiano, collectas frustra in ed. Wassiana aut Cortiana quæras.

332. *Scillamque, elleborosque graves.* Sic est in codice Leid. et apud Virg. Georg. III, 451: *elleborumque grabis* in Salm. reliqua, *et sulfura vivo*, præcedunt ibidem v. 451; ut quidem in multis codicibus legitur, cum quibus hic conspirant schedæ MSS; sed auctoritate Servii, Macrobii, et Marii Victorini recte Erythræus in indice Virgiliano, et Heinsius in notis suis vindicarunt illic versum dactylicum: « Et spumas miscent argenti, vivaque sulfura », qui tamen in hujus centonis versu locum habere nequit.

Voce vocans Hecaten, et non memorabile numen
Ferro accincta vocat.
Hæc effata silet: oculis micat acribus ignis:
Exspectans, quæ signa ferant, ignara futuri.

334. *Voce vocans Hecaten, et non memorabile numen Ferro accincta vocat.* Mendosam codicis Salmasiani et Leidensis scripturam, in quibus legebatur, *et non memorabile veni*, bene me correxisse arbitror. Primum hemistichium est ex lib. VI, 247; alterum *memorabile numen* dedi ex lib. IV, 94; ubi in aliis quidem codicibus *nomen* legitur, sed *numen* prætulerunt viri docti: non enim puto respexisse nostrum ad Æn. lib. II, 583: « nullum memorabile nomen Feminea in pœna est». Per *numen non memorabile*, quod invocasse Medeam hic narrat Nuntius, innuit poeta inferni Deum illacrymabilem Plutona, quem nomine non exprimit: colore dissimili, quo vates Tiresias Manes et Plutona invocans apud Senecam in OEdipo, v. 559: « vocat inde Manes; teque qui Manes regis »; et Proserpinæ nomen post Plutona memoratum tacet Anna, soror Didus, apud Silium, lib. VIII, 117: « Nigro forte Jovi, cui tertia regna laborant, Atque atri sociæ thalami nova sacra parabam». Id elegantia sua non caret, quia sæpe Veteres εὐφημισμοῦ caussa numina inauspicata nominare subterfugiebant; unde Erinnyes ἀνώνυμοι θεαὶ dicuntur Euripidi Iphigen. in Tauris, v. 944; ubi vid. Barnes. et hinc Athenienses colebant eas nomine non expresso per θεὰς σεμνὰς, tristes, severas; vide Sophocl. in Ajac. 844, et Electr. v. 111; Meurs. lib. IV Lect. Att. cap. 1, et Spanhem. ad Juliani Cæsar. p. 346; ita in aliis male ominatis: ut apud Homer. Odyss. Ψ, v. 19, κακοΐλιον, οὐκ ὀνομαστήν. Hinc Iliad. A, 340, βασιλῆα ἀπηνέα rectius vertas *non memorandum*, vel *illaudatum* regem, quam *immitem*, ut *illaudatum Busirida* dixit Virgil. Georg. III, 5, id est, « qui omnium pessimus teterrimusque », ut exponit Gellius, lib. II, cap. 6; ita enim cum Broukhusio in ora libri sui corrigendum, non *deterrimusque*; et sic scribendum apud Macrob. Sat. lib. VI, cap. 7; ubi totum illud Gellii caput compilavit. Reliqua *Ferro accincta vocat* sunt ex Æn. lib. II, 614: *accinctam* vitiose in cod. Leid.

336. *Hæc effata silet: oculis micat acribus ignis.* Obsequntus sum vulgatis Virgilii editionibus, Æn. lib. XII, 102; licet in cod. Salmas. et Leid. legeretur « oculis migat atribus ignem »; unde patet, in suo Maronis codice poetam hunc invenisse « oculis micat acribus ignem »; quod forte non penitus negligendum: præsertim quia sequitur *Exspectans*, etc. ut *micare ignem* dictum sit, quomodo *effluere liquorem*, *manare mella*, *rorare favos*, et id genus plura, de quibus vide Heins. ad Claudian. in Rufin. I, 385; Ovid. Met. VI, 312, et ad Prud. contra Symmach. II, v. 9, et quæ notata sunt in Anth. Lat. Burm. lib. I, epigr. 20, pag. 10.

337. *Exspectans, quæ signa ferant, ignara futuri.* In schedis Salmas. « quæ signa ferat aut ignara futuri »; sed *aut* ex ultimis literis vocis *ferant*

Eripiunt subito nubes cælumque diemque,
Et tremefacta solo tellus, micat ignibus æther.
Continuo auditæ voces, vagitus et ingens,
Visus adesse pedum sonitus, et sæva sonare
Verbera, * visæque canes ululare per umbras,
Adventante Dea, refluitque exterritus amnis,
Et pavidæ matres pressere ad pectora natos.
Exhinc Gorgoneis Alecto infecta venenis,
Exsurgitque facem adtollens, atque intonat ore:
« Respice ad hæc: adsum dirarum ab sede sororum,

profluxit; uam in Leid. cod. *ferant aut.* Primum hemistichium est Æn. lib. VI, 198; sed ubi legitur « Observans quæ signa ferant »; alterum *ignara futuri* ex Æn. lib. IV, 508.

338. *Eripiunt subito nubes.* Hæc et sequentia usque ad v. 343, quæ in schedis vel mendose scripta, vel male distincta erant, castigavi ex ipsis Virg. hemistichiis, Æn. I, 88 et 90; VI, 425; II, 732; VI, 557, et VI, 257. Vs. 342 legebatur in cod. Salmas. « Verbera, bisæque canes ululare per umbras »; iu cod. Leid. « Verbera his eque canes ». *Umbram* est apud Virg. Forte non male scripsisset: « tum sæva sonare Verberaque, visæque canes, etc. » ut ejusdem formæ sit, ac *Liminaque laurusque Dei* Æn. lib. III, 91; qualia diligenter notavit Erythræus, Ind. Virgil. in *Que*, vel cum Cel. Oudendorpio legendum, *tum visæque*. Sequenti versu addidi copulam « refluitque exterritus amnis », ex Æn. lib. VIII, 240; in schedis enim erat: « refluit exterritus amnis ».

344. *Et pavidæ matres pressere ad pectora natos.* Male in Salm. et Leid. cod. *presserat pectora*, pro *pavidæ matres* hoc in versu apud Virg. Æn. VII, 518. In vulgatis legitur *trepidæ*: itaque ex suo codice hic poeta diversam lectionem nobis suppeditat; ut Æn. lib. II, 489: « Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant »; et 766: « pueri et pavidæ longo ordine matres Stant circum », et lib. VIII, 592: « Stant pavidæ in muris matres ».

345. *Exhinc Gorgoneis Alecto infecta venenis.* Corruptissime exhibebant hunc versum schedæ Salmasianæ: « Ex hinc Gorgonalis lecto infecta veneuis »; et ita iu cod. Leid. sed a manu sec. correctum erat *Gorgoneis Alecto*. Exstat Æn. lib. VII, 341, ubi *Exin* editur pro *Exhinc*, quod hic in schedis, et in aliis Virgilii codicibus est.

346. *Exsurgitque facem adtollens, atque intonat ore:* ita in schedis MSS, non *increpat*, ut perperam in aliis codd. Æn. lib. VI, 607.

347. *Respice ad hæc: adsum dirarum ab sede sororum, Bella manu letumque gero.* Ita hæc leguntur, Æn. lib. VII, 454 et 455; in schedis Salmas. « dorarum abscede sororum Bella mano, etc. »; in Leid. cod. *ab sede*, recte non *a sede*, ut in secundo Hamburg. et Veneto

Bella manu letumque gero».
Talia cernentem tandem sic orsa vicissim:
«Venisti tandem, mecum partire laborem,
Tu Dea, tu præsens animis inlabere nostris.
Dissice compositam pacem, sere crimina belli,
(Namque potes) colui vestros si semper honores».
Talibus Alecto dictis exarsit in iram,

Heinsii, et Gudiano a man. pr. sic eod. libro, v. 324: «dirarum ab sede sororum, Infernisque ciet tenebris»; ubi *dirarum ab sede dearum* pro *sororum* male apud Charisium, lib. I, legi notavit Heinsius; altero versu *letumque gero*, non *fero*, etiam adfert Nonius, pag. 316, ed. Merc. vide notas ad Æn. librum VII, vs. 444.

349. *Talia cernentem tandem*, etc. Non reperi hæc apud Virgil. sed *Talia jactantem, Talia dicentem*, non semel in eo occurrunt. An igitur legendum *Talia cernenti*, ut verba hæc transposuerit ex ultima sede versus in primam ex Æn. lib. IV, 408, ubi *cernenti talia* legitur, vel *Talia jactanti* ex lib. I, v. 106? Altero hemistichio edidi *sic orsa vicissim* ex lib. VII, 435; nam vitiose in schedis MSS *sic ora vicissem*.

350. *Venisti tandem, mecum partire laborem*. Primum est ex libro VI, 687; alterum ex lib. XI, 510; ubi codex Mediceus inserit «at mecum partire laborem». Sequens versus desumptus est partim ex lib. IX, 404, partim ex lib. III, 89.

352. *Dissice compositam pacem, sere crimina belli*. Totus hic versus exstat Virg. Æn. VII, 339, ubi etiam *Dissice* in MSS, ut hic in schedis, et passim in codicibus vetustis, pro *Disjice*; vid. supra ad v. 71, et N. Heins. ad Prudent. Cathem. Hymn. I, v. 97. *Serere crimina belli*, est caussas belli prætexere, fingere; unde hoc versu Servius lucem dat alteri Maronis loco, lib. VII, 551: «spargam arma per agros». Sic *serere crimina* e MSS idem Heinsius restituit Prudentio Hamartig. v. 579. Apud Livium, lib. XXI, cap. 5: «jam belli caussa certamina cum finitimis serebantur»; ut recte, non *ferebantur*, vindicat Cel. Drakenb. ad Stat. Theb. VI, 939: ita *bella serere, prælia serere*, etc. quam locutionem eleganter illustravit Zinzerl. Promuls. Crit. c. XX.

353. *Namque potes*. Habetur apud Virg. sed alia versus sede, VII, 366: «Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram Injice, namque potes». Diverso non nihil modo ejusd. l. v. 117: «gnatique patrisque Alma, precor, miserere, potes namque omnia»; et lib. X, 632: «et in melius tua, qui potes, orsa reflectas». De elegantia hujus formulæ in precibus, ut εἰ δύνασαί γε apud Homer. Il. A, 393, vide Heins. lib. II Advers. cap. 3, et notas ad Lotich. El. lib. II, 9, 83. Alterum hujus versus hemistichium debetur libro XII Æn. 778.

354. *Talibus Alecto dictis exarsit in iram*. *In iras* legitur in ipso Virgilio, XII, 445, et supra v. 284.

Horrendum stridens, pavidoque hæc addidit ore:
«O germana mihi, mitte hanc de pectore curam.
Nunc si * bella paras, et luctu miscere hymenæos,

355. *Pavidoque hæc addidit ore.* Ita quidem in sched. Salm. et cod. Leid. sed legendum *rabidoque* ex Virg. VII, 451; ubi recte id Heins. restituit pro *rapidoque:* illic enim Alecto etiam loquitur. Et sic ibidem in Amstelædamensi, meoque codice, inveni. Furiæ namque *rabidum os* melius convenit, quam *pavidum.* Sic eadem Alecto apud Claudian. in Rufin. I, 44: «tum corde sub imo Inclusam rabidis patefecit vocibus iram»; ubi *rapidis* etiam est in aliis, ut hæc ubique confunduntur; vide Burm. notas ad IV Cons. Hon. 148; et ita semper scribendum, ubi de Furiis, Scylla ac canibus, vel hominibus vesanis sermo est. De furenti Sibylla, Æn. lib. VI, 102: «Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt». Valer. Flac. IV, 239: «Sic adeo insequitur, rabidoque ita murmure terret»; ubi *rapidoque* etiam male in ed. Carrionis. Ita de vate Tiresia Manes invocante Seneca in OEdipo, 561: «Carmenque magicum volvit, et rabido minax Decantat ore, quidquid aut placat leves Aut cogit umbras»; et sic alibi passim.

357. *Nunc si * bella paras, et luctu miscere hymenæos.* Hæc in schedis MSS vitiose legebantur: in codice Salmas. «Nunc si bella reparas et luctu miscere hymenæus»; in Leidensi vero: «Nunc si bella paras et luctu miscere hymenæus». Ut versus pedibus suis constet, legendum est: «Si bellare paras, luctu miscere hymenæos». Vel agnoscere hic iterum debemus versum justo longiorem, ut supra plures habuimus; vel si Virgilianis hemistichiis propius insistere velimus, addito uno versu suppleri posset hoc modo: «Et si nunc bellare paras, atque hæc tibi mens est; Deformare domum, et luctu miscere hymenæos, Funereasque inferre faces, et ciogere flamma; Quidquid in arte mea possum, etc.» ut primus et quartus sit ex lib. VIII, 400, 401; secundus vero ex lib. XII, v. 805; tertius partim ex lib. VII, 337, partim ex lib. I, 673. *Luctu miscere hymenæos* habent omnes Virgilii codices scripti et editi: infra tamen in hac ipsa Medea, v. 442, legitur in schedis MSS *luetum miscere imeneus;* unde forte conjici posset pro diversa lectione in aliis Virgilii codicibus scriptum fuisse, *luctum miscere hymenæis.* Sic *tristia miscere lætis* apud Ovid. Fast. VI, 463; *miscere adversa secundis* Lucano, lib. V, 2, et *læta malis miscere* lib. VIII, 705. Quamquam de locutione *dolorem miscere hosti* dubitent viri eruditi ad Phædr. fab. lib. I, 28, 10, *miscere* tamen cum casu sexto, ut in vulgata lectione est, ap. Ovid. Epist. VI, 76; Met. IV, 14; Virg. Georg. II, 327, et Nemesian. Cyn. 206; vide notas ad Ovid. Fast. VI, 170, et clar. Oudend. ad Hirt. Bell. Alex. cap. 56, *mixtam dolore voluptatem*, qui etiam legebat in Apuleio init. lib. I de Dogm. Plat. «Apollinis figuratio perictione se miscuisset», non *perictioni*, ut in edd. Elm. Scriv. Gr. περικτιόνη.

359. *Meminisse necesse est, Quan-*

Funereasque inferre faces, et cingere flamma :
Quidquid in arte mea possum, meminisse necesse est,
Quantum ignes animæque valent, absiste precando. »
Dixerat, adtollens stridentes anguibus alas,
Ardentes dare visa faces, supera ardua linquens.
Illa dolos aperit flammisque sequacibus iras

tum ignes animæque valent, absiste precando, ex lib. VI, 514, et lib. VIII, 403.

361. *Dixerat, adtollens stridentes anguibus alas :* ita est in schedis Salmas. *adtolles* Leid. sed *adtollit* apud Virgil. lib. VII, 561. Versu sequenti correxi, *Ardentes visa dare faces*, ut est in ipso Virg. Æn. V, 637, tum *supera ardua linquens* ex lib. VII, 562 ; nam male in schedia MSS legebatur « Ardentis Dea visa faces super ardua linquens »; ita enim apud Virgilium : « Illa autem adtollit stridentes anguibus alas, Cocytique petit sedem, supera ardua linquens ».

363. *Illa dolos aperit*, etc. Hæc et sequentia corruptissime in schedis circumferebantur, quæ accuratiori medicina indigent. *Illa dolos aperit* legitur in cod. Leid. *Illa dolosa perit* in Salmas. *Illa dolos* quidem occurrit Æn. lib. IV, 563 : « Illa dolos dirumque nefas in pectore versat »; ubi *dolos aperit* non junguntur, neque usquam in Virgilio, quantum sciam. Reliqua hunc in modum exhibebant schedæ : « flammisque sequaeibus ires Jungebat et dublice gemmis auroque coronam Consertam squammis serpentum flamaque volantem Implicat, etc. » in quibus nullum agnoscas sensum. Cogitabam igitur hæc ita castiganda et distinguenda esse : « Illa dolos operi flammisque sequacibus iras Jungebat, duplicem gemmis auroque coronam Consertam sqammis serpentum: flamma volantem Implicat, involvitque domum caligine cæca, Prospectum eripiens oculis, mihi frigidus ». Singula videamus. *Operi* pro *aperit* dedi ex lib. VIII, 432 : « sonitumque metumque Miscebant operi, flammisque sequacibus iras »; unde *Miscebat* hic quoque substitui posset, quia *jungebat* semel tantum apud Virgilium occurrit, sed in media, non prima versus sede, ut hic loci, lib. VIII, 485; mox castigavi « duplicem gemmis auroque coronam » ex lib. I, 655, per adpositionem. Sequenti versu apud Maronem, lib. VIII, 436, legitur « Certatim squammis serpentum »; illud enim *Consertam* ex medio versu lib. Æn. III, 467, et lib. V, 259, poeta hic transtulit in initium. Sed reliqua *flammaque volantem* variis conjecturis mihi locum dederunt. Tentaveram «coronam Consertam squammis serpentum, alasque volantum Implicat». Ita infra v. 432: «paribusque revinxit Serpentum spiris, ventosasque addidit alas ». Sic *vitæ volantum* pro avium lib. VI, 728, et lib. XI, 722 : « Consequitur pennis sublimem in nube volantem »; ut profert Scholiastes Horatii pro *columbam;* et sic lib. VI, 239, et alibi. Conjeceram quoque cum hiatu, *ala volantem Implicat*, ut Alecto Medeæ oculis se eripuisse

Jungebat, duplicem gemmis auroque coronam
Consertam squammis serpentum: flamma volantem
Implicat, involvitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis: mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Aut videt, aut vidisse putat, metuensque pericli

dicatur, ut in illis Virgilii supra prolatis: « adtollit stridentes anguibus alas, Cocytiqne petit sedem, supera ardua linquens »; et sequentia indicent, caligine Tartarea locum, quem reliquerat Alecto, involutum fuisse; quum cæteri Dii suavi odore ae splendida luce loca, ad quæ dilapsi fuerant, implere dicantur poetis. Sed tandem commodior, et a schedarum scriptura minimum recedere visa fuit lectio, *flamma volantem Implicat*, ut singula verba e diversis Virgilii locis deducta jungantur; nam frustra totum hoc hemistichium in eo indagabitur. Sensus autem sit, flammam corripuisse Creusam statim, quum fatale donum coronæ a Medea accepisset, quod ipsa ei minatur apud Ovid. Epist. XII, 180: « Flebit, et ardores sentiet usta meos », ut in codd. MSS, pro *vincet adusta*. Medea apud Senec. v. 817: « tu nunc vestes Tinge Creusæ, quas quum primum Sumpserit, imas urat serpens Flamma medullas: ignis fulvo Clusus in auro latet obscurus ». Tune *volantem* posuit forte hic auctor, pro fugere tentantem; ut translatum sit ex Æn. lib. V, 219 de nave fugiente: « sic ipsa fuga secat ultima Pristis Æquora, sic illam fert Impetus ipse volantem »; et sic infra v. 430, nuntius Jasoni refert de Creusa, Medeæ ignem sentiente: « Illa ut per populos aditumque per avia quærit, Arte nova speculata locum »; nisi *vocantem* malis, id est, clamore opem implorantem, ut ib. v. 221: « vocantem Auxilia et fractis discentem currere remis »; et v. 860: « socios nequidquam sæpe vocantem », et alibi. Clar. Oudendorpius tentabat: « flamma volantemque Implicat », vel *volatuque*, vel *volansque*; cætera « involvitque domum caligine cæca, Prospectum eripiens oculis » sunt ex lib. VIII, 253, et quæ iis adduntur: « mihi frigidus horror Membra quatit », et seqq. vitiis scripturæ emendatis, edidi ex Æn. lib. III, 30.

369. *Improvisum aspris veluti*, etc. ex Æn. II, 379. — Sed contra legem centonum versus integros adponere, quod vitium sæpe incurrit Noster. En.—De ominoso serpentis occursu vide quæ notarint Lambin. ad Horat. Od. III, 27, 5, et Muret. Var. Lect. lib. IX, 4; ubi quæ in fine subjungit, Lambinum tangunt.

370. *Metuensque pericli*. Schedæ non agnoscunt *est*, quod additur lib. V Æn. 716. Prima hujus versus pars est e lib. VI, 454. Versu seq. *effari* recte in iisdem schedis, non *affari*, ut in nonnullis codicibus, est Æn. lib. IV, vs. 76; vide Anth. Burm. lib. I, ep. 170, v. 76.

Incipit effari, nec vox aut verba sequuntur.
« Idque audire sat est, quo me decet usque teneri :
Vadite, et hæc regi memores mandata referte ».

NUTRIX, MEDEA.

NUTRIX.

Hoc habet : hæc melior magnis data victima Divis.
Talia conjugia et tales celebrent hymenæos.

MEDEA.

Tu secreta piram natorum maxima nutrix

372. *Quo me decet usque teneri :* ita scribendum ; vid. ad bujus Medeæ v. 89.

373. *Vadite, et hæc regi memores mandata referte.* Male in cod. Salm. et *hæc regina memores* ; in Leidens. *reginæ*. Versus est e lib. XI Æn. 176 ; ubi alio verborum ordine *et hæc memores regi*, ut illic quoque in cod. Leid.

374. *Hoc habet : hæc melior magnis data victima Divis.* Confirmant schedæ receptam lectionem Æn. lib. XII, 396, ubi in codice Oudartii *magnis datur hostia Divis*, et *Hoc habe* Catrœum edidisse notavit Burm. neque aliter bunc versum adfert Nonius Marcell. p. 317, ubi *Hoc habet* exponit *Hoc satis est ;* et sic fere Servius, *id est, letali vulnere percussus est : apud Antiquos enim iderat, hoc habet, hoc erat : quod nunc peractum est ;* et sic legitur apud Donat. ad Terent. Andr. I, 1, 56 ; ubi etiam interpretatur de eo, qui letaliter vulneratus est ; quod bic Creusæ apprime convenit. Et est hæc formula translata ab agonibus gladiatoriis ; vide Barth. Adv. XLI, c. 16, ubi verba Donati ex codice vetusto adfert nonnihil ab editis diversa. Plura dabunt Broukh. ad Tibnll. I, 5, 2 ; Græv. ad Flor. III, 10, in fine, et Burmanni notæ ad Quintiliani Decl. VIII, 16, ubi et de formula *peractum est*, qua alteram explicat Servius. Seneca Agam. 901 : « Habet : peractum est : pendet exigua male Caput amputatum parte » ; et Herc. OEt. 1472 : « Habet : peractum est : fata se nostra explicant ». Medea v. 1019 : « Bene est, peractnm est : plura non hahui, dolor ». Hæc tamen in re læta etiam adhibetur, et cum *bene habet* conjungitur ; de quo vide ad Lotich. El. lib. IV, 4, 201.

375. *Talia conjugia et tales celebrent hymenæos. Connubia* in vulgatis Virgilii editionibus est, Æn. lib. VII, 555 ; licet *conjugia* in Pierii, Heinsii, et aliis MSS, qnibus hic consentiunt schedæ.

376. *Tu secreta piram, natorum maxima nutrix, Erige,* tuque ipsa pia tege tempora vitta, Verbenasque adole pingues, nigrumque bitumen.* Hæc e Virgilio emendavi, quæ mendose

Erige, * tuque ipsa pia tege tempora vitta,
Verbenasque adole pingues, nigrumque bitumen:
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere est animus, finemque imponere curis.

NUTRIX.

Discessere omnes medii, spatiumque dedere.

in schedis ita scribebantur: « Tu secretam piram natorum maxima nutrix Erige tuque pia tegit tempora vilta, Verbenas adola pinguis, nicrumque vitumen ». *Tu secretam piram Erige* sunt ex lib. IV, 494; dein, *natorum regia nutrix*, legitur lib. V, 645; sed *maxima* petitum est e versu ibidem præcedente, *quæ maxima natu*. Sequenti versu hiat metrum deficiente uno pede: nam lib. IV, 637: « Sic veniat. Tuque ipsa pia tege tempora vitta ». Clar. Oudendorpius putabat inserendum *jam*, vel cum repetitione *tu*, *tuque ipsa*. Tertius versus conflatus est ex Ecl. VIII, v. 65, et Georg. III, 451.

379. *Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi, Perficere est animus, finemque imponere curis*. Hæc in cod. Salmas. etiam vitiosissime erant descripta; in Leidensi vero emendatiora legebantur. Eleganter Medea nutrici hic magica sacra instruere præcipit, iis verbis, quibus Barcen nutricem adloquitur Dido apud Virg. Æn. IV, 638: quem locum egregium conferre decet cum iis, quibus utitur Anna Didus soror apud Silium Ital. VIII, 116: « Nigro forte Jovi, cui tertia regna laborant, Atque atri sociæ thalami nova sacra parabam, Quis ægram mentem et trepidantia corda levaret Infelix germana tori, et seqq. » Sed præ cæteris conferenda sunt cum his, quæ de Medea, sacra Stygialia peragente, leguntur apud Senec. toto actu Medeæ quarto. Locus autem ille e Ciri, sive Virgil. ipse cultissimi poematis auctor sit, sive alius divinum artificem imitatus, ex ejus Ecloga octava Daphnidis, et illis Didonis Æn. lib. IV, adumbratus est. In quo argumento sacrorum ejusmodi magicorum quam feliciter veteres ac recentiores poetæ ingenia sua exercuerint, patebit ex notatis ad omnium optimam Lotichii Eclogam quintam, v. 38. — *Sacra Jovi Stygio*. *Sacra* cum dativo et cum genitivo construitur. Ita Vertumni sacrum rus, pro Vertumno apud Propert. IV, 2, 12: « Seu quia vertentis fructum præcepimus anni Vertumni rus se credidit esse sacrum », ut corrigit Heinsius, Adv. I, cap. 2. Ovid. Fast. IV, 286: « Et Veneri sacra Cythera petit »; ubi *Veneris* in multis codicibus. ED.

381. *Discessere omnes medii, spatiumque dedere*, est ex libro XII, v. 696; ubi *mediis* in cod. Dorvilliano legi notavit Burm. sive litera *s* adhæserit ex sequenti voce *spatiumque*, sive dictum sit pro e mediis, sive e turba, ut *in mediis*, et similia. Gr. ἐν μέσσοισι· vid. Heins. ad Claudian. in Rufin. I, v. 41, et notas ad Valer. Fl. II, 174. Sed *me-*

MEDEA, FILII UMBRA ABSYRTHI.

MEDEA.

Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris!
Huc ades, o formose puer, qui spiritus illi!
Sic oculos? sic ille manus? sic ora ferebat?
Perfidus et cuperem ipse parens spectator adesset.

dii recte se babet; ipsi enim bomines *medii* simpliciter dicuntur, pro medii inter alios e turba; vide notata Burmanno ad Æn. lib. II, 508.

382. *Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris!* ita in cod. Leid. mendose in schedis Salmas. *et fatis contrariis nostris*. Desideratur bic *fatis contraria nostris Fata*, ut additur apud Virg. Æn. VII, 293: « Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris Fata Phrygum! »

383. *Sic oculos? sic ille manus? sic ora ferebat?* Pulchre Medeæ Absyrthum fratrem adloquenti poeta bic dedit illa Andromaches apud Virg. Æn. III, 490: « O mibi sola mei super Astyanactis imago, Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat ». Hoc autem loco Medeam, umbram fratris intuentem in contrarium sensum bæc vertere arbitror, et indicare, Absyrthi manes longe a pristino habitu differre, ac cruenta fati sui vestigia servare: ideo interrogationis signa addenda judicavi, ut bac distinctione vim verborum erigerem, quia id poeticum magis videbatur, quam ut formosi olim Absyrtbi pulchritudinem efferret, quam præcedenti versu jam indicarat; sed hic propius ad umbram respiciens ingemiscat, quantum sua crudelitate mutatus ab illo esset: ut Andromacbe Hectoris imagine in somnis visa, præclaris apud Maronem versibus, Æn. lib. II, 274. Et sic defunctorum imagines eo habitu cultuque, qui vivis postremus fuerat, adesse sibi fingebant Veteres: quo refer illud Propertii, lib. IV, 7, 7, de Cyntbia post mortem in somnis visa: « Eosdem babuit secum, quibus est elata, capillos, Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit ». Sed præcipue umbras crudeli fato peremptorum, qualis hæc Absyrthi, deformes et sanguinolentas sibi adstare persuadebant, quod ex poeticæ eruditionis thesauris optime illustravit Bronkhus. ad Tibull. El. II, 7, 21: cæterum præferunt hic schedæ lectionem meliorum codicum in Virgilio *sic ora ferebat*, non *gerebat*, ut apud Nonium Marcell. legitur; quam locutionem Heinsio damnatam, Veteribus tamen adhibitam e Petr. Burm. notis illic videre licet.

385. *Perfidus et cuperem ipse parens spectator adesset:* sic schedæ Salmas. *adesse* in cod. Leid. Prima vox hujus versus est ex lib. VII, 362; reliqua ex lib. X, 443: « cuperem ipse parens spectator adesset ». Simili voto, quo hic de Æeta patre, etiam de Jasone utitur Medea, antequam filios trucidaret,

FILII UMBRA ABSYRTHI.

Parce pias scelerare manus, aut qui tibi nostri
Pulsus amor, si juris materni cura remordit,
Natis parce tuis, aut nos rape in omnia tecum;
Quo res cumque cadunt, unum et commune periclum:
Adspice nos, adsum dirarum ab sede sororum.
Infelix simulacrum * labi a corpore tanto.

apud Senecam, *v.* 993: « voluptas magna me invitam subit: Et ecce crescit: deerat hoc unum mihi, Spectator ipse: nil adhuc factum reor ». Et hunc Virgilii locum imitatur Ovidius Epistola Canaces, XI, vs. 7: « Ipse necis cuperem nostræ spectator adesset, Auctorisve oculis exigeretur opus »; ubi *adesses* præferrem ex quinque codd. Heinsii, ut ad Macareum referatur.

386. *Parce pias scelerare manus:* sic recte cod. Leid. ex Æn. lib. III, 42: male *celerare* in Salm. reliqua *aut qui tibi nostri Pulsus amor* frustra in Marone quæsivi. *Noster amor* Æn. lib. IV, 307: « Nec te noster amor, nec te data dextera quondam, etc. » et alibi facile invenire est: neque *Pulsus amor* initio versus in Virgilio exstat; sed confudit auctor ex lib. XI, 539, ubi occurrunt ista: « Venit amor subitaque animum dulcedine movit, Pulsus ob invidiam, etc. » unde oculi ictu inter legendum aberrante junxit Noster *Pulsus amor:* mallem hic scripsisset: « aut si tibi nostri Cessit amor »; nam lib. VII, 636, init. legitur *Cessit amor*. Sic lib. II, 595: « Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit ». Sequenti versu corrigendum est, ut metro consulatur: « Cessit amor, juris materni aut cura remordet ». Sed quia toties jam supra habuimus versus pedibus nonnullis abundantes, retineamus ita ut apud Virg. ipsum, lib. VII, 402, et in schedis MSS legitur « si juris materni cura remordet », quamquam *remordit* in cod. Salmas. et Leid. vel cum cel. Oudend. legamus: « aut si tibi nostri Pulsus amor (juris materni cura remordet) Natis parce tuis ».

388. *Natis parce tuis, aut nos rape in omnia tecum. Et nos* legitur in Virg. Æn. II, 675, ubi in aliis codd. *trahe* vel *cape*. Primum est ex lib. X, 532.

389. *Quo res cumque cadunt, unum et commune periclum*. Totus hic versus exstat Æn. lib. II, 709, ubi *cadent* in plerisque codd. *cadunt* in solo Walliano: *cadant* in nonnullis Pierii.

390. *Adsum dirarum ab sede sororum;* vid. ad vs. 347.

391. *Infelix simulacrum * labi a corpore tanto:* sic præfert cod. Leid. et mendosius in schedis Salmasianis *labia corpore tanto;* quæ quum corruptissima sint, asteriscum iis adposui. *Labi* semel tantum, etiam in media versus sede, invenias in Virg. Æneid. I, 365: « Præcipites cœlo labi, etc. » deinde *corpore tanto* semel quoque inda-

MEDEA.

Quid dubitem? audendum dextra: nunc ipsa vocat res.
Auctor ego audendi, fœcundum concute pectus.

gare licuit lib. XII, 835, at non *a corpore tanto*. Sed quid, quæso, significabit Absyrthi « Infelix simulacrum labi a corpore tanto? » Novi illud de imagine Creusæ, Æneæ adparenti, lib. II, 772: « Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusæ Visa mihi ante oculos, et nota major imago »; unde prima pars hujus loci desumpta. Reliquis vero enodandis Œdipo certe conjectore opus est. Mihi hic requiri videtur hemistichium Virgilianum, quod mendosæ scripturæ vestigia premat, et paucis verbis umbram Absyrthi crudeliter discerpti deformem describat, ita ut modo vidimus ad vs. 383. Itaque non dubito poetam centonarium pro more suo hic denuo nobis dedisse versum uno pede superfluum, ut innumeros supra notavimus, et scripsisse *laniatum corpore toto*: quod simulacro Absyrthi a Medea dilacerati optime convenit, et desumptum est ex Æn. lib. VI, 494, de Deiphobi umbra instar Absyrthi deformata: « Atque hic Priamiden laniatum corpore toto Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora, Ora manusque ambas, populataque tempora raptis Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares ». Sic de Troilo et Deiphobo Cassandra apud Senec. in Agam. 746: « Sed lacera membra (video) et saucios vinclo gravi Illos lacertos: te sequor, nimium cito Congresse Achilli Troile, incertos geris Deiphobe vultus ». Pariter Pelias umbram Phryxi laceram in somnis adspiciens apud Val. Flacc. lib. I, 49: « ipsum juvenem tam sæva gementem, Ipsum ego, quum serus fessos sopor adligat artus, Adspicio: meque adsiduis lacera illius umbra Questibus, et magni numen maris excitat Helle »; ubi vide notas.

392. *Quid dubitem? audendum dextra: nunc ipsa vocat res:* ita legendum censui, idque in textum recepi; nam in cod. Salm. et Leid. male legebatur: « Quid dubitas audendum dextra »: unde prius conjeceram: « Quid dubitas, dextra? audendum: nunc ipsa vocat res », sensu quidem commodo; ut in illo Catonis, propriam necem meditantis, in epigrammate antiquo apud Pithœum, lib. II, p. 50, ed. Paris. « Dextera, quid dubitas? durum est jugulare Catonem. Sed modo liber erit: jam, puto, non dubitas ». Sed alterum prætuli, quia *Quid dubitas* in Virgilio non offendi. *Quid dubitem* est ex lib. IX, 191: « Quid dubitem, et quæ nunc animo sententia surgat ». *Audendum dextra* et seqq. sunt ex ejusdem libri, v. 320: « Euryale, audendum dextra. Nunc ipsa vocat res ». Æstum hunc dubitantiæ Medeæ egregie depinxit Seneca toto actu quinto Medeæ; sed præcipue vs. 937: « Quid, anime, titubas? ora quid lacrymæ rigant? Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor Diducit? anceps æstus incertam rapit, etc. » *Audendum est dextra* in nonnullis Virgilii codicibus; sed non opus est: neque

Si concessa peto, si pœnas ore reposco,
Nullum in cæde nefas, et amor non talia curat.

FILII UMBRA ABSYRTHI.

Hostis amare, quid increpitas mea tristia fata?

MEDEA.

Suggere tela mihi, finemque impone labori:
Sanguine quærendi reditus!

FILII UMBRA ABSYRTHI.

Nec te noster amor, pietas nec mitigat ulla,
Nec venit in mentem natorum sanguine matrem
Commaculare manus, nostri tibi cura recessit,
Et matri præruptus amor.

MEDEA.

Crimen amor vestrum, spretæque injuria formæ

habet Macrob. Saturn. V, cap. 9, ubi hunc locum adfert: est autem formula elegans illius, qui sibi ad rem illicitam vel temerariam patrandam instat, et animo stimulos addit. Adposite Tarquinius, Lucretiæ vim inferre cogitans, apud Ovid. Fast. II, 781: «Exitus in dubio est, audebimus ultima, dixit. Viderit: audentes Forsne Deusne juvet. Cepimus audendo Gabios quoque». Juvenalis, Sat. I, 73: «Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum, Si vis esse aliquid». Ita *concitare ad audendum aliquid* apud Sueton. Cæs. 8. Justin. lib. V, 9, 6: «audendum aliquid pro patria ratus». Eamdem Græcis notionem esse verbi τολμᾶν docet Scholiast. Thucyd. lib. III, cap. 56, et Victor. Var. Lect. lib. XXXI, 9. In fine versus mendose etiam in cod. Leidens. scribebatur *nunc ipsa voca tres*. Simile fere illud lib. V Æn. 638: *jam tempus agi res*, non *agit rem*, ut adfert Statii Scholiast. et probat Pierius; vide Heins. ad Claudian. Rapt. Pros. I, 219.

394. *Si concessa peto, si pœnas ore reposco*, ex lib. V, 798, et lib. VI, 530. Corruptissime in schedis Salm. erat, *Si concessa peto pœna soro reposco;* in codice Leidensi *Si concesso peto si pœnas oro reposco*. Sequenti versu inserui copulam, quæ in schedis omittebatur, *et amor non talia curat*, est ex Ecl. X, 28. Primum hemistichium est ex Æn. lib. X, 901, ubi et præcedit illud e sequenti versu *Hostis amare, quid increpitas?* Ibidem *tristitia fato* hic iterum vitiose in cod. Leid. ut supra vs. 276.

402. *Et matri præruptus amor.* Adstipulantur hic schedæ codicibus antiquis, in quibus sic legitur apud Virg. Æn. IV, 516, ubi idem quoque in codice Papenbroukiano, cujus apud me excerpta habentur. Sed *præreptus* in Franciano MS inveuit

His mersere malis; fratrem ne desere frater.
Pœnarum exhaustum satis est, via facta per hostes,
Et genus invisum dextra sub Tartara misi.
Jamjam nulla mora est currus agitare volantes.

JASON, NUNTIUS, MEDEA EX ALTO.

JASON.

Hei mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quæcumque est fortuna, mea est; quid denique restat?
Dic age, namque mihi fallax haud ante repertus.

NUNTIUS.

En perfecta tibi promissa conjugis arte
Munera, at ingentem luctum ne quære tuorum.
Sed si tantus amor menti, si tanta cupido est;

Broukhusius, et ego in Amstelædamensi, meoque codice: et sic exstat apud Scholiastem ineditum Juvenalis Vossianum, sed longe ampliorem Pithœano, ad Sat. VI, 613; cujus illic post alia, quæ præcedunt, verba sunt: «ferunt Physici in fronte equini pulli mox nati haberi quamdam carunculam, quam mater dentibus aufert; quam si quis matri præripuerit, odit (sic legend.) pullum ilico, et a se projicit. Virgilius: *Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus, Et matri præreptus amor*».

407. *Currus agitare volantes*. Est ex Georg. lib. III, vs. 181. Confer cum his finem Medææ apud Senecam. Præced. versu *genus visum* in Salm. sed *invisum* recte in Leid. a manu secunda.

* *Medea ex alto*: ita in cod. Leid. *Medea alto* in Salm.

408. *Hei mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?* sic edidi ex lib. XII, 620; vitiose enim in codice Salm. *Ei mihi quid tanto turbamur mœnia lucri;* in Leid. *turbamur mœnia luctu*. Paullo post correxi, *Dic age, namque mihi fallax haud ante repertus*, ex lib. VI, 343: nam mendose in Salm. et Leid. cod. *Dic aginamque mihi fallax aut ante repertus*.

411. *En perfecta tibi promissa conjugis arte Munera*. Versum hunc corruptissimum exhibebant schedæ Salmasianæ: «En perfecta tibi promissa conjugia sorte». In codice Leidensi «En effecta tibi promissa conjugia sorte», et in eodem spatium erat vacuum, tamquam post post hunc versum unus excidisset. Primo hemistichio edidi *En perfecta tibi*, ex lib. VII, 545; reliqua ex lib. VIII, 612: «En perfecta mei promissa conjugis arte Munera»: quomodo etiam, non *effecta*, legitur apud Macrob. Saturn. V, 8. Sequentia sunt ex lib. VI Æn. 869,

Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Conspectu in medio, quum dona imponeret aris,
Ah, virgo infelix! oculos dejecta decoros;
Undique conveniunt per limina tota frequentes
Matres atque viri, cumulantque altaria donis.
Religione patrum biforem dat tibia cantum.
Quum subito, dictuque oritur mirabile monstrum.
Ecce levis summo descendere corpore pestis

ubi inserui *at*, quam voculam excidisse puto, repetendam ex ultima litera præcedentis vocis *Munera*.

414. *Expediam dictis, et te tua fata docebo*, ex lib. VI, 759: male in utroque codice *facta*, ut et vers. seq. *deponeret* vitiose in Salm. *reponeret* in Leid. cod. pro *imponeret aris*, ex lib. IV Æn. 453; et sic ap. Non. Marcell. in *imponere*, p. 328.

416. *Ah, virgo infelix! oculos dejecta decoros*. Prima versus pars est ex Eclog. VI, 47 et 52, ubi *A virgo* in nonnullis codicibus et apud Probum, lib. I Instit. Gram. p. 1387, ed. Pustch. et sic in codd. Salm. et Leid. deinde *decorus* in Leid. *oculis dejecta decoris* in uno codice Rottendorphiano est apud Virgil. Æn. XI, 480; sed *oculos decoros* habent schedæ MSS, tam hoc loco, quam Anthol. Burm. lib. I, epigr. 50, vs. 68. Hemistichium hoc Virgilianum Martiano Capellæ, lib. IX, p. 306, ubi in vulgatis male editur *oculos delecta decoros*, bene restituit Cel. Drakenb. ad Silium, VIII, 73; quod codex Martiani Cauchisnus et Leidensis confirmat: sequentes duo versus desiderantur in cod. Leidensi.

419. *Biforem dat tibia cantum*. Est ex Æn. lib. IX, 618, et hoc hemistichio Virgil. illustrat Scholiastes Statii illud ex Theb. VIII, 222: « gemina æra sonant, Idæaque terga, Et moderata sonum vario spiramine buxus »; ubi explicat de tibia varie forata. Et Servius ad hunc locum *imparem, bisonum* exponit, ac de tibiis Serranis, quæ *pares*, et Phrygiis, quæ *impares* dicuntur, agit, adducto hac de re Varronis fragmento. De his tibiis paribus et imparibus licet virorum eruditorum industria haud pauca literis consignata sint, nondum tamen omnia ad liquidum deducta.— *Biforem dat tibia cantum*. Hæc quoque desumpsit Auson. ad Centonem nuptialem, cœnæ nuptialis, vs. 16; ubi interpretatur Souchayus: Ne intelligas per duo tantum foramina modulatum, sed geminum et per duarum simul tibiarum, dextræ scilicet et sinistræ foramina crumpentem, licet ab uno eodemque ore profectum. Ed.

420. *Quum subito, dictuque oritur mirabile monstrum*. Favent hic schedæ MSS Mediceo et aliis Virgilii codicibus apud Pierium et Heinsium, Æneid. lib. II, 680, licet *subitum* in vulgatis, et in codice Amstel. legatur: *subito* in MS Franciano, et in meo codice a manu prima, sed recentiori manu, correctum *subitum*.

Incipit, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Membra sequebantur, artus sacer ignis edebat.
Diffugiunt comites, et quæ sibi quisque timebat.
Tecta metu petiere, et sic ubi concava furtim
Saxa petunt, furit immissis Vulcanus habenis.
Nec vires herbarum, infusaque flumina prosunt;
Quæsitæque nocent artes, miserabile dictu!
Illa ut per populos aditumque per avia quærit,
Arte nova speculata locum: paribusque revinxit

422. *Ecce levis summo descendere corpore pestis Incipit.* Prima versus pars *Ecce levis summo* est ex lib. II Æn. 682; reliqua sunt ex lib. V, vs. 683, sed ubi legitur *toto descendit corpore pestis.* Verum id mutavit et *descendere* hic scripsit auctor, ut connecteret cum *Incipit.* Sequentia sunt ex Æn. lib. VII, 75 et 77: ex quo loco patebit legendum *accensa coronam*, nam male *corona* in schedis MSS.

424. *Membra sequebantur, artus sacer ignis edebat.* Versus hic partim ex penultimo, partim ex ultimo versu lib. II Georg. consarcinatus est, ubi *sequebatur* in vulgatis, sed *sequebantur* e plurimis codd. adfert Heinsius.

426. *Et sic ubi concava furtim Saxa petunt, furit immissis Vulcanus habenis:* ita correxi ex lib. V Æn. 662 et 677; vitiose enim in schedis MSS legebatur « concaba furtim Saxa peduut furit immissus Vulcanus abenis ».

428. *Nec vires herbarum, infusaque*, etc. ita in codd. Salm. et Leid. Corrigendum tamen: « Nec vires heroum, infusaque flumina prosunt », ut in ipso legitur Virgilii, Æn. V, 684: nam *vires herbarum* ap. Varronem frustra quæras: sed quia librarius de Medea cogitabat, *herbarum* scripsit. Per *vires heroum* hic innuit, frustra aulicos et ministros Creusæ opem voluisse adferre ad flammam exstinguendam, quam potius augeri oppositis remediis dicit: quæ lucem accipient ex Senecæ Medea, vs. 888, et Euripidis, vs. 1135 et seqq. ubi fuse exponit Nuntius, quomodo Creusa funesto Medeæ munere exarserit, et tota perierit.

430. *Illa ut per populos, aditumque per avia quærit.* Sic emendavi schedas MSS, in quibus legebatur: « Illa autem per populos aditumque per abia quærit ». Initio forte respicit ad lib. VI Æn. 588: « Per Graium populos, mediæque per Elidis urbem Ibat ovans »; vel ad lib. VII, 384: « Per medias urbes agitur, populosque feroces ». Alterum hemistichium est ex lib. IX, 58, ubi G. Fabricius recte hanc lectionem vindicat, et de lymphato homine dici notat; quum in aliis legatur *aditumque et pervia quærit:* quod firmat etiam Non. Marc. pag. 237, et sic Æn. lib. II, vs. 736:

Serpentum spiris, ventosasque addidit alas:
Ense levis nudo perfusos sanguine currus.

JASON.

Quo sequar? aut quid jam misero mihi denique restat?

« namque avia cursu Dum sequor, et nota excedo regione viarum ». Reliqua sunt ex lib. VII, 477.

432. *Paribusque revinxit Serpentum spiris, ventosasque addidit alas:* ita legendum ex libro XII, 848: male in Salm. et Leid. cod. *spinis; spiræ* enim dicuntur anguium volumina. Papias in Vocabulario: « Spiræ, volumina, gyri, circuli, nodi, quibus se ligant serpentes ». Claudian. in Rufin. II, 364: « spirisque remissis Mansuescunt varii vento cessante dracones »; et hanc vocem Statio restituendam putabat Heinsius, Theb. lib. XI, 311: « Ictus ut incerto pastoris vulnere serpens Erigitur spira »; ubi in vulgatis *gyro;* vid. Serv. ad Virg. Æn. II, 227, et Weitz. ad Valer. Flaccum, lib. V, 254. *Nodos serpentum* dixit Virg. Æn. II, 220, et Seneca in Medea, vs. 695; vid. N. Heins. Advers. lib. I, cap. 7, pag. 77. Eadem varietas apud Martian. Capell. lib. II, init. « Et spiris torvo nituerunt astra draconi »: sic enim edidit Grotius; licet illic *spinis* etiam legi posse censeat Heinsius; vide Burmanni notas ad Lucan. IX, 716, qui recte etiam *torto draconi* emendat: deinde *ventosasque adedit alas* corrupte in cod. Salm. *addidit* bene in Leid. Hoc Virgilii hemistichium imitatione sua adoptavit Propertius, Eleg. lib. II, 9, 5, in pictura Cupidinis: « Quicumque ille fuit, primus qui pinxit Amorem, Nonne putas miras hunc habuisse manus? ... Idem non frustra ventosas addidit alas, Fecit et humano corde volare Deum ». Ita enim primo versu legendum ex eod. Leidensi secundo, vulgo *puerum qui pinxit Amorem:* est enim locus ille Propertii adumbratus partim ex versibus Theophrasti in Erotico, partim ex illis Eubuli apud Athenæum, lib. XIII, p. 562: Τίς ἦν ὁ ἀνάψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα Ἢ κηροπλαστήσας Ἔρωθ' ὑπόπτερον, etc. Deinde illud *humano corde* non frustra offendebat Heinsium, qui conjiciebat *humana sorte*, ut exprimat Græcorum ἀνθρωποειδῆ. *Ventosum* Cupidinem etiam dixit Ovid. Am. II, 9, 49: « Tu levis es, multoque tuis ventosior alis »; ubi *velocior* frustra in Moret. ac Mentelisno codice.

433. *Ense levis nudo perfusos sanguine currus. Ense* sequens *nudo* legitur apud Virg. Æn. XII, 306; reliqua sunt ex lib. XI, 88.

434. *Quo sequar? aut quid jam misero mihi denique restat? Me me, adsum qui feci, in me omnia tela Conjicite; hanc animam quocumque absumite leto:* ita hos versus castigavi, qui vitiosi erant in schedis. In eod. Salm. *Quo segor*, in Leid. *Quos egor, aut quid jam mihi misero denique restat*, in quo etiam tertius versus desiderabatur. Prima pars est ex lib. IX, 490: « Quo sequar? aut quæ nunc artus avolsaque membra, Et funus lacerum tellus habet? » ubi *sequor* etiam in uno cod.

Me me, adsum qui feci, in me omnia tela
Conjicite; hanc animam quocumque absumite leto.
Funeris heu tibi caussa fui! dux femina facti.

MEDEA EX ALTO.

Huc geminas nunc flecte acies, et conde sepulcro
Corpora natorum; cape dona extrema tuorum.

Hamburgico, ut hic schedæ MSS. Alterum hemistichium *quid jam misero*, etc. est ex lib. II Æn. 70, illudque ex conjectura Heinsii recte Lucano vindicavit Burmannus lib. X, v. 366: « nil denique restat Auxilii », pro *nil undique*. Sic Æn. lib. XII, vs. 793: « Quæ jam finis erit, conjux, quid denique restat? » Alter versus: « Me me, adsum qui feci, etc. » est ex lib. IX, 427: « Me me (adsum qui feci), in me convertite ferrum ». Sed si duplex offendat in eo hiatus, legi potest: « Me me, adsum qui feci, in me nunc omnia tela Conjicite »; vid. Anth. Lat. Burm. lib. I, ep. 171, vs. 155, ubi Myrtilus eodem hoc hemistichio opportune utitur, ut hoc loco Jason, qui iisdem fere verbis apud Senecam in Medea, v. 1005: « Jam parce nato: si quod est crimen, meum est: Me dede morti, noxium macta caput ». Et hæc imitatur Stat. Theb. I, 651: « Quid meruere Argi? me me, Divum optime, solum Objecisse caput fatis præstabit »; ubi Scholiastes hunc Virgilii versum etiam adnotavit. Reliqua sunt partim ex lib. IX Æn. 494: « in me omnia tela conjicite, Rutuli, me primum absumite ferro »; partim ex libro III, 654: « Vos animam hanc potius quocumque absumite leto »; ubi male *adsumite* in nonnullis codicibus MSS. — Hoc quidem confirmat emendationem Burmanni ad inscriptionem veterem in Epitaphio Porciliæ, Anth. Lat. lib. IV, epigr. 225, ubi supplevit: INIQVO FACTO ABSVMPTÆ. Ovid. ex Pont. II, 2, 28: « Quum cinis absumpto corpore factus ero ». Ed.

438. *Huc geminas nunc flecte acies, et conde sepulcro Corpora natorum; cape dona extrema tuorum*: ita est in schedis MSS: in nonnullis tamen Virgilii codicibus, teste G. Fabricio, repetitione eleganti legitur *Huc geminas huc flecte acies*, lib. VI, 789; alterum *et conde sepulcro* est ex lib. VI, 152. *Corpora natorum* legitur lib. II Æn. 214; deinde *cape dona extrema tuorum* lib. III, 488. Sunt autem hæc verba Medeæ filios a se excutientis, et Jasoni in terram projicientis: cum quibus confer illa Senecæ in Medea, v. 997: « congere extremum tuis Natis, Iason, funus, ac tumulum strue, etc. »; ubi *extremum munus* recte legebat Heinsius, ut in hoc loco Virgilii, *cape dona extrema tuorum*. Eleganter Medeam hoc scelus agitantem inducit Valer. Flacc. lib. II, 180 et seqq. « mene ille novis, men' destinat amens Servitiis? urbem aut fugiens, natosque relinquam? Non prius ense manus, raptoque armabimus igne? Dumque silent, ducuntque nova cum conjuge somnos, Magnum aliquid spirabit amor: tunc ignea torquens Lumina, *præ-*

Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen,
Sævus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manum, et luctu miscere hymenæos.
Te super ætherias errare licentius auras.

JASON.

Crudelis mater, tanton' me crimine dignum
Duxisti? et patrios fœdasti funere vultus?

cipites excussit ab ubere natos ». Sic enim recte viri docti restituerunt pro *Magnum aliquid sperabit amor:* quo loco egregie firmatur Scaligeri, Lipsii, ac Fruterii emendatio apud Propert. II, 12, 53: « qui nunc magnum spiramus amantes »; quod merito amplexus est Broukhusius, et Heinsius in notis ad Propert. pag. 692; licet in plurimis MSS, etiam Leidensibus, Vossianis, Dorvillianis, ac meo codice, eadem varietate, illic legatur *speramus*. *Altum spirare* dixit Stat. Silv. lib. V, 3, 11: « magnanimum qui facta adtollere regum Ibam, altum spirans ». Respexit autem Valerius procul dubio illud Virgilii, lib. IX, 186: « aut aliquid jam dudum invadere magnum Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est ». De quo vide supra ad vs. 179 hujus Medeæ.

440. *Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen*, est ex Ecl. V, 42; vitiose in cod. Leid. *super addedit*. Reliqua *Sævus Amor docuit natorum*, etc. sunt ex Ecl. VIII, 48, quo versu Virgiliano forte firmatur lectio codicum nonnullorum apud Ovid. Am. II, 14, 29: « Colchida respersam natorum sanguine »; ubi in vulgatis *puerorum:* sed hic vel legendum *Commaculare manum*, vel deleta copula *et* corrigendum *Commaculare manus, luctu miscere hymenæos*, aut *luctum miscere hymenæis:* nam in codd. Salm. et Leid. hic legitur *luctum miscere imeneus*. Locus autem est ex lib. XII, 805; vide supra ad vs. 357.

443. *Te super ætherias errare licentius auras*. Versus hic, vitiose in schedis exaratus, exstat lib. VII, 557. Sed forte hic præstaret, *Me super ætherias*, etc. ita enim ipsa Medea apud Senecam, v. 1025, sub finem: « recipe jam natos parens. Ego inter auras aliti curru vehar »; cui respondet mox Jason: « Per alta vade spatia sublimis ætheris: Testare nullos esse, qua veheris, Deos ». Et sic supra Medea, v. 407: « Jam jam nulla mora est currus agitare volantes ».

444. *Tanton' me crimine dignum Duxisti?* sic edidi ex ipso Virgilio, Æn. X, 668: nam frustra in cod. Salm. et Leid. *tantum me*, licet ita in Sprotiano et Zulichemio Virgilii codd. legatur: sed *tanton me* etiam in Amstelædamensi, meoque codice inveni; et sic Nonius Marc. p. 283 ed. Merc. Max. Victorinus in Arte Gramm. p. 1944; Alcuinus, p. 2135, aliique Grammatici veteres adferunt. Sequenti versu *fœdasti funere vultus* est in schedis MSS, et vulgatis Virgilii codicibus, Æn. lib. II, 539; licet *sanguine* vel *vulnere* in

Arma viri, ferte arma, date tela, adscendite muros.

MEDEA EX ALTO.

Quo moriture ruis? thalamos ne desere pactos,
Hortator scelerum, nostram nunc accipe mentem.
Sive animo, sive arte vales, opta ardua pennis
Astra sequi; et si adeo dotalis regia cordi est,

aliis MSS; sed vulgatam bene vindicavit Burmanni nota.

446. *Arma viri, ferte arma, date tela, adscendite muros:* ita quidem in schedis exstat: sed diversa hemistichia jungens auctor versum æquo longiorem nobis denuo excudit. Primum est ex Æn. II, 668; alterum ex lib. IX, 37, ubi legitur: « Ferte citi ferrum, date tela, et scandite muros »; ubi *adscendite* in vetustis apud Pierium codicibus et Mediceo apud Heinsium, qui e lectione aliorum codicum *et scandite* illic præferebat *escendite*, de quo verbo, plurimis viris doctis, J. F. Gronovio præsertim, probato, vide Broukhus. ad Propert. III, 3, 67, et Gotl. Kortium de usu Orthogr. Lat. Dissert. II, cap. 3, p. 58: sed recte puto Burmannum copulam retinuisse, et ex optimis codicibus prætulisse *et scandite muros*, ut ibidem in Franciano, Amstelædamensi, meoque codice legitur. *Date tela* etiam lib. IV Æn. 594, veterum Grammaticorum auctoritate restituit Heinsius; ubi in aliis *date vela*.

447. *Quo moriture ruis?* est ex lib. X, 811, quem versum adfert etiam Nonius Marcell. p. 380, ita ut in vulgatis legitur: ne quis hic quoque *periture* præferat, ut passim hæ voces mutantur; vide Heinsii et Burmanni notas ad lib. II Æn. 408, ibidemque variantes in Servium, illo versu: « Et sese medium injecit moriturus in ignem »; ubi ex solo Mediceo *periturus* adfert Heinsius, quod ex aliis codicibus etiam probat Pierius. Eodem libro, vs. 511: « densos fertur moriturus in hostes ». Lib. IX, v. 554: « Haud aliter juvenis medios moriturus in hostes Irruit »; ubi tamen nulla ex codicibus MSS notatur varietas. Conf. Stat. Silv. V, 3, 68: « obstantesque manus turbamque tenentem Vincit, in ardentem liceat moritura maritum ». — *Thalamos ne desere pactos, Hortator scelerum, nostram*, etc. ita correxi et distinxi. Prius est ex lib. X Æn. vs. 649. *Hortatur* male in schedis MSS. Jasonem *scelerum hortatorem* vocat, ut Ulyssen Virg. Æn. VI, 529, qui *sceleris artifex* dicitur. De quo vide Rittersh. ad Gunther. p. 102. — Similiter quoque Æn. II, 164, inventor scelerum dicitur: « Tydides sed enim scelerumque inventor Ulysses ». Ed.

449. *Sive animo, sive arte vales, opta ardua pennis Astra sequi*, etc. Hæc et sequentia ita edidi, ut in schedis MSS, licet mendose exarata, inveni, sed in quibus turbatum esse a descriptoribus, facile quisque videt, quum versus ille *opta ardua pennis Astra sequi* bis

. . . . Nostrasne evadere demens
Sperasti te posse manus? opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Hæc via sola fuit, hæc nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Sat fatis Venerique datum est; feror exsul in altum,
Germanum fugiens, et non felicia tela,
Ultra anni solisque vias : quid denique restat?
Et longum, formose, vale, et quisquis amores

repetatur; quem primo loco delendum censeo, et suppleto in cæteris biatu, addito uno alterove hemistichio Virgiliano, commodum satis sensum oriturum arbitror, si locum corruptissimum aliter concinnare, ac versus digerere liceat hoc modo: « Sive animis, sive arte vales, si pectore robur Concipis, et si adeo dotalis regia cordi est, Quæ nunc deinde mora est? nostrasne evadere demens Sperasti te posse manus? opta ardua pennis Astra sequi, clausumque cava te condere terra, Et famam exstingui veterum sic posse malorum ». Primum hemistichium est ex lib. XII, 892, ubi *opta ardua pennis Astra sequi*, etc. subsequuntur. Sed elegantiorem fore centonem ego judicavi, si hæc insertis aliis hemistichiis separarentur. *Si pectore robur concipis, et si adeo dotalis*, etc. leguntur lib. XI, 368: porro, *Quæ nunc deinde mora est?* sunt ex lib. XII, vs. 891. Reliqua *nostrasne evadere demens Sperasti te posse manus* lib. IX, v. 560; *opta ardua pennis Astra sequi; clausumque cava*, etc. lib. XII, 893. Ultimus versus est ex lib. VI, 527; male autem in initio hujus loci *Sive animo* legitur in schedis MSS. *Animis* est apud Virgil. de quo vid. Anth. Lat. Burm. lib. I, ep. 172, vs. 16.

455. *Hæc via sola fuit, hæc nos suprema manebat, Exitiis positura modum:* ita emendavi ex lib. VII, 128: vitiose in cod. Salm. *hæc nobis suppre manebat;* in Leid. *hæc nobis supprema manebat.* Primum hemistichium *Hæc via sola fuit*, sed media versus sede, legitur lib. X Æn. 879.

457. *Sat fatis Venerique datum est.* Faciunt hic schedæ MSS cum illis Virgilii codicibus, qui τὸ *est* hic addunt, licet plerique ex melioribus, teste Heinsio, id non agnoscant lib. IX Æn. 135, et licet in Mediceo ac Romano codice haberi notet Pierius, concinnius tamen censet, si absit; neque id legitur in Amstelædamensi meoque codice.

459. *Ultra anni solisque vias :* ita schedæ MSS. *Armis* in Leid. at apud Virg. Æn. VI, 797 legitur *Extra anni solisque vias*, nullis codicibus illic hanc scripturam tuentibus. *Anni et solis viæ* hic notant extremos mundi et temporis terminos;

Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

vide Heins. ad Claudian. in Rufin. II, 245. *Quid denique restat* est ex lib. XII, vs. 793: « Quæ jam finis erit, conjux? quid denique restat? » cui simile illud ex lib. II Æn. 70, sed alio verborum ordine, « aut quid jam misero mihi denique restat »; vide supra ad vs. 434. Ultima petita sunt ex Eclog. III, in fine, ubi *metuet* in vulgatis; sed *metuat* in Mediceo codice etiam legi testatur Pierius, et ex Veneto ac duobus Leidensibus adfert Burm. idque melius conveniret cum *experiatur*, quod in Moretano codice legitur. Sed hæc quidem ad Medeam hanc notata sufficere Burmannus putavit.

AUSONII

CENTO NUPTIALIS

ET

TECHNOPÆGNION

AUSONIUS

IN

CENTONEM NUPTIALEM.

AUSONIUS PAULLO* S.

Perlege hoc etiam, si operæ est, frivolum et nullius pretii opusculum, quod nec labor excudit, nec cura limavit; sine ingenii acumine, et moræ maturitate. *Centonem* vocant (1), qui primi hac concinnatione (2)

* Paullum, cujus nomini inscribitur hæc Epistola, eumdem esse nil dubito cum Axio Paullo Rhetore ac Poeta Bigerritano, cui plures Ausonius inscripsit Epistolas quæ superannt, atque una serie videntur excusæ.

(1) *Centonem vocant.* Cento Græcis Κέντρων, unde derivatur abjecto ρ, ut ab ἄρθρον fit artus. Sic etiam κέντρωνα, quum proprie sumitur, ita vocari quia παρακεντοῦνται, hoc est, consuuntur diversicolores panni, ut in vestibus et stragulis pauperiorum. At quum transfertur ad poematis genus, sic adpellari, quia ad similitudinem centonis ex diversis versibus hinc atque inde accersitis consuatur. At apud Grammaticos, ait Isidorus, Origg. lib. I, cap. 38 : « Centones vocari solent, qui de carminibus Homeri vel Virgilii ad propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositis in unum sarciuntur corpus, ad facultatem cujusque materiæ ».

(2) *Qui primi hac concinnatione luserunt.* Quinam fuerint primi illi, non dicit. Meminit quorumdam Tertullianus lib. de Præscriptionibus, cap. 39 : « Vis hodie, inquit, fabulam, in totum aliam, componi, materia secundum versus, versibus secundum materias concinnatis ? Denique Ovid. Geta Medeam tragœdiam ex Virgilio plenissime expressit. Meus quidam propinquus, ex eodem poeta, inter cætera styli sui otia, pinacem Cebetis explicuit, etc. » Exstant Eudociæ et Probæ Falconiæ centones Virgiliani de Veteri et Novo Testamento, post Ausonii tempora scripti, et elegantissimi recentioris scriptoris Lælii Capilupi variis de rebus. Tentavit quoque Heinsius id genus poe-

luserunt. Solæ memoriæ (1) negotium sparsa colligere, et integrare lacerata : quod ridere magis, quam laudare possis. Pro quo, si per Sigillaria (2) in auctione veniret, neque Afranius Nauci daret (3), nec Cicum suum Plautus (4) offerret. Piget enim Virgiliani carminis dignitatem tam joculari dehonestasse materia. Sed quid facerem? Jussum erat : quodque est *potentissimum imperandi genus*, rogabat, qui jubere poterat, S. Imperatoris, sed non ita feliciter meo quidem judicio.

(1) *Solæ memoriæ*. Ἀρχαϊκῶς pro *solius* : sic in Eunucho Terent. Pythias, « Mihi solæ ridiculo fuit », pro soli.

(2) *Per Sigillaria*. Macrob. Saturn. lib. I, cap. 10, in fine : « Abunde jam probasse nos æstimo Saturnalia uno tantum die, id est, quarto decimo kal. solita celebrari: sed post in triduum propagata primum ex adjectis a Cæsare huic mensi diebus, deinde ex edicto Augusti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. A sexto decimo igitur cœpta in quartum decimum desinunt; quo solo fieri ante consueverant. Sed Sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum et lætitiam religionis extendit ». Statim ergo post Saturnalia, mense Decembri Sigillaria celebrabantur per Ædiles tum curules, tum plebeios, ut videre est ex his Ausonii versibus in Eclogario, ubi de Feriis Romanis : « Ædilesque etiam plebeii, Ædilesque curules Sacra, Sigillorum nomine dicta, colunt ». Ea sigilla, a quorum nomine sigillaria dicta sunt, erant oscilla, seu capita fictilia, quæ pro capitibus suis in Ditis sacellum Saturni aræ cohærens, ferebant, tradito more, ut refert idem Macrobius, a Pelasgis advenis, veteribus Latii cultoribus.

(3) *Neque Afranius Nauci daret*. Hac voce *Nauci* usus in Attellania suis erat sæpius Afranius, ut Plautus voce *Cicum*. Hinc est quod utrumque nominat hic quasi quibus peculiaria fuerint hæc vocabula, quibus tamen et alii usi. De voce *nauci* Festus : « Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis : Cincius, quod in oleæ nucis, quod intus sit: Ælius Stilo omnium rerum putamen : Glossematorum autem scriptores fabæ grani, quod hæreat in fabulo : quidam ex Græco ναὶ καὶ οὐχὶ levem hominem significari : quidam nucis juglandis, quam Verrius juglandam vocat, medium velut dissepimentum ». Pro re nihili accipitur.

(4) *Nec Cicum suum Plautus*. In Rudente, act. II, sc. 7: « Eluas tu, an exungare, Cicum non interduim ». Festus: « Cicum membrana tenuis malorum Punicorum ». Idem habet Varro, qui et locum Plauti sed paullo aliter citat. Glossæ Philoxeni Cicum ῥοᾶς ὑμήν. Punici mali

perator (1) Valentinianus, vir meo judicio eruditus, qui nuptias quondam ejusmodi ludo descripserat, aptis equidem versibus, et compositione festiva. Experiri deinde volens, quantum nostra contentione præcelleret, simile nos de eodem concinnare præcepit. Quam scrupulosum hoc mihi fuerit, intellige. Neque anteferri volebam, neque posthaberi, quum aliorum quoque judicio detegenda esset adulatio inepta, si cederem, insolentia, si ut æmulus eminerem. Suscepi igitur similis recusanti : feliciterque et obnoxius gratiam tenui, nec victor offendi. Hoc, die uno et addita lucubratione properatum, modo inter liturarios meos (2) quum reperissem, tanta mihi candoris tui et amoris fiducia est, ut severitati tuæ nec ridenda subtraherem. Accipe igitur opusculum de inconnexis (3) continuum, de diversis unum, de seriis ludicrum, de alieno nostrum : ne in sacris et fabulis, aut Thyonianum (4)

pellicula. Hesychius Κικκὸς διαχώρησις, « Ciccus separatio, seu discrimen ». Est igitur Cicus, seu Ciccus, seu Ciccum interior membrana, qua grana discrimiaantor in malis Punicis. Et per translatiooem γρὺ, ut habent eædem Philoxeoi Glossæ, *res nihili*.

(1) *S. Imperator*, etc. Sic antiqua Ugoletti editio : τὸ *S.* accipit Tollius, quem sequutus sum, pro nota τοῦ Sacratissimi, quod cognomentum Imperatorum.

(2) *Inter liturarios meos*. Liturarii (quæ vox etiam occurrit in titulo Epistolæ secundæ), sunt primæ scriptionum schedæ, lituris multis ut plurimum pleuæ.

(3) *Opusculum de inconnexis*, etc. Descriptio elegans Centoois per Antitheta.

(4) *Aut Thyonianum*. Turnebus, Adv. lib. XII, cap. 8 : « Apud Catullum scribitur : Hic merus est Thyonianus. Quo versu significat meraca Bacchi pocula per transoominationem : redivivos enim Bacchus, matrique fulminatæ superstes, Thyonianus vocatus est : vel potios illum dilaceratum [a Gigantibus scilicet ut habet Phurnutus] reducem sospitemque vitæ redditum [a matre Rhea] hoc nomine sacra canebant arcana » : et laudat hunc Ausonii locum. Noo tamen novuoi io altera vita nomen acce-

mireris, aut Virbium (1); illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum. Et si pateris, ut doceam docendus ipse, *Cento* quid sit (2) absolvam. Variis de locis, sensibusque diversis, quædam carminis structura solidatur: in unum versum ut coeant, aut cæsi duo, aut unus et sequens cum medio. Nam duos junctim locare, ineptum est (3): et tres una serie, meræ nugæ. Diffunditur autem per cæsuras omnes, quas recipit versus Heroicus, convenire ut possit, aut penthemimeris (4) cum reliquo anapæsto (5), aut trochaice (6) cum posteriore segmento, aut

pisse Bacchum Phurnutus, qui rem narrat, meminit. Alii aliud Thyoniani, seu Thyonei, etymon adferunt, a Thyone scilicet, nutrice Bacchi, ut quidam volunt, ut alii, matre. Ferunt enim Bacchum, Jove concedente, matrem Semelen ab Inferis edoxisse, et immortalitate donatam, Thyonen a sacris quæ illi adtribuit, denominasse: θύω enim est, sacra facio. Alii ab ipso θύω, ob Sacra et Orgia ejus, unde et Thyades, Bacchæ. Acron vult Thyoneum Bacchi filium fuisse. Fortasse Thyoneus dictus est Bacchus pro Theœoius, hoc est, Θεοίνιος Deus vini; sic enim est adpellatus Bacchus, teste Hesychio, et Θεοίνια apud Athenienses Bacchi sacra dicebantur.

(1) *Aut Virbium*. Hippolytus ab equis discerptus, quum ab Æsculapio revocatus ad vitam esset, Virbius, quasi bis vir, est adpellatus Dianæ jussu, cui conjunctum numen coli cœpit. Vid. Ovid. Met. XV; Virgil. Æn. VII, vs. 761, et Pers. Sat. VI, vs. 55.

(2) *Cento quid sit*. Vide supra notam (1) hujus Præfationis, ubi etymologia *centonis* quæritur. Ed.

(3) *Nam duos junctim locare, ineptum est*. Quod tamen Ausonius hoc ipso in Centone fecit non semel, ut videri facile potest.

(4) ***Penthemimeris***. Vel ***penthemimeres*** πενθημιμερὴς a πέντε quinque, ἥμισυ dimidium, et μέρος pars, quasi dicas quinque dimidias partes, hoc est, dimidios pedes, quinque semipedes, ut in tertio hujus Centonis versu: « ambo florentes ».

(5) ***Cum reliquo anapæsto***. Ut in eodem versu: « Genus insuperabile bello ». Cujusmodi anapæsticum trimetrum hypercatalectum adpellat Diomedes, sic metiendum: « Genus in-supera-bile bel-lo ».

(6) *Aut trochaice*. Ut in hoc ejusdem Centonis « Occupat os faciemque », ubi post duos primos pedes « Occupat os, faci », superest trochæus, « emque », quam cæsuram trochaicam adpellat. Et posterius segmentum, quod sequitur, « pedem pede fervidus urget ».

septem semipedes (1) cum anapæstico chorico (2), aut post dactylum atque semipedem (3), quidquid restat hexametro (4). Simile ut dicas ludicro, quod Græci ὀστομαχίων (5) vocavere. Ossicla ea sunt : ad summam quatuordecim figuras geometricas habent (6). Sunt enim æquilatera, vel triquetra (7) : extentis lineis, aut rectis angulis, vel obliquis : isoscele, vel isopleura : orthogonia quoque, vel scalena. Harum vertibula-

(1) *Aut septem semipedes.* Ἑφθημιμερὴς vel ἑφθημιμερὶς dicitur tres pedes cum dimidio continens, ut in hoc ejusdem Centonis : « Auspici-is mani-festa fi-des ».

(2) *Cum anapæstico chorico.* Puta in eodem versu : « Quo jus-tior al-ter ». Cujusmodi anapæsticum choricum (hoc est, in choris usitatum) monometrum hypercatalectum vocat Servius.

(3) *Aut post dactylum atque semipedem.* Ut in hoc ejusdem Centonis : « Tuque pri-or ».

(4) *Quidquid restat hexametro.* Puta : « Nam-te ma-joribus ire per-altum ».

(5) Vid. Excursus ad calcem hujus poematii, pag. 526. Ed.

(6) *Quatuordecim figuras.* Quamquam non quatuordecim diversas figuras mox enumeret, ut tamen nihil in hoc numero mutatum velim, facit locus Fortunatiani. Et certe triangularium formarum septem omnino variæ species fingi possunt : æquilaterorum quidem tantum unica, eaque oxygonia; crure pari, quæ Græci ἰσοσκελῆ vocant, tres, oxygonia seu acutis omnibus angulis, orthogonia, rectum unum angulum habens, et amblygonia quæ habet unum obtusum. Similiter, et scalenorum, seu lateribus omnibus inæqualibus triangulorum tres quoque pro angulorum ratione species esse possunt, oxygonia, orthogonia, et amblygonia. Quod si binæ uniuscujusque specici lamellæ in eo loculo Archimedico, seu quadrata capsula, fuisse intelligantur, fiet numerus quatuordecim, quem Ausonius et Fortunatianus habent. Mitto, quod septem prædictarum unaquæque species variari multis modis potest, prout magis vel minus acuti, aut obtusi earum anguli fient, et quod aliæ quoque quam triangulares formæ fuisse intelligi possunt. Quidni enim per hæc verba Ausonii « extentis lineis, aut rectis angulis, vel obliquis », intelligamus parallelogrammum, rectangulum, et obliquangulum?

(7) *Sunt enim æquilatera.* Nullo ordine hæc ab Ausonio enumerantur. Ut aliquis in iis ordo statuatur, observandum triangula dividi vel ratione laterum, seu linearum quibus comprehenduntur (de rectilineis et planis triangulis loquimur, non de curvilineis, neque de sphæricis), vel ratione angulorum, quos lineæ istæ, seu latera concursu suo faciunt. Ratione quidem laterum,

rum (1) variis coagmentis simulantur species mille formarum : elephantus bellua, aut aper bestia, anser volans, et mirmillo in armis (2), subsidens venator (3), et latrans canis : quin et turturis (4), et cantharus, et alia hujusmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio scientius variegant. Sed peritorum concinnatio miraculum est; imperitorum junctura ridiculum. Quo prædicto, scies, quod ego posteriorem (5) imitatus sum. Hoc ergo Centonis opusculum, ut ille ludus tractatur, pari modo, sensus diversi ut congruant : adoptiva quæ sunt, ut cognata videantur : aliena ne

vel tria latera æqualia suut, et æquilaterum triangulum dicitur, Græce ἰσόπλευρον· vel duo tautum æqualia sunt, et crure pari, Græce ἰσοσκελές· vel deuique tribus lateribus inæqualibus, σκαληνόν. Ratione angulorum, vel triangnlum habet tres angulos acutos, et ὀξυγώνιον, vel unum rectum, et ὀρθογώνιον, vel denique unum obtusum, et ἀμβλυγώνιον adpellatur. Atqne hæ triangulorum species, laterum et angulorum ratione, permisceri inter se, et septem tantum memorataa superiori nuta species possunt coustitnere, nt patebit adtendenti. — *Vel triquetra.* Triquetrnm in genere triangnlum est cujusvis speciei. Hic tamen ad æquilaterum videtur ab Ausonio restringi.

(1) *Harum vertibularum.* Sive *vertibularum* legas, sive *verticularum*, perinde est : utrumque a verto. Verticulæ apud Festum, Lucilium explicautem, *articuli* sunt seu *vertebræ*; apud Isidorum *vertibulæ* idem significant, partes scilicet illas ossinm, qnæ ita sibi junguutur, ut facile flecti et verti ossa possiut. Hic certe nihil alind intelligere potest Ausonius, quam figuras illas osseas sen eburneas, de quibus loquutna est supra.

(2) *Mirmillo in armis.* De hac vuce couf. si libet, Lips. iu Amphith. Ed.

(3) *Subsidens venator.* Exspectana feram in insidiis. Hoc enim est subaidere.

(4) *Turturis.* In recto, ut *vulturis* in versu Eunii apud Prisc. lib. VI : « Vulturis in silvis miserum mandebat Hemonem ». Respexisse videtur ad Plauti locum in Bacchid. « Ubi ego capiam pro machæra turturem, ubique impouat in mauu alius mihi pro cæstu cantharum ». Hinc mavnlt Accursius *turturis* ex MS codice, quam *turris*, quod ab eo est depravatum in vulgatis a aciolo aliquo, qui rectum *turturis* uon agnoscebat.

(5) *Posteriorem*, scilicet imperitorum.

interluceant : accersita ne vim redarguant : densa ne supra modum protuberent : hiulca ne pateant. Quæ si omnia ita tibi videbuntur, ut præceptum, dices me composuisse Centonem. Et quia sub imperatore (1) meo tum merui, procedere mihi (2) inter frequentes stipendium jubebis : sin aliter, ære dirutum (3) facies : ut, cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant versus, unde venerunt (4). Vale.

(1) *Sub imperatore meo*, Valeotiniano, cujos jussu id oposculum susceperat, ut monuit Præfationis hujus initio.

(2) *Procedere mihi*, etc. Hæc e militari re petita allegoria. Contraria sunt, procedere militi stipendium, et militem esse ære dirutum. Sic vernacula oostra liogua dicimos, *ses gages courent*, et *il est cassé aux gages*. Festus : « Ære dirutum militem dicebaot, quod æs dirueretur in fiscom, oon io militis sacculum ». Livios, lib. V : « Placere autem omoibus iis, voluntarism extra ordinem professis militiam, æra procedere, et equiti certus oumerus æris est adsignatos ». Et lib. V : « Tribuni plebis ad populom ferrent, ut qui minores septero et decem aonis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem et viginti annorum, aut majores milites facti essent ».

(3) *Ære dirutum facies*. Cave cum Budæo, Turnebo, Vineto, oostro quoque interprete *ære dirutum* intelligas militia solotum ; immo intellige militem, ob nescio quod delictom, sioe stipendio militari coactum. Patet illud ex eo loco Cic. Verr. V, 13 : « Alestoris Placentioi castra commemorabuotur, in quibus qoum frequeos fuisset, tamen ære dirutus est ». Hæc me moouit Desposius jam adnotavisse Janum Langlæom in lib. Semest. XIII, cap. 2.

(4) *Unde venerunt*. Ad Virgilii loca, unde desumpti sont.

AUSONIUS AD IMPERATORES VALENTINIANUM ET VALENTEM.

Æ. 5. Accipite hæc[1] animis; lætasque advertite mentes,
Æ. 11. Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis;
B. 7. Ambo florentes, * genus insuperabile bello. Æ. 4
Æ. 6. Tuque prior; * nam te majoribus[2] ire per Æ. 3
altum
Æ. 3. Auspiciis manifesta fides, * quo justior alter Æ. 1
Æ. 1. Nec pietate fuit, nec bello major et armis.
Æ. 4. Tuque puerque tuus[3], * magnæ spes altera Æ. 12
Romæ,
Æ. 8. Flos veterum, virtusque virum, * mea maxi- Æ. 1
ma cura[4],
Æ. 12. Nomine avum referens[5], * animo manibusque pa-
rentem.
Æ. 6. Non injussa cano[6]. * Sua cuique exorsa la- Æ. 10
borem
Æ. 10. Fortunamque ferent. * Mihi jussa capes- Æ. 1
sere fas est.

1. *Accipite hæc*. Præfatiuncula est ad Augustos fratres Valentinianum et Valentem consarcinata, et ipsa ex Virgilio, ut reliqua. Porro, ut quibus e Virgilii locis desumpta hujus Centonis frusta sint scias, adjectæ sunt ad utrumque marginem notæ libros indicantes; in quibus Æ. Æneidem, B. Bucolica, G. Georgica significet.

2. *Tuque prior, nam te majoribus*, etc. Valentinianum adloquitur, cui præcipua Imperii sors obtigerat, scilicet Occidens. — *Ire per altum*. Derogat Virgiliano sensui: intellige, evehi in cælum. Ed.

3. *Puerque tuus*. Gratianus.

4. *Mea maxima cura*. Quippe Ausonius Gratiani erat præceptor.

5. *Nomine avum referens*. Avus Gratiani, pater Augustorum Valentiniani et Valentis, fuit Gratianus, vir strenuus, sed humili loco in Pannonia ortus.

6. *Non injussa cano*. In superiori Præfatione: « Rogabat, qui jubere poterat, S. Imperator Valentinianus, etc. »

COENA NUPTIALIS.

Æ. 5. Exspectata dies aderat: * dignisque [1] hymenæis — Æ. 11
Æ. 6. Matres atque viri, * juvenesque ante ora parentum — G. 4
Æ. 1. Conveniunt; stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, * onerantque canistris — Æ. 8
Dona laboratæ Cereris [2], * pinguisque ferinæ — Æ. 1
Æ. 8. Viscera tosta ferunt. * Series longissima rerum; — Æ. 1
Æ. 8. Alituum pecudumque genus, * capreæque sequaces — G. 1
G. 3. Non absunt illis, * nec oves, hædique petulci, — G. 4
G. 3. Et genus æquoreum, damæ, * cervique fugaces. — G. 3
Æ. 11. Ante oculos, interque manus sunt * mitia poma [3]. — B. 1
Æ. 8. Postquam exempta fames, et amor compressus edendi,
Æ. 1. Crateras magnos statuunt, * Bacchumque ministrant. — Æ. 8
Æ. 2. Sacra canunt: * plaudunt choreas, et carmina dicunt. — Æ. 6

1. *Dignisque hymenæis.* Nuptiis in quibus par pari jungebatur.

2. *Dona laboratæ Cereris.* Periphrastice, et metonymice panem exprimit. Laborata dicitur Ceres, quia priusquam frumentum cibo humano aptum sit, molendum est, incernendum, pinsendum, et coquendum in panem.

3. *Poma.* Notat Burmannus in genere *mala* et *poma* in amorum rebus sæpe poetis memorari, eaque ad gaudia Veneris concilianda plurimum valentia illis haberi. Vid. Serv. ad Virg. Ecl. III, 64: « Malo me Galatea petit, lasciva puella »; et ib. 70: « Aurea mala decem (meo puero) misi ». Ed.

Æ. 6. Nec non Threicius[1] longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.
Æ. 9. At parte ex alia * biforem[2] dat tibia cantum. Æ. 10
Æ. 4. Omnibus una quies operum; * cunctique Æ. 8
relictis
Consurgunt mensis, * per limina læta fre- Æ. 1
quentes
Æ. 9. Discurrunt, variantque vices * populusque Æ. 9
patresque,
Æ. 11. Matronæ, pueri, * vocemque per ampla vo- Æ. 1
lutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis. Æ. 1

1. *Nec non Threicius*, etc. Hæc de Orpheo Virg. Æn. VI. Hic pro quovis citharœdo, qui chordas pulset in nuptiis.

2. *Biforem*. Ne intelligas per duo tantum foramina modulatum, sed geminum et per duarum simul tibiarum, dextræ scilicet, et sinistræ foramina erumpentem, licet ab uno eodemque ore simul profectum. Vid. Phædri nost. edit. tom. II, pag. 264. Ed.

DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSÆ.

Æ. 4. Tandem progreditur * Veneris[1] justissima Æ. 10
cura,
Æ. 7. Jam matura viro, jam plenis nubilis annis,
Æ. 1. Virginis os, habitumque gerens, * cui plu- Æ. 12
rimus ignem
Subjecit rubor[2], et calefacta per ora cucurrit,
Æ. 7. Intentos volvens oculos, * uritque[3] videndo. G. 3

1. *Veneris justissima cura*, quam Venus merito amat. Ed.

2. *Cui plurimus ignem Subjecit rubor*. Hypallage, pro « ignis subjecit ruborem ». Et hinc optime Souchayus interpretatur: Cui magnus ardor suffudit ruborem, et pervasit vultum calentem. Ed.

3. *Uritque videndo*. Passive hic, ut et apud Virgilium, *videndo*, i. e. quum videtur, quasi si scribatur *uritque videntes*. Ed.

Æ. 7. Illam omnis tectis, agrisque effusa juventus,
Turbaque miratur matrum: * vestigia primi Æ. 5
Alba pedis; * dederatque comam diffundere Æ. 1 ventis.
Æ. 3. Fert picturatas auri subtemine vestes,
Æ. 1. Ornatus[1] Argivæ Helenæ: * qualisque videri Æ. 2
Æ. 2. Cælicolis, et quanta solet * Venus aurea Æ. 10 contra,
Æ. 6. Talis erat species, * talem se læta ferebat Æ. 1
Æ. 2. Ad soceros; * solioque alte subnixa resedit. Æ. 1

1. *Ornatus Argivæ Helenæ.* In Centone ipso (cujus multa nescias, an aptius decentiusve apud ipsum Virgilium, unde arcessita sunt, locata videantur), hemistichium est: « Ornatus Argivæ Helenæ. Cælicolis et quanta solet Venus aurea contra ». Quod in mensuram justi carminis ex MS cod. duntaxat uno, ita integrandum est: « Ornatus Argivæ Helenæ: qualisque videri Cælicolis, et quanta solet Venus aurea contra, talis erat species ». MARIANGELUS ACCURSIUS.

DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSI.

Æ. 9. AT parte ex alia * foribus sese intulit altis Æ. 11
Æ. 9. Ora puer prima signans intonsa juventa,
Pictus acu chlamydem auratam[1], * quam Æ. 5 plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa[2] cucurrit,
Æ. 10. Et tunicam molli mater quam neverat auro;
Æ. 1. Os, humerosque Deo similis, * lumenque Æ. 1 juventæ.
Æ. 8. Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer[3] unda

1. *Chlamydem auratam.* Indumentum Imperatorium et militare, cujus oras gemina prætexta purpura flexu sinuoso et in se remeabili cingit. ED.

2. *Melibœa.* Melibœensis, ex Melibœa Thessaliæ civitate, teste Servio.

3. *Lucifer*, Phosphorus; stella Veneris, quam Oceano tingi ex more poetarum dicit, qui mane emergere mari astra, et in illud condi vespere putarunt.

Extulit os sacrum cælo;* sic ora ferebat, Æ. 3
Sic oculos,* cursuque amens ad limina tendit. Æ. 2
Æ. 2. Illum turbat amor, figitque in virgine vultus:
Æ. 1. Oscula libavit,* dextramque amplexus inhæsit. Æ. 8

OBLATIO MUNERUM.

Æ. 5. Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Dona ferunt,* pallam signis, auroque rigentem, Æ. 1
Æ. 11. Munera portantes, aurique eborisque talenta [1],
Et sellam [2],* et pictum croceo velamen acantho. Æ. 1
Æ. 1. Ingens argentum mensis,* colloque monile Æ. 1
Baccatum [3], et duplicem gemmis auroque coronam.
Æ. 5. Olli serva datur [4],* geminique sub ubere nati. Æ. 5
Æ. 10. Quatuor huic juvenes,* totidem innuptæque puellæ: Æ. 2
Æ. 5. Omnibus in morem tonsa coma.* Pectore summo Æ. 5
Flexilis obtorti per collum circulus auri [5].

1. *Talenta.* Verti pondera. Est enim talentum, non numerus, sed pondus pecuniæ. Atticum quidem sexaginta minarum Atticarum erat. Sed de his vide Budæum de Asse; et nos in Martial. t. I, p. 491. Ed.

2. *Et sellam* curulem vel gestatilem; cujusmodi Hexaphoris, vel Octophoris matronæ utebantur. — *Acantho.* Foliis acanthi opere Phrygio expressis: cujusmodi foliis ornantur columnarum Corinthiarum capitula.

3. *Monile Baccatum.* E baccis margaritarum.

4. *Olli serva datur. Olli* ad sponsam referendum in interpretatione, *huic* vero ad sponsum, respiciens ad munerum genus utrique conveniens.

5. *Flexilis obtorti circulus auri.* Vel quod hujus modi torques ex annulis aureis tortis et inflexis constarent, vel quod essent funiculi filis aureis tortis contexti. Unde *torquis* a torquendo. Ed.

EPITHALAMIUM UTRIQUE.

Æ. 12. Tum studio effusæ matres * ad limina ducunt. Æ. 10
G. 4. At chorus æqualis, * pueri innuptæque puellæ, Æ. 2
G. 2. Versibus incomptis ludunt : * et carmina dicunt. Æ. 6
B. 8. O digno conjuncta viro, * gratissima conjux, Æ. 10
Æ. 1. Sis felix, * primos Lucinæ[1] experta labores, G. 4
G. 4. Et mater. Cape Mæonii carchesia[2] Bacchi.
B. 8. Sparge, marite, nuces[3]. * Cinge hæc altaria vitta, B. 8
Æ. 8. Flos veterum, virtusque virum : * tibi ducitur uxor, B. 8
Æ. 1. Omnes ut tecum meritis pro talibus annos

1. *Primos Lucinæ*, etc. Metonymice primum partum exprimunt, quem sponsæ optant felicem. Notum, Lucinam, seu Junonem Lucinam, seu Ilithyiam, Deam esse puerperiorum præsidem.

2. *Mæonii carchesia Bacchi.* Carchesia sunt tabulata illa, quæ in summis navium malis sunt : *les hunes*. Ab iis pocula quædam figuræ consimilis Carchesia dicta, ut hoc loco. Bacchus porro Mæonius dictus est, a Mæonis Minoris Asiæ regione, in qua nullas præter vitem arbores nasci ferunt.

3. *Sparge, marite, nuces*, ex Ecloga VIII Virgilii, ad quem locum Servius : « Idem Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit sicut Juno. Nam nuces in tutela sunt Jovis, unde et juglandes vocantur, quasi Jovis glandes. Nam illud vulgare est, ideo spargi nuces, ut a rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis possit audiri, etc. » Mos hic fluxisse a Græcis videtur. Apud Athenienses enim, novus maritus nuces juglandes, amygdalas, aliaque id genus spargebat, largitionis gratia. Atque hæc καταχύσματα vocabant, quasi dicas, effusiones. — *Cinge hæc altaria vitta.* Morem aliquem in nuptiis usitatum tangit. Cingebatur fortasse ara, ut, uni addicta viro, materfamilias pudicitiam adversus alienos munitam undique habere debere ostenderetur.

Exigat; et pulchra faciat te prole parentem.
Æ. 9. Fortunati ambo,* si quid pia numina possunt. Æ. 4
Æ. 3. Vivite felices. * Dixerunt, currite, fusis[1], B. 4
Concordes stabili fatorum numine[2] Parcæ.

1. *Dixerunt, currite, fusis.* Sic Catull. in Epith. Pel. et Thet. Carm. LXI, v. 321, inducit Parcas nascituri Achillis fata canentes. ED.

2. *Numine*, i. e. *decretum*. Numen et nutus a nuo (unde annuo, et abnuo) non modo Deum, sed nutum et voluntatem significat.

INGRESSUS IN CUBICULUM.

G. 4. Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum,* licito tandem sermone fruuntur. Æ. 8
Æ. 8. Congressi jungunt dextras; * stratisque reponunt. Æ. 4
Æ. 1. At Cytherea novas artes,* et pronuba[1] Juno Æ. 4
Æ. 11. Sollicitat: suadetque ignota lacessere bella.
Æ. 1. Ille ubi complexu * molli fovet: atque repente Æ. 8
Accepit solitam flammam, * lectumque jugalem; Æ. 4
Æ. 6. O virgo, nova mi facies!* Gratissima conjux, Æ. 10
Æ. 6. Venisti tandem,* mea sola, et sera voluptas! Æ. 8
Æ. 2. O dulcis conjux, non hæc sine numine Divum
Æ. 12. Proveniunt! * placitone etiam pugnabis amori? Æ. 4
Æ. 4. Talia dicentem jamdudum aversa tuetur!
Æ. 12. Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit:
Æ. 1. Spemque metumque inter,* funditque has ore loquelas: Æ. 5

1. *Pronuba Juno.* Παράνυμφος Græcis. *Zygia* Juno apud Apuleium, i. e. conjugalis, a ζυγὸς, seu ζεύγνυμι. Medea apud Senec. « Dii conjugales, tuque Genialis tori Lucina custos ».

Æ. 10. « Per te, per, qui te talem genuere, parentes,
B. 2. O formose puer,* noctem non amplius unam Æ. 1
Æ 9, Hanc tu, oro, solare inopem, * et miserere Æ. 10
precantis !
Æ. 12. Succidimus! Non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires; nec vox aut verba sequuntur ! »
Æ. 9. Ille autem : « Caussas nequidquam nectis inanes ».
Æ. 12. Præcipitatque moras omnes,* solvitque pu- Æ. 4
dorem.

PARECBASIS.

Hactenus castis auribus audiendum mysterium nuptiale, ambitu loquendi, et circumitione velavi. Verum quoniam et Fescenninos (1) amat celebritas nuptialis, verborumque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit; cætera quoque cubiculi et lectuli operta prodentur, ab eodem auctore collecta: ut bis erubescamus, qui et Virgilium (2) facimus impudentem. Vos, si placet, hic jam legendi modum ponite: cætera curiosis relinquite.

(1) *Et Fescenninos.* Vossianus alter particulam *et* ante *Fescenninos* inserit.

(2) *Qui et Virgilium facimus impudentem.* Hic non videtur Ausonius ire in sententiam eorum, qui Priapeia et Latinos lusus, si non omnes, maxima saltem ex parte Virgilium auctorem habere existimant; ut Carrio ad Val. Flacc. III, 709, et hunc indicari Burmannus putat a Maserio ad ejusdem poetæ lib. V, 643, ubi dicit : « Opusculum hoc ab eo editum, qui si unda Parthenius est, sale tamen Gnidius ». Favere quidem his possent, quæ leguntur apud Serv. ad init. Æn. I, ubi inter reliqua Virgilii scripta enumerat Priapeia. Sed Jos. Scalig. admonuit frustra hæc Partheniæ, seu Virgilio, a viris doctis tribui, et potius Petronio nonnulla adjudicanda esse censuit. In eadem sententia sunt P. Bembus, Dissert. de Culice Virg. p. 790, et Vossius de Poet. Lat. cap. 2, p. 27. Ed.

IMMINUTIO[1].

Æ. 11. Postquam congressi * sola sub nocte per Æ. 6 umbram,
G. 3. Et mentem Venus ipsa dedit,* nova prælia Æ. 3 tentant.
Æ. 10. Tollit se arrectum : * conantem plurima Æ. 9 frustra,
Æ. 10. Occupat os, faciemque; *pedem pede fer- Æ. 12 vidus urget,
Æ. 7. Perfidus alta petens :* ramum qui veste la- Æ. 6 tebat[2]
B. 10. Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem,
Æ. 12. Nudato capite,* et pedibus per mutua nexis, Æ. 7
Æ. 3. Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Æ. 10. Eripit a femore, et trepidanti fervidus instat.
Æ. 1. Est in secessu,* tenuis quo semita ducit, Æ. 11
Æ. 8. Ignea rima micans:* exhalat opaca mephitim. Æ. 7
Æ. 6. Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
Æ. 7. Hic specus horrendum. * Talis sese halitus Æ. 6 atris
Æ. 6. Faucibus effundens,* nares contingit odore. Æ. 9
Æ. 11. Huc juvenis nota fertur regione viarum :
Æ. 5. Et super incumbens* nodis et cortice crudo Æ. 9
Æ. 9. Intorquet, summis adnixus viribus, hastam[3].

1. *Imminutio.* Usurpavit imminutionem pro primo congressu, quod tum virginitas imminuatur. Sic Plautus in Cistellaria, « imminuere pudicitiam », dixit pro auferre. Turnebus.

2. *Ramum qui veste latebat.* Nævius apud Nonium : «Puerum mulieri præstare nemo scit, quanto melior sit, cujus vox gallulascit, cujus jam ramus roborascit ». Tollius, apud quem pro *Nævio* legitur *Novius*, minus usitatus.

3. *Hastam.* Est illud festivissimum parodiarum genus, quum servalis iisdem verbis sententia longe

Æ. 11. Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Æ. 2. Insonuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ.
Æ. 11. Illa manu moriens telum [1] trahit: ossa sed inter
G. 3. Altius ad vivum persedit * vulnere mucro. Æ. 11
Æ. 4. Ter sese adtollens cubitoque innixa levavit,
Ter revoluta toro est: * manet imperterritus Æ. 10
ille.
Æ. 3. Nec mora, nec requies; * clavumque adfixus Æ. 5
et hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
Æ. 6. Itque, reditque viam totiens, * uteroque Æ. 2
recusso
Æ. 9. Transadigit costas, * et pectine pulsat eburno. Æ. 6
Æ. 5. Jamque fere spatio extremo, fessique, sub ipsam
Finem adventabant: * tum creber anhelitus Æ. 5
artus,
Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis;
Æ. 11. Labitur exsanguis; * destillat [2] ab inguine G. 3
virus.

alio detorquetur. Velut illud apud Ausonium in Centone, quem totum eo genere confecit: « Intorquet summis adnixus viribus hastam ». Nam quum legisset apud Virgilium id de Pandaro dici, qui Turnum oppugnabat, ad nugas nuptiales transtulit. Rutgersius, Lect. lib. II, cap. 2. — *Hastam* quoque in Priapeiis, epigr. 45: « Velle quid hanc dicas, quamvis sim ligneus, hastam? » et epigr. 57. Hastam vero hac in re vocem esse nequitiæ docet Menag. ad Diogen. Laert. lib. VI, cap. 53. Ed.

1. *Telum*. Hoc sensu quoque in Priapeiis usitatum, ut et *vulnus* vs. seq. Martial. XI, 79: « cupido dabit illa marito Dum metuit teli vulnera prima novi ». Sic in venustissimo epigr. de Arethusa, Anth. t. I, p. 692, legendum est: « Inque modos omnes, ductus imitata tabellæ, Transeat, et telo pendeat illa meo », quod Ruhnkenius ex interioribus artis amatoriæ mysteriis explicat de venerea palæstra, quam κελητίζειν dicunt Græci, et de qua Ovid. Art. Am. III, vs. 777: « Parva vehatur equo; quod erat longissima, numquam Thebais Hectoreo nupta resedit equo ». Ed.

2. *Destillat*. Sic in emendatioribus Virgilii libris omnibus hæc vox scribitur. Vide ad Virg. nost. edit. tom. I, p. 465. Ed.

Contentus esto, Paule mi,
Lasciva, Paule, pagina:
Ridere nil ultra expeto.

Sed quum legeris, adesto mihi adversum eos, qui, ut Juvenalis ait,

Curios simulant, et Bacchanalia vivunt:

ne forte (1) mores meos specteut de carmine.

Lasciva est nobis pagina, vita proba,

ut Plinius dicit (2). Meminerint autem, quippe eruditi, probatissimo viro Plinio in poematibus lasciviam, in moribus constitisse censuram. Prurire opusculum Sulpitiæ, frontem caperare (3): esse Apuleium in

(1) *Ne forte.* Omnia uostra exemplaria habent *fortasse;* sed istud pro *forte* scripsisse potuit imperitus et uegligeus librarius. Ego enim sicut, si *forte*, ita et, *ne forte*, tam frequenter apud bouos auctores iuveuio, veluti apud Virgilium, Ecl. III, 29: « ne forte recuses », et Ciceronem ad Quintum fratrem, Epist. II: « Ne forte me iu Græcos tam ambitiosum factum esse mirere », ut ubicumque *si fortasse*, et *ne fortasse* in illis reperio, mendum esse suspicer. Vinetus.

(2) *Lasciva est nobis... ut Plinius dicit.* Hic ultimus versiculus apud Martialem quoque legitur. Sed idem versus potuit a duobus usurpari, ut suut aliquot apud Ovidium et Tibullum. Quare inepte hic quidam pro *Plinio* Martialem substituerunt: quum notissimum sit ipsum Plinium lascivos versiculos scripsisse. Quod vel ex ipso Plinio patet ad Poutium, Epist. lib. VII. Scaliger. — Meminit nou semel Plinius junior, de quo hic sermo, edita a se carmina, quæ, post Ausouii tempora, intercidere potuerunt. Eorum sane lasciviam excusare nititur duabus præsertim Epistolis.

(3) *Prurire opusculum Sulpitiæ, frontem caperare.* Alter scriptus, teste Tollio, habuit: *Prurire opusculum, Sulpitiive frontem caperare*, uullo quidem seusu. Iu eo enim membro, ut in cæteris, debet esse oppositio. Præterea Sulpitiæ exstat Satira, et apud Juveualis interpretem, obscœui, ut videtur, operis fragmeutum: « Ne me Cadurcis destitutam fasciis, Nudam Caleno concubantem proferat ». De eadem Sulpitia meminerunt quoque Martialis, et Sidonius, Carm. IX: « Non quod Sulpitiæ jocus Thaliæ

vita philosophum, in Epigrammatibus (1) amatorem; in præceptis omnibus exstare severitatem, in Epistolis ad Cærelliam (2) subesse petulantiam. Platonis Symposion composita in ephebos Idyllia continere (3). Nam quid Anniani Fescenninos (4)? quid antiquissimi poetæ Lævii (5) Erotopægnion libros lo-

Scripsit blandiloquum suo Caleno ».

(1) *In Epigrammatibus amatorem.* Perierunt inter alia, hæc Apuleii Madaurensis amatoria, de quibus ipse in priore Magiæ Apologia.

(2) *In Epistolis ad Cærelliam.* Hic excidit nomen disertissimi nepotum Romuli. Nam Cærellia ista nihil ad Apuleium pertinet, sed studio philosophiæ familiaris fuit Ciceroni, cujus ipse meminit lib. XII ad Atticum, et lib. XXIII: « Mirifiee Cærellia stndio videlicet Philosophiæ flagrans, ètc. » Cujus etiam consuetudinem viro sanctissimo exprobrant obtrectatores ejus Fusius Calenus non magis, quam Dio. Fuit igitur: *Ciceronis in præceptis omnibus.* Sic adpellat innocentes jocos: si tamen illæ Ciceronis Epistolæ fuerunt, et non lascivientium ingeniorum: quales qui in eum Sallustii, et in Sallustium ejus declamationes subjecerunt. Gronov. — Meminit harum Ciceronis ad Cærelliam Epistolarum Quintilian. Instit. lib. VI, cap. 3: « Etiam illud quod Cicero Cærelliæ scripsit reddens rationem, cur illa C. Cæsaris tempora tam patienter toleraret: Hæc aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho ». Tollius.

(3) *In ephebos Idyllia continere.* Platonis nulla carmina exstant, nisi amoris Elegia. Nam cætera omnia (credo, quod tam lepida non erant) igni densit: Apuleius Apologiæ fere initio; ubi et puerum quem amavit *Astera* vocat; aliaque Epigrammata amatoria Platonis recenset, quæ vide. Scriverius.

(4) *Anniani Fescenninos.* Qui canebantur in nuptiis, ut Festus auctor est. Æqualem sibi fuisse tradit Gell. Noct. Att. lib. XX, cap. 1: « Annianus poeta in fundo suo, quem in agro Phalisco possidebat, agitare erat solitus vindemiam hilare atque amœniter. Ad eos dies me et quosdam familiares vocat ». Fescenninos autem sic dictos vult Festus, vel quia ab urbe Fescennia adlati, vel quia fascinum putabantur arcere.

(5) *Lævii.* Perperam legitur *Livius. Lævius* est is qui poema *Io* scripsit: item *Erotopægnia.* Quæ lascivissima fuisse indicat tum titulus, tum etiam Ausonius ipse. Sed molles ex illis adferuntur versiculi isti de corona plectili: « Andromacha per ludum manu Lascivula, tenellula Capiti meo trepidans, lubens Insolita plexit munera ». Lævii mentio est apud Porphyrionem Horatii interpretem, lib. III, Od. 1, vs. 2: « *Carmina non prius audita.* Romanis utique non prius audita. Quamvis *Lævius* Lyrica ante Horatium scripserit ». Scaliger. —Hunc

quar? quid Evenum (1), quem Menander sapientem vocavit? quid ipsum Menandrum? quid comicos omnes, quibus severa vita est et læta materia? Quid etiam Partheniam dictum caussa pudoris (2)? qui octavo Æneidos (3), quum describeret coitum Veneris atque Vulcani, Αἰσχροσεμνίαν (4) decenter immiscuit. Quid in tertio Georgicorum de submissis in gregem maritis? nonne obscœnam significationem honesta verborum translatione velavit? Et si quid

locum emendavit Had. Junius, repositque *Lævii*, pro *Livii*, quod antes legebatur. Citat e *Lævii Erotopægniis* hæc Nonius: « Nocte nt upertus amictn latibuletur ». Et istos Apuleius in Apologia versiculos, ut emendavit Salmasius: « Antipathes illud quærito, Philtra umnia nndique irrnunt, Trochus, pili, nngues, tæniæ, Radiculæ, herbæ, surculi, Sauri, illices, bicodulæ, Hinnientium dnlcedines ». E quibus patet, quare Lævium Pueta noster in sni defensiunem sdduxerit ». Tullius. — Hunc Lævium Werus. in præf. ad hujus op. t. II, Livium Andronicum esse puts t. Ed.

(1) *Quid Evenum*. Huc multa ex Gyraldu congessit Scriverius de duobus Evenis, iisdemque e Paro insnla, et Elegiographis. Sed miror Had. Junium pro *Eveno* repuni velle *Euhemerum*. Certe, ex iis quæ adfert, nun efficitur, poetam fuisse Euhemerum aut Erotica scripsisse. Immo constat Evenum amatoriis scribundis animum adpulisse, tum ex Artemid. lib. I, cap. 5, tum ex Arriann in Epictetum, ubi hæc legere est, ἀντὶ Χρυσίππου, καὶ Ζήνωνος Ἀριςείδην ἀναγινώσκεις, καὶ Εὐηνὸν, οὐδὲν ἀπολώλεκας. Solent quidem Evenus et Euhemerus a librariis confundi, nt jam a Carrione et Nunnesio observatnm.

(2) *Quid etiam Partheniam dictum caussa pudoris?* Sic vulgu creditur Virgilium Neapoli adpellatum fuisse ἀπὸ τοῦ παρθένος, quod instar virginis moribus esset castissimis. Verum ubstant Bucolica, et quæ de illius nimia in pueros propensiune memuriæ prodita sunt. Igitur malim accedere Huetio. Censet nimirum idcirco Neapoli *Partheniam* dictum, quod Virginium pro Virgilio gens Græca scciperet. Huetian. p. 127.

(3) *Octavo Æneidos*. Eu versus quibus Veneris atque Vulcani coitum describit: « Optatos dedit amplexus, plscidamque petivit Cunjugis infusus gremio per membra quietem ».

(4) Αἰσχροσεμνίαν [Γλισχροσεμνίαν]. Commntatione literarum haud imparilinm, mendæ hic obscuritas cuntracta est. Meo igitur ipsius periculu, αἰσχροσεμνίαν emendabis, hoc est, pudicam turpitudinem. Compusitiune sane lepida eruditaque, nec ab eo remuta penitus, quod Gellius hunc quoque Vulcani

in nostro joco, aliquorum hominum severitas vestita condemnat, de Virgilio arcessitum sciat. Igitur cui hic ludus noster non placet, ne legerit : aut quum legerit, obliviscatur : aut non oblitus, ignoscat. Etenim fabula de nuptiis est : et velit, nolit, aliter hæc sacra non constant (1).

Venerisque congressum, pudisecretum nominarit, σεμνὸν enim pudicum dicimus, αἰσχρὸν turpe, perstricta scilicet voce (ut ait Plato in Cratylo) quæ fuerit αἰσχόῤῥουν, quasi ἀεὶ ἴσχον ῥοῦν, id est, semper impediens fluxum, quod vituperandum sit agitationis obstaculum. MARIANGELUS ACCURSIUS.

(1) *Aliter hæc sacra non constant.* Erasmus Adagio 88, Centuriæ 4, Chiliad. 2 : « Hoc adagio licebit uti, si quando fatebimur culpam, sed quæ rei locoque conveniat ». VIR.

EXCURSUS.

Ludicro quod Græci, etc. Multis mendis deformata sunt verba Ausonii in re scitu dignissima; adeo, ut mendosa editio bono viro et erudito Brodæo imposuerit, quem et alii quoque sequuti sunt. Non enim ullus lusus est ossiculorum, ut ipse putat. Neque umquam tale quid Veteres habuerunt. Hoc enim a mente Ausonii alienissimum. Neque animadvertit, quid interesset inter lusum, et « ludicrum »: hoc est, inter παιδιὰν, καὶ παίγνιον. Sed fefellit hominem, ut dixi, lectio mendosa, ὀςομαχίαν pro ςομάτιον· et *ossicula* pro *oscilla* legentem. Ac ne hæc quidem tantummodo mendosa, sed et sequentia male ab interpunctionibus accepta sunt. Quæ prius ita, uti legenda sunt, proponam: deinde ad eorum interpretationem aggrediar. Nam ita et emendandum, et interpungendum: « Simile ut dicas ludicro, quod Græci ςομάτιον vocavere. Oscilla ea sunt. Ad summam quatuordecim figuras Geometricas habent. Sunt enim æquilatera, vel triquetra, extentis lineis: aut rectis angulis, vel obliquis: isoscele, vel isopleura: orthogonia quoque, vel scalena. Harum vertibularum variis coagmentis simulantur species mille formarum; elephantus bellua, aut aper bestia, anser volans, et mirmillo in armis, subsidens venator, et latrans canis, quin et turris, et cantharus, et alia hujusmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio scientius variegant ». Hæc verba ita procul dubio legenda sunt, et distinguenda. Nam quin recte ςομάτιον, et *oscilla* emendaverimus, præter conjecturam certissimam, qua usi sumus, fidem fecerit vetus Glossarius, in quo scriptum legitur: *Oscillum*, ςομάτιον· sunt enim larvæ et προσωπεῖα, ut ex Macrobio cognoscimus, quæ in αἰώραις, et jactationibus ludicris Rustici ori opponebant, ut essent ma-

gis ridiculi. Virgilius in libro sec. Georg. vs. 387: « Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis ». Intelligit enim *Oscilla* ex corticibus arborum: quem morem Atheniensium tangit et Maurus Terentianus. A quo jactationes ipsas, et cernuationes, quas Græci vocant αἰώρας, etiam *Oscilla* adpellarunt. Idem : « Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu ». Hic autem apud Ausonium nostrum et ipsæ larvæ sunt, seu personæ, quæ sic aptæ et coagmentatæ erant: ut articuli ejus vertibulæque, quibus commissæ erant, in omnem partem flecterentur, et figuras omne genus exprimerent. Eæ in convivium medium jaciebantur, et illis eas figuras Rex convivii exprimebat, ut mutationis et brevitatis vitæ commonefaceret : et propterea bibendum esse, ut nihil de fructu hujus vitæ pereat, diceret. Id omnino plane ac diserte ex Petronio cognosces. Cujus verba adposui : « Potantibus ergo, et accuratissime lautitias nobis mirantibus, larvam argenteam adtulit nobis servus sic aptam, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc quum super mensam semel iterumque abjecisset, et catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit: Heu, heu nos miseros! quam totus homuncio nil est! * * * Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus. Ergo vivamus, dum licet esse bene ». Plin. lib. VII, cap. 53 : « Quum populo admodum placuisset, et natali die suo convivium haberet, edita cœna calidam potionem in pultario poposcit, simulque personam ejus diei acceptam intuens, coronam e capite suo in eam transtulit ». Ubi de persona quæ in conviviis circumferebatur intelligendum. Ex quibus primum mentem Ausonii ita aperimus, ut nihil potuerit melius excogitari; et somnium Brodæi de *ostomachia*, et *ossiculis* explodimus. Deinde indicatur usus earum larvarum. Quod iis in conviviis præsentes celeris mutationis vitæ commonefacerent. Nam alioqui semper in conviviis mortis mentionem injiciebant, et caput mortui, ubi ejus larvæ copia non erat, vel in mensa adponebant et manibus versabant, vel e tri-

clinio seu stibadio suspendebant : ut eo uterentur ad eamdem rem, ad quam et larva illa; hoc est, ad hortandum ad bibendum. Quod novimus ex Epigrammate Græco, in quo non solum caput mortui, seu cranium, idem facit quod apud Petronium larva; sed et ea exhortatio pro cumulo subjicitur, quam addidit Trimalcio in Epigrammate suo. Horum συμποτικῶν ἐπιφωνημάτων pleni sunt libri Veterum, præsertim Martialis, et Græcorum. Neque dubium est, quin in cœnatione seu stibadio Domitiani Cæsaris, quod propter exiguitatem ipse vocavit *Micam auream*, a tholo penderet cranium mortui, quod mortis admoneret. Id Martialis videtur velle hoc in Micam auream Epigrammate; « Mica vocor : quæ sim, cernis : cœnatio parva. Ex me Cæsareum suspicis inde tholum. Frange toros : pete vina : rosas cape : tingere nardo. Ipse jubet mortis te meminisse Deus ». Videtur enim in tholo ipso larva illa, aut cranium fuisse. Hunc autem morem homines in convivio mentione mortis ad hilaritatem provocandi ab Ægyptiis accepisse videntur. Herodotus, lib. II. SCALIGER.

Στομάτιον. De ludicro ὀστωματίων, quæ ossicula sunt, noli dubitare quin vere divinarim. Legendum apud Ausonium : « Simile ut dicas ludicro quod Græci ὀστωματίων vocavere. » Ossicla ea sunt. Perperam hodie *oscilla* ibi legas, et στομάτιον. Nec moror Glossas, quæ στομάτιον etiam scribunt, nempe pro ὀστωμάτιον. Sic σχίσια κόμματα vocant quæ sunt ἰσχίσια· et *Schiadicos* puto reperiri apud Marcianum Capellam pro *Ischiadicis*. Inde *Schiaticam* vocamus hodie hunc morbum, sive dolorem, pro ἰσχιαδικῇ. ὀστῶσαι est ossiculare. Inde ὀστώματα et ὀστωμάτια. Hæc in Scheda Cl. Salmasius. Magnus Felix Ennodius, Episcopus Ticinensis, in Epigrammatibus, DE STOMATIO EBURNEO : « Sollicitata levi marcescunt corda virorum Tormento : fas est ludere virginibus. Frangunt, Marmaricis elephas quod misit ab arvis, Per micas sparsum mox solidatur opus. De Pœno teneræ discunt cum fraude jocari.* Nam ridere necis munere, femineum est. Angusta norunt res

mille includere capsa: Omne ebur hoc, mulier, pectoris arca tui est ». Quo Epigrammate hoc ludicri genus graphice, et plenius quam ab Ausonio describitur. Primum ostendit ossicula hæc eburnea fuisse, quæ frustillatim sparsa, in unum coagmentarentur, mille formas et simulacra, quod et Ausonius monet, variegata concinnatione repræsentantia. Deinde videtur Antistes Ticinensis, non sine aliquo morsu et sale in sequiorem sexum, innuere hoc ludicrum Pœnis deberi, atque ex Africa in Europam translatum: si quidem me, vulgatas editiones castigantem, audias, in quibus legitur: *De pœna teneræ*, et mendosius *De pœna temeræ*. Quod si emendandum ita, ut dixi, non sit, tentabunt alii melius, et exponent quid hic et sequenti pentametro, sive auctor, sive librarii velint, quod equidem cum ignarissimis scio. Quis autem ignorat, *Punicam fidem*, proverbiis nobilitatam? quæ *Pœna fides*, Auson. Epist. X, 42. De fluxa mulierum fide nihil attinet dicere. Porro, adparet ex hoc loco, ossicula hæc capsula recondi solita, *ad res mille*, ut ait Ennodius, indidem promendas, quum animi relaxandi caussa puellæ hac arte vellent ludere. Doctissimus Sirmondus, in notis suis ad illum auctorem, interpretatur *Stomatio eburno*, oscillo: et Glossarii locum adhibet, putatque eodem spectare larvam argenteam Petronii Arbitri, cujus catenatio mobilis diversas figuras exprimebat. Qui quum hunc errorem Scaligero, quem sequitur, communem habeat, refutatione alia non indiget. Hæc scripseram, quum iterato de hoc ludicro cum amico meo Cl. Salmasio loquutus, accepi ab illo locum Atilii Fortunatiani, qui de Metris scripsit, et locum quidem emendatiorem quam in editionibus; capite de Hendecasyllabo Phalæcio: « Nam si loculus ille Archimedius quatuordecim eboreas lamellas [ecce totidem agnoscit Ausonius] quarum anguli varii sunt, in quadrata forma inclusas habet, componentibus nobis aliter atque aliter, modo galeam, modo sicam, alias columnam, alias navem figurat, et innumerabiles efficit species; solebatque nobis

pueris hic loculus ad confirmandam memoriam plurimum prodesse; quanto majorem potest nobis adferre voluptatem, quantoque pleniorem utilitatem carmina inter manus habentibus metrorum varia tractatio, quum subinde apud Poetas ea, quæ fallunt imperitos, metra inserta numeris, et intermixta carminibus deprehendamus? » Distorta vulgo hæc verba, et interpunctione laborant, etiam in Putschiana editione: *quando* et *quandoque* perperam legitur, pro *quanto* et *quantoque*. Jam *quadrata* illa *forma*, in qua inclusæ lamellæ angulis variis, ipse loculus est: *capsam* vocat Ennodius. *Scriverius*.

AUSONII

TECHNOPÆGNION*.

AUSONIUS PACATO (1) PROCONSULI.

Scio mihi apud alios pro laboris modulo laudem non posse procedere. Quam tamen si tu indulseris, ut ait Afranius in Thaide (2),

Majorem laudem (3), quam laborem invenero.

Quæ lecturus es, Monosyllaba sunt, quasi quædam

* Vocis etymon habes pag. seq. nota ultima. Vox *Technopægnion* est ab Ausonio ficta, nec alibi, qnod sciam, oecnrrit. — Exstant tamen Livii vel Lævii Andronici enjusdam, quem Wernsd. inter Poetas lyrieos eitat, *Erotopægnia*. Ed.

(1) *Pacato.* Hic est Latinus Drepanius Pacatus.

(2) *Ut ait Afranius in Thaide.* Unus ex decem comieis qui post Livium Andronieum claruerunt; Terentio jnnior, ut patet ex eo Afranii versn qnem adlegat Vossins: « Terentio non similem dices quempiam ». Afranii, Cæcilii, Terentiique opera dulces Latini sermonis facetias floruisse tradit Vell. Patercul. lib. I. Togatis exeellnisse Afraninm anctor Quintil. lib. X, cap. 1, at moribns fnisse perditis; unde idem Quintil. ait: « Utinam non inqninasset argumeuta puerornm fœdis amoribus, mores suos fassus ». Menandrum præcipue imitatns est, et ab ipso permulta se snmpsisse non diffitetur, nt in Compitalibus, ubi obtrectatoribus suis respondens hæc ait: « Fateor, sumpsi non a Menandro modo, Sed ut quisque habuit, qnod conveniret mihi: Quod me non posse melius facere eredidi ». Interciderunt ejnsdem scripta, nisi quod a veteribus Grammatieis quædam ex fabnlis variis loea proferuntur: qnæ vide inter veterum Poetarum fragmenta, nbi miraberis versum ab Ausonio laudatum, « Majorem laudem, qnam laborem invenero », desiderari, saltem in ed. Lond.

(3) *Majorem laudem.* Hie est versns senarins ex Afranii comœdia togata, cni nomen Thais.

puncta sermonum : in quibus nullus facundiæ locus est, sensuum nulla conceptio, propositio, redditio (1), conclusio, aliaque sophistica (2), quæ in uno versu esse non possunt : sed cohærent ita, ut circuli catenarum separati. Et simul ludicrum opusculum texui, ordiri majuscula solitus (3) : sed in tenui labor (4), at non tenuis gloria, si probantur. Tu facies ut sint aliquid (5). Nam sine te Monosyllaba erunt, vel si quid minus. In quibus ego, quod ad usum pertinet (6), lusi : quod ad molestiam, laboravi. Libello Technopægnii nomen (7) dedi : ne aut ludum laboranti, aut artem crederes defuisse ludenti. Vale.

(1) *Propositio*, *redditio*. Græci Rhetores πρότασιν et ἀνταπόδοσιν dicunt. Locum habent in partibns orationis omnibns quæ duplices sunt, ut in similitudine, dissimilitndine, diversis, comparatis, etc. quæ in dissolutis hujusmodi versibns locnm habere vix possunt.

(2) *Aliaque sophistica*. Rhetorica, seu declamatoria. Declamatores enim Græcis σοφισταὶ dicti; talis Libanius, et Himerius a Wernsdorfio editus, et alii.

(3) *Ordiri majuscula solitus*. Hinc licet inferre Technopægnion non nisi post Mosellam, aliave majora, scriptum fuisse.

(4) *Sed in tenui labor*, etc. Virgilianum est lib. IV Georg. 6 : « In tenui labor; at tenuis non gloria, si quem Numina læva sinnnt, etc. »

(5) *Tu facies, ut sint aliquid*. Sic amicis, quorum judicia experiri se velle profitentur, insidiari solet Poetarum genus, nt vel nugas snas ipsis adprobent.

(6) *Quod ad usum pertinet*. Quasi dicat; si quæras cni bono, cui sunt usui hæ nugæ? respondebo nulli, et me in iis scribendis nullius utilitatem spectavisse, sed tantum lusum, et oblectationem meam. Si vero quæras quam molestum mihi fnerit hæc scribere, respondebo, me in iis scribendis plurimum laboris exhausisse.

(7) *Technopægnii nomen*. Quod est a Græcis vocibus, τέχνη, ars, et παίγνιον, lusus puerilis. Hinc Lilius Gyraldus lib. I de poetis : « Est Technopægnion (apud Ausonium Gallum) ludicrum quidem poema, verum multa arte compositum ».

AUSONIUS PAULLINO SUO *.

Misi ad te Technopægnion, inertis otii mei inutile opusculum. Versiculi sunt monosyllabis cœpti, et monosyllabis terminati (1). Nec hic modo stetit scrupea difficultas (2), sed accessit ad miseriam cogitandi, ut idem monosyllabum, quod esset finis extremi versus, principium fieret insequentis. Dic ergo et, o mora, o pœna (3)! rem vanam (4) quippe curavi: exigua est, et fastiditur: inconnexa, et implicatur: quum sit aliquid, vel nihili deprehenditur. Laboravi tamen, ut haberet aut historicon quippiam, aut dialecticon (5). Nam poeticam, vel sophisticam levitatem necessitas observationis exclusit. Ad summam, non est quod mireris: sed paucis literis additis, est cujus

* Nil ambigo Paullinum eumdem esse cui plures Ausonius inscribit Epistolas, et qui carminum scriptor Nolæ Episcopus fuit.

(1) *Monosyllabis cœpti, et ... terminati.* Hinc adparet non totum Technopægnii opus ad Paullinum misisse Ausonium; sed hoc tantum poemation quod sequitur.

(2) *Scrupea difficultas.* Festus: « Scrupi dicuntur aspera saxa, et difficilia adtrectatu ». Hinc malui vertere *aspera*, quam *ænigmatica*; ut Vinetus. Quid enim hic Ænigmaticum sit, non video. Plurimum certe esse asperitatis nemo non videt. Vinetus apud Gellium perperam legit *scrupos*, quum *scirpos* debuisset legere; hoc eum in errorem induxit. Locus Gellii est lib. XII, cap. 6: « Quæ Græci dicunt ænigmata, hoc genus quidam e nostris veteribus scirpos adpellaverunt, etc. »

(3) *O mora, o pœna!* Non hic *pœnam* pro labore, ut Vinetus, intelligo, sed pro eo, quod apud Latinos semper significat, supplicio scilicet; et moram pro tempore et labore in nugas inutiliter collocato: ut sensus sit, o labor seu opera male insumpta, sed quæ suum ipsa supplicium, culpæ suæ pœnam secum ferat, temporis male collocati laborem inanem.

(4) *Rem vanam quippe curavi.* Hæc est lectio MS codicis unius, quam ut aptissimam sequutus sum.

(5) *Aut dialecticon.* Quod dissertationem aliquam habeat. Suspica-

miserearis (1): neque æmulari velis (2). Et si huc quoque descenderis, majorem molestiam capias, ingenii et facundiæ detrimento, quam oblectationem, imitationis adfectu. Vale.

tur Vinetus *didacticon*, hoc est, quod doceat; bene.

(1) *Non est quod mireris; sed... cujus miserearis.* Paronomasia.

(2) *Est cujus miserearis : neque æmulari velis.* Sic et saniores viri eorum miserentur, qui ut nomina invertant, se ipsi excruciant, nec eosdem æmulari vellent. Talia fere scripserunt Græci, Securim puta, Alas, Ovum, et Porphyrii Idyllia figurata, etc. Quæ miror ad nos usque pervenisse, deperditis Menandri aliorumque fabulis.

VERSUS MONOSYLLABIS COEPTI ET FINITI, ITA UT A FINE VERSUS AD PRINCIPIUM RECURRANT.

Res hominum fragiles alit, et regit, et perimit fors.
Fors dubia, æternumque labans : quam blanda fovet spes.
Spes nullo finita ævo : cui terminus est mors.
Mors avida, inferna mergit caligine quam nox.
Nox obitura vicem : remeaverit aurea quum lux.
Lux dono concessa Deum, cui prævius est Sol.
Sol, cui nec furto Veneris latet armipotens Mars.
Mars nullo de patre satus, quem Thressa colit gens.

2. *Blanda fovet spes.* Respexit sane Poeta Eleg. Tibulli, lib. II, 7: « Finirent multi leto mala. Credula vitam Spes fovet, et melius cras fore semper ait. Spes alit agricolas, etc. »

7. *Furto Veneris.* Lege ex MS *furto in Veneris*, et intellige adulterium, in quo Mars cum Venere deprehensus et irretitus a Vulcano est : de hoc, in Gripho, vs. 27, ad hæc verba, « serus deprenso Marte satelles ». Vid. Reposiani Concub. Martis et Ven. sup. t. III, p. 324. Ed.

8. *Mars nullo de patre satus.* Junonis sine patre filius. Vid. Ovidius, Fast. lib. V. — *Quem Thressa colit gens.* Et cui homines immolat, teste Pomponio Mela, lib. II de situ orbis, et Ausonio.

Gens infræna virum, quibus in scelus omne ruit fas.
Fas hominem mactare sacris: ferus iste loci mos.
Mos ferus audacis populi, quem nulla tenet lex.
Lex naturali quam condidit imperio jus.
Jus genitum pietate hominum, jus certa Dei' mens.
Mens, quæ cælesti sensu rigat emeritum cor.
Cor vegetum mundi instar habens, animæ vigor ac vis.
Vis tamen hic nulla est: verum est jocus et nihili res.

15. *Mundi instar habens*. Figuram mundi. Fere rotundom cor est, ut mondus.

16. *Et nihili res*. Poemation eadem voce *res* absolvit, a qua inchoaverat.

PRÆFATIO MONOSYLLABORUM TANTUM IN FINE POSITORUM.

Ut in vetere verbo est, Sequitur vara vibiam (1): similium nugarum subtexo nequitiam. Et hi versiculi monosyllabis terminantur, exordio tamen libero,

(1) *Sequitur vara vibiam*. Pro hoc editiones vulgatæ habebant *sequitur ver hiemem*, perperam corruptum ioscitia librariorum, qui oec *varam* nec *vibiam* intelligebant. Qnomodo etiam legit Frasmus. Restitutum est ex veteri MS, io qoo legitur *sequitur vara bibiam*, etc. Quod proverbium ex veteribus Glossis MSS, in quibus hæc leguotur: « *Varam vibia*. Pertieæ duæ sunt inter se colligatæ, qoæ asserem sustinent. Unde proverbium: *Vibia varam sequitur* ». Scaliger sie exponit: *Vara*, inquit, significat perticam ab summo furcillatam, ut colligimus ex illis Glossis, (et ex Vitruv. lib. X, cap. 19): *Vibia* autem perticam transversam, quæ furcillæ illi imposita et colligata est. Qoare si *vara* cadat, et *vibiam* simul cum illa cadere oecesse est. Unde recte dietum: *varam vibia sequitur*, ete. Sed uode dicta sit *vibia*, inquit idem, et utrum *bibia*, ut io Ausooio, an *vibia*, ut in Glossis, scribendum sit, nescio. Mihi sufficit et proverbium, et ejus interpretationem ex veteri Grammatico indicasse. Proverbium quadrat in eos, qui quom uoi vitio indulseriot, deplorata omni verecundia, et pro-

quamquam fine legitimo (1). Sed laboravi, ut quantum ejus posset apud aures indulgentissimas, absurda concinerent, insulsa resiperent, hiulca congruerent; denique haberent et amara dulcedinem, et inamœna venerem, et aspera lævitatem. Quæ quidem omnia quoniam insuavis materia devenustat, lectio benigna conciliet. Tu quoque mihi tua crede securior, quippe meliora: ut, quod per adagionem (2) cœpimus, proverbio finiamus, et Mutuum muli scabant (3).

Æmula Diis, naturæ imitatrix, omniparens ars,

fligato pudore, ad alia præcipites feruntur, quasi omni jacta bonorum alea, etc. Deinde aliam explicationem adfert: Sed præstiterit, inquit, duo nomina propria interpretari vibiam, et varam. Nam Vibii et Vari nomina gentilitia Romæ. *Vara vibiam*, hoc est, τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ ἕπεται. Hæc Scaliger. Liceat post tanti viri expositiones, nostram adferre. Pro *bibiam* quod in Ausoniano MS supra landato legitur, legi posse facili mutatione *b* in *v* puteм tam *biviam* quam *vibiam*, quod habent Glossæ Scaligero laudatæ: et biviam, valgam interpretor, hoc est, auctore Festo, quæ crura habeat extrorsus obtorta et incurva, ut bivium referant, et quæ incedendo bina quodammodo itinera pedibus ambobus calcet, sicque jure dicatur bivia. Vari autem, teste eodem Festo, Valgis contrarii sunt qui crura habent introrsus incurva. Unde facilis et apertus proverbii sensus, *sequitur vara biviam*, seu valgam, vitium unum aliud post se vitium trahit, nugas aliæ nugæ sequuntur. Qui sensus est Ausoniani hujus loci, interpretante Souchayo. Ed.

(1) *Quamquam fine legitimo.* Et legi astricto, ut semper in monosyllabam vocem desinat.

(2) *Per adagionem.* Proverbium « sequitur vara, etc. » de quo mox supra.

(3) *Mutuum muli scabant.* Proverbium tunc locum habens, quum improbi atque illaudati se vicissim mirantur ac prædicant; ut quum indoctum indoctus, deformem deformis, improbum improbus vicissim laudat, quales illi fratres apud Horatium. Petitum a Mulorum (quod et cætera jumenta factitant) consuetudine, ut sese invicem dentibus scabant. Similia huic: « Senes mutuum fricant, et tradunt operas mutuas, et manus manum lavat », vel *fricat*, etc. — *Mutuum muli scabant.* Super hoc adagio consule Beroald. Adnot. cap. 2, ubi tamen perperam hic legendum vult *scabunt.* Patet enim e contextu pendere vocem illam a conjunctione *ut.* Ejusdem adagii meminit in Epistolis Symmachus, ubi ait: « Mutuum

Pacato ut studeat ludus meus, esto operi dux.
Arcta, inamœna licet, nec congrua carminibus lex,
Judice sub tanto fandi tamen accipiet jus.
Quippe et ridiculis data gloria, ni prohibet fors.

scabere mulos, cui proverbio ne videar esse confinis, præconium virtutum tuarum presso dente restringo ».

2. *Pacato.* Latino Drepanio Pacato, cui opusculum hoc dicat, ut in Præfatione seu Epistola nuncupatoria jam observavimus supra. — *Ludus meus.* Lectio hæc est veteris codicis. Vulgati libri multi habuerunt *labor hic meus*, quod ferri etiam potest.

DE MEMBRIS.

INDICAT in pueris septennia prima novus dens
Pubentes annos robustior anticipat vox.
Invicta et ventis, et solibus, est hominum frons.
Edurum nervi cum viscere consociant os.
Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor.

1. *Indicat in pueris*, etc. De hoc consimiliter Hippocrates lib. de septimestri partu, et Gell. lib. III adfirmant, anno pueri septimo, primos ejus dentes cadere, et alios renasci. — *Septennia prima novus dens.* Hæc juxta Solonis sententiam, cujus exstat apud Clementem, Strom. lib. VI, Elegia, qua ætatum mutationes per septennia fieri docet. Primo quidem septennio dentes novos adparere, altero pubertatem oriri, tertio densam barbæ segetem, etc.

2. *Pubentes annos.* Decimum quartum completum : quod pubertatis tempus Imperator statuit naturam sequutus ducem, sublato turpi more adolescentium corpora nuda inspiciendi, ad dignoscendam eorum pubertatem, ut refert ipse Instit. « Quibus modis tutela finitur ». Vox porro ut Plinius refert lib. II, cap. 5, roborari incipit anno decimo tertio.

3. *Invicta... hominum frons.* De miro pellis artificio consule quæ habet vir Cl. *Fénélon* in libro quem inscripsit *de existentia Dei*, part. 1. Ibi multa Ausonii Carmen *de membris* illustrantia. — *Hominum.* Maturam ætatem designat. ED.

4. *Edurum*, id est, valde durum. — *Nervi.* Tendines intellige, quibus insertiones musculorum in ossa fiunt. — *Cum viscere.* Cum carne musculorum, quæ viscus, et pulpa dicitur.

Unde vigent sensus, dominatrix quos vegetat mens,
Atque in verba refert modulata lege loquax os.
Quam validum est, hominis quota portio, cæruleum fel!
Quam tenue, et molem quantam fert corpoream crus!
Pondere sub quanto nostrum moderatur iter pes!

6. *Unde vigent sensus.* Merito offendit quosdam similium repetitio *viget*, *vegetat* hoc versu et præced. *vegetum*. Ed.

7. *Modulata lege loquax os.* Ea modulatio ex duobus maxime proficiscitur; scilicet e lingua quæ plectri fungitur vice, ac tremulis valvulæ motibus.

8. *Cæruleum fel.* In parva vesicula, imæ jecoris parti adhærente, contentum.

INCONNEXA.

Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est dos.
Sexus uterque potens, sed prævalet imperio mas.
Qui recte faciet, non qui dominatur, erit rex.
Vexat amicitias, et fœdera dissociat lis.
Incipe, quidquid agas: pro toto est prima operis pars.
Insinuat cælo, Diisque inserit emeritos laus.
Et disciplinis conferta est, et vitiis urbs.
Urbibus in tutis munitior urbibus est arx.
Auro magnus honos, auri pretium tamen est æs.
Longa dies operosa viro, sed temperies nox,

1. *Fit noxia, si nimia est dos.* Juvenal. Sat. VI: « Intolerabilius nihil est quam femina dives ». Vid. Plautus, Aulul. act. 3, sc. 5, et Martial. lib. VIII, epigr. 12. — *Fit noxia*, etc. Noster exponit, peccatur. Exponendum puto, nocet: nempe marito cui a divite femina jurgii caussæ continuo inferuntur: juxta illud Juvenalis, Sat. VI, 460.

3. *Qui recte faciet*, etc. Desumptum ex Epistola I Horatii, de pueris regem eligentibus. Ed.

5. *Pro toto est prima operis pars.* Huc facit illud Horatianum: « Dimidium facti qui cœpit habet ».

7. *Urbs*, non de Roma agit, sed de urbe qualibet. Ed.

10. *Nox, Qua caret Æthiopum*, etc. Hallucinatur Ausonius, qui

Qua caret Æthiopum plaga, pervigil, irrequies gens,
Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux.

Æthiopibns dies absque nocte tribuit. Habent illi, utpote sub zona torrida positi, noctes fere semper diebus æquas.

11. *Irrequies*, supra de memb. 5.

13. *Semper ubi æterna vertigine*, etc. Hoc de illis verum, qui sub mundi polis habitant (si quos habent regiones illæ incolas, quæ sunt æternis damnatæ pruinis) quibus Sol non æterna quidem, sed continua semestri vertigine fulget, sex postea menses sub terra latens. At non hoc Æthiopibus convenit, ut ex orbis descriptione, et doctrina sphærica demonstratur.

DE DEIS.

Sunt et cælicolum Monosyllaba: Prima Deum Fas,
Quæ Themis est Graiis. Post hanc Rhea, quæ Latiis Ops.
Tum Jovis et Consi germanus, Tartareus Dis.
Et soror et conjux fratris, regina Deum Vis.
Et qui quadrijugo curru pater invehitur Sol.
Quique truces belli motus ciet armipotens Mars:
Quem numquam pietas, numquam bona sollicitat Pax.
Nec cultor nemorum reticebere, Mænalide Pan,
Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.

1. *Prima Deum Fas*. Observa *Fas* femineum, quum Deam Themidem significat. *Primam Deum* adpellat; antiquissime quippe fuit, Cæli filia, Jovis soror, et oracula Delphis et in Parnasso habuit ante Apollinem. De hac plura vide apud Lilium Gyraldum, Syntagm. 15.

2. *Rhea*. Et Cybele, Latinis Ops, et Magna Mater, et Mater Pessinuntia. Cætera ejus nomina vide apud Lil. Gyrald. Syntagm. 4.

3. *Consi*. Vid. Auson. Epigr. 69.

4. *Regina Deum Vis*. Vis, seu Violentia. Stygis filia est in Theogonia Hesiodi; at hic *Vis Deum regina* est Juno, Jovis et soror et conjux, quam *Vim Deorum* adpellat, ad illud Virgilii respiciens, Æn. lib. VII, 432: « Cælestum Vis magna jubet », ubi Junonem intelligendam sentiunt veteres interpretes, ut et in hoc: « Vel quæ portenderit ira Magna Deum ».

8. *Mænalide Pan*. Mænalus mons est Arcadiæ Pani sacer.

9. *Nec Genius domuum*. Apul. de Deo Socratis (ed. Flor. p. 688): « Est

Fluminibusque Italis præpollens sulfureus Nar.
Quæque piat Divum perjuria, nocticolor Styx.
Velivolique maris constrator Leuconotos Libs.

et secundo significatu species Dæmonum animus humanus, emeritis stipendiis vitæ, corpori suo abjurans. Hunc vetere Latina lingua reperio lemurem dictitatum. Ex hisce ergo lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus, placato et quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris ». Eadem habet Mart. Capella. *Lares* tamen ex Mercurio et Lara seu Larunda Nympha genitos crediderunt. Vid. Ovid. Fast. lib. II, et Lactant. Divin. Instit. lib. II. — *Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.* Lares alii privati, qui suam quisque domum servare putabantur, quibus Veteres porcos immolabant, ut patet ex Horatio, lib. III, Od. 33, et lib. II, Sat. 2. *Præstites* quoque dictos tradit Ovid. Fast. V, vs. 129: « Quod præstent oculis omnia tuta suis ». Lares alii publici, qui et *Compitales* adpellati, quod compitis præessent. Utrosque suscepit Mercurius ex Larunda Naiadum una, Almonis fluvii filia, quam compressit dum jussu Jovis eam in Inferos duceret. Ovid. Fast. II: « Fitque gravis, geminosque parit qui compita servant, Et vigilant nostra semper in æde Lares ».

10. *Sulfureus Nar.* Virg. Æn. VII, 517: « Sulfurea Nar albus aqua ». Umbriæ fluvius est, hodie *Negra*, teste Leandro. Hic pro fluminis Deo ponitur. — *Sulfureus Nar*, Umbriæ fluvius, cujus aquæ Virgil. Æn. VII, Plinio, lib. III, cap. 12, sulfureæ. Quin et, Servio teste, ideo Nar adpellatus; Sabini enim lingua sua Nar dicunt Sulfur. Fluit autem e montibus Amiterninis, et a Velino lacu per quem transit, ingenti fragore emittitur.

11. *Quæque piat Divum perjuria, nocticolor Styx.* Id sortita honoris, ut ejus Dii timeant jurare et fallere numen, propter victoriam Stygis filiæ, quæ Diis adstiterat in bello Gigantum; ob quod Jupiter statuit, ut qui Deorum fefellisset ejus numen, anno uno et diebus novem ab ambrosia et nectare prohiberetur. *Nocticolor* dicitur ab obscuritate Inferorum.

12. *Velivolique maris.* Mare velivolum dicitur, quod in eo naves velis volent, ceu aves pennis in aere. — *Constrator Leuconotos Libs.* Leuconotus, quem Libem adpellat, ventus est Notum inter et Favonium flans ab occiduis Libyæ partibus, Italiæ respectu. *Albus* dicitur Horat. lib. I, Od. 7, v. 15, 16: « Albus ut obscuro deterget nubila cælo Sæpe Notus, neque parturit imbres Perpetuos, etc. » Ex quo intelligere licet quid velit Ausonius, quum eum maris constratorem adpellat, scilicet innuit eum placide flando, et nubes pellendo, mare tranquillum et planum reddere, ac aptum navigationi. Sic apud Virgil. Æn. V, 763: « Placidi straverunt æquora venti ». Hoc est, plana fecerunt, quæ prius intumuerant. De vento autem Libe hic tamquam de Deo loquitur. Vide autem quæ de hoc vento prius adnotata sunt ad carm. de Ventis, quod

Et numquam in dubiis hominem bona destituens Spes.

hujus operis tomo IV edidimus, pag. 497. Ed.

23. *Hominem bona destituens Spes.* Omnino accedo ad mentem Tollii, qui legit *hominem*, non *hominum*, sicque expressi in interpretatione, et excudendum curavi: de Spe quoque ut de Dea hic loquitur. — *Bona destituens Spes.* Notum Veteribus Spem Deam fuisse, quam apud Romanos a Calatino consecratam auctor Cicero, lib. II de Legibus, cap. 11. Illam putabant mortalibus singulis, simul atque nascerentur, cum bono genio adesse. Talis conspicitur ejus effigies in aureo Hadriani Imperatoris numismate. Femina fuit stans, instita laciniam sinistra manu nonnihil adtollens, dextera in cubitum elata pateram proferens, in qua repositum vas in floris similitudinem, cum hac Inscriptione: SPES. P. R. Alteram Spei, quam putat Rusticæ effigiem, adfert Broukhus. ad vs. 5 Tibul. lib. I, Eleg. 1.

DE CIBIS.

Nec nostros reticebo cibos, quos priscus habet mos,
Irritamentum quibus additur æquoreum sal.
Olim communis pecori cibus atque homini glans,
Ante equidem campis quam spicea suppeteret frux.
Mox ador, atque adoris de polline pultificum far,
Instruxit mensas quo quondam Romulidum plebs.
Hinc cibus, hinc potus, quum dilueretur aqua puls.
Est inter fruges morsu piper æquiparans gith.

5. *Mox ador.* Genus est farris et frumenti apud Festum, Nonium et Servium. — *De polline.* Pollen tenuissima farina est, quæ volitat dum succernitur, unde Polenta adpellata est, ut videtur. Quod nomen adhuc apud Italos servatur. Ed.

6. *Instruxit mensas*, etc. Plin. Hist. Nat. lib. XVIII, cap. 4: « Pulte autem non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum: quoniam inde et pulmentaria hodieque vocantur ».

7. *Quum dilueretur.* Ad potum.

8. *Morsu piper æquiparans gith.* Plin. lib. XIX, cap. 8: « Gith pistrinis, anisum et anethum culinis et medicis nascuntur ». Idem, lib. XX, cap. 17: « Gith ex Græcis alii Melanthion, alii Melanspermon vocant. Optimum quam excitatissimi odoris, et quam nigerrimum. Mede-

Et Pelusiaco de semine plana, teres lens.
Et duplici defensa putamine quinquegenus nux.
Quodque cibo et potu placitum, labor acer apum, mel.
Naturæ liquor iste novæ : cui summa natat fæx.

tur serpentium plagis et scorpionum ». Ruellius de stirpibus, lib. III, cap. 51 : « Gith Officinæ Nigellam Romanam adpellant, rura nostra *poivrette* quasi piperaceam dicunt, quod odoratam piperis modo referat acrimoniam, aut quia piperis vice in multis utantur ». — *Morsu piper æquiparans gith.* Legunt alii sine aspiratione. Vetus Bibliorum interpres reddidit *git* Isaiæ 28, quod Græce μελάνθιον dicitur. Hispanorum est *Axenus* si Antonio Nebrissensi fides Quinquag. cap. 20, quod semen, inquit, in eodem agro cum cumino satum, utrumque uberius provenit. Columella in horto : « Famosaque tunc Coriandro Nascuntur, graciliqne melanthia nigra cymino ». Ad quam fertilitatem respexit Propheta dicto loco. Desposius.

9. *Et Pelusiaco... lens.* Pelusium oppidum, et unum ex Nili ostiis septem, ubi lens optima nascebatur. Virg. Georg. lib. I, 228 : « Nec Pelusiacæ curam adspernabere lentis ». Vid. nost. Virg. t. I, p. 286. Ed.

10. *Quinquegenus Nux.* Quinque illa nucis genera sunt apud Dioscoridem et Plinium, Juglans, Avellana, Amygdala, Castanea, et Pinea nux. — *Quinquegenus*, ut alibi, *Tergenus* vidimus.

11. *Potu placitum.* In Hydromeli et Mulso.

12. *Cui summa natat fæx.* Macrob. Saturn. lib. VII : « Mel, quod optimum est, reliquo ponderosius est. In vase igitur mellis pars quæ in imo est utique præstat pondere, et ideo supernante pretiosior est. Contra in vase vini pars inferior admixtione fæcis non modo turbulenta, sed et sapore deterior est, etc. » Et paullo supra : « Fæcis materia, ut spissa atque terrena, cæteris laticibus pondere præstat, melle vincitur. Ideo in illis gravitate demergens ad fundum decidit; in melle vero, ut levior, de loco victa sursum pellitur ».

DE HISTORIIS.

Solamen tibi, Phœbe, novum dedit Œbalius flos.
Flore alio reus est Narcissi morte sacer fons.
Cædis Adoneæ mala gloria fulmineus sus.
Perjurum Lapitham Junonia ludificat nubs.
Ludit et Æaciden Parnassia Delphicolæ sors.
Threicium, Libycum, freta, Cimmeriumque secat bos.

1. *Œbalius flos.* Hyacinthus OEbali Laconiæ regis filius, Apollini amatus, ab eodem, disci jactu, per imprudentiam interfectus, in florem deinde mutatus est. Vid. Ovid. Met. lib. X, fab. 6.

2. *Fons*, in quo, ceu in speculo, sese viderat, ac sui correptus amore tabuerat Narcissus.

3. *Fulmineus sus.* Etenim, ut canit Ovid. Met. X, 550: « Fulmen habent acres in aduncis dentibus Apri ». Ergo post Ovidium Poeta noster *fulmineum* vocat Aprum. Hic et Epist. ad Theonem, propter ictus repentinos, ut vult quoque Rittershusius ad Phædri fab. 20, lib. I, non propter dentium candorem inter nigras setas, ut volunt alii.

4. *Perjurum Lapitham.* Ixionem, quem hic *perjurum*, Horat. in Arte Poelica *perfidum* adpellat: quod nomen duplici perfidia est meritus, ut ex Acrone in Horatium, et interprete Pindari, Pyth. II, cognoscitur. Altera, quia socerum Deioneum, cujus filiam Diam uxorem duxerat, munera sponsarum patribus tunc dari solita flagitantem, fossa materiæ ignem facile corripientis plena delusum, sub epularum specie, combussit. Altera, quod a Jove expiatus, delela tanti sceleris macula, et ab eo Deorum contubernio adscitus, tanti beneficii immemor, Junonem ejus uxorem stuprare voluerit. Pro qua, supposita ei nube, Centauros genuit, qui inde adpellantur Nubigenæ. Hinc, rotæ in Inferis adfixus semper volubili, pœnas perfidiæ luere fingitur. — *Nubs.* Licenter pro nubes: « nam nubs non dicimus », inquit Servius ad hunc versum Æn. lib. X, 636: « Tum Dea nube cava, etc. »

5. *Ludit et Æaciden... sors.* Pyrrhum, ab Achille, qui Æaci nepos erat, originem trahentem delusit Delphicum oraculum, hoc amphibolico versu decantatissimo: « Aio te, Æacida, Romanos vincere posse ». Quo inductus Romanis bellum intulit, a quibus victus oraculum demum, sed serius, intellexit.

6. *Threicium, Lybicum... secat bos.* Intellige bovem in quam mutata Io, œstro percita, ex Europa in Asiam per Bosporum Thracium, vel, ut alii scribunt, per *Cimmerium* trajecit, atque inde tranato mari quod Asiam inter et Libyen, hoc est, Africam, intercedit, pervenit in Ægyptum, ubi culta sub Isidis nomine est. Editi quidam habent: « Et furiata œstro tranat mare Cimmerium bos ».

Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.
Quo generata Venus, Saturnia desecuit falx.
Sicca inter rupes Scythicas stetit alitibus crux.
Unde Prometheo de corpore sanguineus ros,
Adspergit cautes, et dira aconita creat cos.
Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.
Æacidæ ad tumulum mactata est Andromachæ glos.

7. *Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.* Nymphæ quæ, teste Servio, cum arboribus simul et nascuntur et intereunt. Unde eleganter apud Barclaium in Euphormione principum amici de se: « Potentia cadimus in interitu magnatum, ut quæ Nymphæ cum arboribus moriuntur ». Eas Catullus pro Naiadibus posuit, uti et pro Naiadibus Ovidius ponit Hamadryades. His, ex Hesiodo, ipse Ausonius alibi vitam longissimam tribuit.

8. *Quo generata Venus.* Nempe Cæli pudenda, e quibus a Saturno falce abscissis, ac in mare delapsis, orta Venus est.

9. *Inter rupes Scythicas stetit alitibus crux.* In Caucaso monte Scythiæ fabulati sunt adfixum Prometheum, et renascens semper ejus jecur aquilam depasci.

11. *Et dira aconita creat cos.* Adspersa scilicet illo sanguine. Ovid. ex spuma Cerberi ex Inferis ab Hercule educti natum aconitum fabulatur, non ex Promethei sanguine. *Cos* hic est Cautes. In cautibus porro nasci, et inde habere nomen, proditum est Plin. lib. XXVII, cap. 3: « Nascitur in nudis cautibus, quas aconas nominant. Et ideo aconitum aliqui dixere, nullo juxta, ne pulvere quidem nutriente ».

12. *Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.* Ibycus ex novem Lyricis Græcis poetis unus, a latronibus, ut refert Suidas, in solitudine deprehensus, quum jam in eo esset, ut ab iis interficeretur, grues forte illac transeuntes mortis suæ testes et vindices fore comminatus est. Paullo post autem, quum in urbe media versarentur ii latrones, supervolantibus forte gruibus per jocum insusurrare sibi in aurem cœperunt, αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι πάρεισιν. Quod, quum auditum a circumstantibus, et ad magistratum delatum esset, comprehensi latrones ac rem in tormentis confessi, pœnas dederunt. Exstat de hoc epigramma Antipatri in Anthologia, in quo, clangore gruum supervolantium judicium factum, et latrones captos memoratur. Unde *Vindices Ibyci grues* potiori jure dici videntur, quam si insusurrantes suo ipsorum indicio latrones periisse dicantur.—Posset quoque hoc versu pro *vindex* legi *index*, ultima in *periit* producta. Ed.

13. *Æacidæ.* Achillis Æaci nepotis. — *Andromachæ glos.* Polyxena soror Hectoris mariti Andromachæ, *Andromachæ glos.* Juxta Festum et Nonium *glos*, *gloris* de mariti sorore, atque pariter de fratris uxore dicitur.

Carcere in Argivo Philopœmena lenta adiit mors.
Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.
Sera venenato potu abstulit Hannibalem nex.
Res Asiæ quantas leto dedit immeritas fraus!
Ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax.
Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.
Præpetibus pennis super aera vectus homo Cres.
Intulit incestam tibi vim, Philomela, ferus Thrax.

14. *Carcere in Argivo.* In quem a Messeniis captus, nobilis ille Achæorum Imperator conjectus fuerat. Vid. Plutarch. in ejus vita.—*Lenta adiit mors.* Veneno lento conscita.

15. *Aremoricus Lars.* Viridomarus Insubrium Gallorum rex, quem Plutarchus *Britomartem* vocat. Aremoricus dicitur hic pro Gallus, synecdoche partis. Est enim Galliæ pars Aremorica. Dicitur Lar sive Lars, quod occisus et spoliatus a Marcello, tertia opima spolia Jovi dedit, ut Lar, sive Lars, sive Lartes Tolumnius ab A. Corn. Cosso interfectus secunda opima spolia dederat, quum prima Romulus ipse de Acrone, Cæninensium rege, Jovi Feretrio tulisset. Notum est *opima spolia* esse quæ Imperator Imperatori detrahit. De hoc Marcello Virgil. Æn. VI, 860, inducit Anchisen Æneæ apud Inferos sic vaticinantem : « Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino ».

16. *Sera venenato*, etc. *Sera* hic, non *lenta*, ut supra de Philopœmene, sed quæ, licet violenta, tarde tamen Hannibali contigit anno ætatis septuagesimo.

17. *Res Asiæ quantas leto dedit immeritas fraus.* Fraudem illam noster exponit de fictis Sinonis lacrymis, et equo ligneo; cur non potius intelligas *fraudem*, qua Paris uxorem hospitis sui rapuit, multo milite repetitam? — Pro hoc, habebat vetus codex : *Fallaces Ligures. Nullo situs in pretio Car.* Versus hic transpositus in veteri libro inveniebatur ante illum : *Ultrix flagravit*, etc. unde cum Turnebo spurium illum : *Jam pelago volitat mercator vestifluus Ser*, expunximus. Tollius.

18. *Ultrix...fax.* Qua e Caphareo Eubœæ promontorio sublata, Nauplius redeuntium Græcorum naves in scopulos adlexit ac fregit, Palamedem filium suum, quem insontem infando iudicio neci demiserant, hoc astu ulciscens.

19. *Generat quem Dardanius Tros.* Ganymedes Trois filius in cælum raptus, et pocillator effectus Jovis. *Stat*, proprie de pocillatore, qui stat ad cyathum.

20. *Homo Cres.* Pervulgata Dædali fabula, qui, ut Minois iram effugeret, sibi pennas aptavisse fertur, quia scilicet primus omnium vela et antennas navi imposuit. Dicitur vero *Cres*, non, quod revera, ut Vineto placet, Cretensis fuerit, at, quod e Creta eum fabulantur evolasse. Fuit enim ille Atheniensis faber et Micionis filius.

21. *Ferus Thrax.* Tereus Procnes, Philomelæ sororis, maritus. Fabu-

Barbarus est Lydus, bellax Geta, femineus Phryx.
Fallaces Ligures: nullo situs in pretio Car.
Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser.
Nota in portentis Thebana tricorporibus Sphinx.

lam vide lib. VI Metamorph. Ovid.

22. *Barbarus est Lydus.* Plaut. in Bacchidibus, act. 1, sc. 2: « Lyd. An Deus est ullus Suavis-suaviatio? Pistocl. An non putasti esse? nimium quam, o Lyde, es barbarus! Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem, I, stultior es barbaro Potitio, Qui tantus natu Deorum nescis nomina ». Ad quem locum respexit procul dubio Ausonius. Neque enim adeo barbari Lydiæ populi, qui primi monetam percusserunt, et instituerunt. — *Bellax Geta.* Vetus liber *pellax Geta*, non male. Pellax est, qui blanditiis pellicit et decipit, ut Servus Geta in Phormione Terentii. Suspicatur Tollius *bellax Geta*, optime; mox enim opponit *femineus Phryx*. Getæ bellicosi, Horatio *rigidi Getæ*. Priscianus in Periegesi, 294: « Hic sunt Germanique truces, et Sarmata bellax, Atque Getæ ». Populorum variorum mores refert, ut videre est. — *Femineus Phryx.* Sic de Ænea et sociis ejus Phrygibus Iarbas lib. IV Æn. 215: « Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu, etc. » — *Femineus Phryx.* In eos quoque dictum est et plagis meliores fieri solere, et sero sapere. Quorum alterum in illos usurpat Tullius, orat. pro L. Flacco, qui servili sunt ingenio, alterum Epist. Famil. in illos, quos male factorum sero pœnitet.

23. *Fallaces Ligures.* Præter locum a nostro interprete adlatum ex Æneide, XI, 701, ubi de Auno Ligure dixit Poeta: « Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant », alterum ex eodem libro, atque etiam ex Georg. II adferre potuit. Unde quidam existimant Ligures a Virgilio male habitos, propter privatam aliquam offensam.— *Nullo situs in pretio Car.* Hinc proverbium, *in Care periculum*, hoc est, fac periculum in re vili, ut si male successerit, dispendii non multum capiss: quod inde tractum autumat Erasmus, quod Cares mercede pro aliis quibusve populis militantes, ab iis primi in acie collocari solerent; ut, primos hostium impetus, mercede conductorum ac vilium hominum periculo, excipientes, civibus suis parcerent.

24. *Vellera depectit nemoralia.* Prudentius in Hamartig. vs. 286: « Genuina leves ut robora solvant, Vellere non ovium, sed Eoo ex orbe petitis Ramorum spoliis fluitantes sumere amictus Gaudent ». — *Vestifluus Ser.* Orientales populi Seres id cum toto Oriente commune habebant, ut vestitu adfluerent. Lucanus, VIII, 365: « Quidquid ad Eoos tractus, mundique teporem, Labitur, emollit gentes clementia cæli. Illic et laxas vestes, et fluxa virorum Velamenta vides ». Loco versus hujus habent editiones quædam: « Res Asiæ quantas leto dedit immeritas fraus! »

25. *In portentis tricorporibus.* Qualia sunt Geryon, Chimæra, Harpyiæ, etc. — *Thebana..... Sphinx.* De Sphinge supra ad versum 38 Griphi.

Nota et parvorum cunis, muliebre pecus, Strix.

26. *Muliebre pecus, Strix.* Sic malim, quam quod in quibusdam *muliebre secus.* Alii *muliebre scelus* legunt, quod esset scelesta femina, et, ut metonymice loquar, scelus mulieris; quod etiam ferri potest. Est enim *Strix* et avis quædam, seu monstrum volaticum femineum, ubera noctu infantium labris in cunis dormientium immulgere creditum, et eos enecare, quod significat *muliebre pecus;* et mulier saga visu tactuve pueros fascinans, quod *muliebre scelus.* Sic Strigem describit Stat. Theb. lib. I, 597: « Monstrum infandis Acheronte sub imo Conceptum Eumenidum thalamis: cui virginis ora, Pectoraque; æternum stridens a vertice surgit, Et ferrugineam frontem discriminat anguis. Hæc tam dira lues nocturno squalida passu Illabi thalamis, animasque a stirpe recentes Abripere altricum gremiis, morsuque cruento Devesci, et multum patrio pinguescere luctu ».

DE VERE PRIMO.

Annus ab exortu quum floriparum reserat ver,
Cuncta vigent: nemus omne viret: nitet auricomum rus:
Et fusura umbras radicitus exigitur stirps.
Non denso ad terram lapsu glomerata fluit nix.
Florum spirat odor, Libani ceu montis honor tus.

1. *Floriparum.* A flore et pario vox Ausoniana, ut supra *vestifluus,* et aliæ non paucæ.

3. *Fusura umbras.* Nisi eradicata esset.

5. *Libani.* Montis in Syria turis feracissimi. Post hunc versum editiones supra memoratæ hunc habent: « Jam pelago volitat mercator vestifluus Ser ».

PER INTERROGATIONEM ET RESPONSIONEM.

Quis subit in pœnam capitali judicio? vas.
Quid si lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.
Quis mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.
Inter virtutes quod nomen Mercurio? fur.
Turibula, et pateræ, quæ tertia vasa Deum? lanx.
Cincta mari quænam tellus creat Hippocratem? Cos.
Grex magis, an regnum Minoida sollicitat? grex.

1. *Quis subit*, etc. Discrimen ponit inter vadem et prædem. *Vas* seu *vadis*, teste Festo, est sponsor in re capitali datus. *Præs* vero, juxta eumdem, qui populo se obligat, (pro publicano puta, aut redemptore publici alicujus operis, aut conductore publici agri) interrogatusque a magistratu si *præs* sit, ille respondet, *præs*.

3. *Quis mirmilloni... Thrax*. Mirmillonicum genus armaturæ Gallicum erat; ipsique Mirmillones Galli adpellabantur (teste Festo, in voce *Retiario*), et in eorum galeis piscis effigies inerat. Cum hoc gladiatorum genere aliud genus committebatur. Thraces dicti, ut vult idem Festus, a similitudine palmarum (fortasse parmularum) Thraciarum. Thrax alio etiam nomine Retiarius a reti quod tenebat complicatum. Et qui cum eo committitur, Mirmillo, etiam Secutor, eo quod Retiarium, jacto frustra reti, fugientem, stricto gladio persequeretur. Sed de his vid. Lips. Amphith. — *Æquimanus Thrax*. Æquimanus est ambidexter. Ex Symmacho, Epist. 101, hoc adlegat Scioppius verosimil. lib. IV, cap. 19 : « Ut plane Homerica adpellatione περιδέξιον, id est, æquimanum, te esse pronuntiem ». Illa autem adpellatio Homerica habetur Iliad. XXI, 163 : Ἥρως Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν.

4. *Quod nomen Mercurio? fur*. Quod ipsi etiam laudi vertit Horatius, lib. I, Od. 10 : « Te canam magni Jovis et Deorum Nuntium, curvæque lyræ parentem : Callidum quidquid placuit jocoso Condere furto, etc. »

5. *Lanx*. Lata patina assis carnibus dicata, ut jurulentis Catinus. In sacrificiis quoque locum obtinebat.

6. *Cos*, insula Ægæi maris. — *Hippocratem? Cos*. Vixit Hippocrates apud Perdiccam Macedoniæ regem. Artem medicam in lucem revocavit, in qua sic enituit, ut venientem ab Illyricis pestilentiam prædixerit, discipulosque circa urbes auxilio miserit; unde huic iidem honores decreti, qui Herculi. Dictus Hippocrates (sicut et Apelles) Cous, quia natus in insula Co Rhodo proxima, et Cariæ opposita.

7. *Minoida*. Non Minois filiam, sed uxorem Pasiphaen. — *Grex*. Non totus grex, sed formosus ex

Quid præter nubem Phæacibus impositum? mons.
Dic, cessante cibo, somno quis opimior est? glis.
Tergora dic clypeis adcommoda quæ faciat? glus.
Sponte ablativi casus quis rectus erit? spons.
Quadrupes oscinibus quis jungitur auspiciis? mus.
Quid fluitat pelago, quod non natat in fluvio? pix.
Bissenas partes quis continet æquipares? as.
Tertia defuerit si portio, quid reliquum? bes.

armento Taurus. Vid. Virg. Ecl. VI.

8. *Præter nubem*. Qua tectæ Phæacum naves, absque gubernatore, per mare incredibili celeritate ferebantur, gnaræ ipsæ quæ essent hominum consilia, omnium urbes et agri ubi essent, ut fabulatur Homer. Odyss. lib. VIII. — *Phæacibus*. Insulam Ionii maris Epiro adjacentem, quæ et Corcyra dicta, accolentibus otio luxuique olim deditis. — *Mons*. Respicit ad Metamorphosin navis illius Phæacum, quæ revecto in patriam Ulysse, quum in Phæaciam rediret, haud procul Phalacro promontorio, in scopulum mutata est. Intellige ergo per montem, qui impositus Phæacibus est præter nubem, vel Phalacrum promontorium scopulo illi e nave facto, et deprehensis in eo Phæacibus imminens, vel navis ipsius in scopulum versæ antennas et malum, quæ montis duritiem jam induerint.

9. *Glis*. Notum glires per hiemem somno indulgere.

10. *Glus*. Apud Carisium veterem Grammaticum: « Feminini generis hæc, arx... Glus, glutinis. Alii hoc gluten dixerunt, etc. »

12. *Mus*. Plin. lib. VIII, cap. 57: « Quo in genere *somniferum* multi et hos incolas domuum posuere mures, haud spernendum in ostentis etiam publicis animal... Quum candidi provenere, lætum faciunt ostentum: nam soricum occentu dirimi auspicia, annales refertos habemus, etc. »

13. *Quid fluitat pelago*, etc. Id fit quoniam aqua maris aqua fluminum gravior est, teste Plin. lib. II, cap. 103, et quotidiana experientia navium carinas fluminibus altius immergi videmus quam mari. Pix autem, mediæ cujusdam gravitatis, et fluminea quidem aqua gravior, marina vero levior est.

14. *Bissenas partes*. Quarum singulæ in asse unciæ dicuntur. Vid. Prisc. de Pond.

15. *Bes*. Vide hæreditatis juxta assis partes divisionem apud Jctos. Bes seu bessis sunt binæ assis, supple partes, si scilicet totum assem in tres dividas. Bes itaque unciarum est octo.

DE LITERIS MONOSYLLABIS GRÆCIS AC LATINIS.

Dux elementorum studiis viget in Latiis A.
Et suprema notis adscribitur Argolicis Ω.
Hta quod Æolidum, quodque ε valet, hoc Latiale E.
Præsto, quod E Latium semper breve, Dorica vox E.
Hoc tereti argutoque sono negat Attica gens οὐ.
Ω quod et o Græcum compensat Romula vox O.

1. *Studiis viget in Latiis* A. Hac quoque forma, quæ hic excusa est, viguit in Græcorum studiis. Immo ex quatuor hujusce elementi formis, quæ exhibentur in Palæographia Græca, hanc indefessus et eruditissimus antiquitatis indagator vetustam et in marmoribus nummisque semper adhibitam fuisse adserit, quod tamen in libris non similiter obtinuisse.

3. *Hta quod Æolidum*. Mart. Capella « E vocalis duarum Græcarum vim possidet. Nam quum corripitur, ε Græcum est, ut ab hoc hoste: quum producitur, Ητα est, ut ab hac die »: idem dic de O quod mox sequitur; valet enim Ω, quum est longum, et ὁ μικρὸν, quum est breve. — *Hta quod Æolidum, quodque ε valet, hoc Latiale E.* Tollius et Vinetus legunt *Latiare*; quod quidem habetur apud Tollium pro Milone, cap. 31. Verum *Latiale* occurrit in Plin. lib. III, cap. 1: « Populus Latialis », et in Ovid. Met. XV, vs. 481. Versus autem ille ut intelligatur, notandum E et H Græcis promiscue olim usurpata; quod patet ex nummis Atheniensium ac Thebanorum; siquidem ille ΑΘΕ pro ΑΘΗ ponebant, hi vero ΘΕΒΗ pro ΘΗΒΗ. Quin et Plato in Cratylo tradit antiquitus non literam η sed ε in usu fuisse.

5. Οὐ. Sonat enim Græce non, quæ vox est negantis. — *Tereti argutoque sono negat Attica gens* οὐ. Tollius pro οὐ legi vult O. Perperam hic noster excudi curavit οὐ pro O, etsi auctorem habuit Turnebum, cujus consiliis plus nimio obsequitur. Docet Athenæus Veteres diphthongum etiam per O tantum scripsisse. Huc accedit quod Ausonius ipse, Epist. 25, unam fuisse literam dicit, qua responderunt Lacones, regique irato negantes placuerunt. — Sed rectius Scalig. οὐ. Quis enim, ait, hanc veram lectionem neget: contra illam vulgatam, falsam? In hac castigatione adjuti sumus veteri scriptura, quæ habebat pro *ligat*, *egat*. Nos *negat* fecimus; ut eo ad verum sensum deducti simus. Ed.

6. *Compensat Romula vox* O. Græci antiquitus sumpsere O pro Ω, ut patet ex duobus nummis, in quorum altero legitur Κνοσιον pro Κνωσίων, et in altero Θηβαιον pro Θηβαίων.

Litera sum Iotæ similis, vox plena jubens, I.
Cecropiis ignota notis, ferale sonans V.
Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Y.
Vocibus in Graiis numquam ultima conspicior M.
Zeta jacens, si surgat, erit nota, quæ legitur N.
Mæandrum, flexusque vagos imitata vagor Ξ.
Dividuum Betæ monosyllabon Italicum B.
Non formam, at vocem Deltæ gero Romuleum D.

7. *I, vox jubens*, imper. verbi *eo*.

8. *Cecropiis ignota notis*, ete. *V*. Nam quod ejus sonum non haberet lingua Græca (erat enim vel *u* spissum, quod per ου Græcum exprimebatur, vel *u* lenius quod Græcum Υ exprimebat), sed quod spissum illum vocalis *u* sonum nulla Græca vocalis haberet, sed opus esset ad eum exprimendum diphthongo ου. — *Ferale sonans*. Quod ulularum et noctuarum, feralium avium, cantum imitetur.

9. *Pythagoræ bivium*, ete. Υ litera discrimine secta bicorni Pythagoræ dicitur, non quod Pythagoræ inventum fuerit, fuit enim Palamedis: sed quod ejus bifurca figura Pythagoras uteretur in Moralibus suis dogmatis, ad geminam virtutis et voluptatis viam demonstrandam.

10. *Vocibus in Graiis*, etc. Quintilianus, lib. XII, cap. 10: « Quid quod pleraque nos illa quasi mugiente litera claudimus M, qua nullum Græcum verbum cadit? » — *Numquam ultima conspicior* M. Recte in Palæographia adnotatum, ut metri ratio constet legendum, μῦ, non *em*. Attamen satis esse existimo, si pronuntietur μῦ. Cæterum Poeta ideo ait inter voces Græcas numquam ultimam M conspici, quod nulla vox Græca ea litera cadit.

11. *Erit nota, quæ legitur* N. Similiter hic legendum, aut saltem pronuntiandum Νῦ.

12. *Mæandrum*, Asiæ fluvium ob sinuosos suos amfractus decantatissimum. — *Imitata vagor* Ξ. Uncialis non debuit esse hæc litera; neque enim de unciali dici potest, eam Mæandrum referre. Scribe igitur parva litera ξ. — Pro *vagor* reponebat Turnebus *vocor*. Nihil necesse mutare quidquam: *vagor* est ducor in charta, linea instar Mæandri errante. Ed.

13. *Dividuum Betæ*. Nempe *Be*. Consonæ enim, ut pronuntientur, adjuncta vocali aliqua opus habent. Hæc in omnibus ferme Latinis consonis est *e*, modo postpositum, ut in be, ce, de, etc. modo præpositum ut in ef, el, em, etc. at in Hebraicis Græcisque elementis consonæ et alias quoque vocales, et syllabas quoque duas sæpe adsumunt, ut pronuntientur Beth, Ghimel, Daleth, Beta, Gamma, Delta, etc.

14. *Non formam, at vocem Deltæ gero Romuleum D*. Respicit Poeta formam, quæ sua ætate in usu fuit. Nam et apud Græcos vetustissimam fuisse Romuleam formam patet nummo Messanensi, quem

Hostilis quæ forma jugi est, hanc efficiet Π.
Ausonium si P scribas, ero Cecropium P.
Et Rho quod Græcum, mutabitur in Latium P.
Malus ut antennam fert vertice, sic ego sum T.
Spiritus hic, flatu tenuissima vivificans H.
Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K,
Prævaluit postquam Gammæ vice functa prius C;
Atque alium pro se titulo replicata dedit Q.
Ansis cincta duabus erit quum Iota, leges Θ.
In Latio numerus denarius, Argolicum X.
Hæc gruis effigies Palamedica porrigitur Φ.
Kappa fuit quondam Bœotia, nunc Latium K

Paruta in Sicilia sua expressit, eoque tam aotiquo, ut ante rem Romanam cusus ex typi geoere æstimetur. Ibi legitur DANKLE pro ΖΑΓΚΛΗ.

15. *Hostilis quæ forma jugi*, etc. Festus: « Jugum, sub qno victi trsnsibant, boc modo fiebat: fixis duabus bastis, super eas ligabatur tertia: sob iis victos disc/octos transire cogebant ». Hioc bostile dicitur.

19. *Spiritus hic, flatu... H.* Olim pro aspiratiooe usu tsotom veniebat. Hic a Poeta sub eo respectu consideratur.

20. *Tribus in Latio tantum*, etc. Terentianus Maurus: « K similiter otiosa cæteris sermonibus. Tunc in usu est, qnum Kalendas sdootamus, aut Kaput. Sæpe Kæsones notabaot hac vetusti litera ». Martian. Capella, lib. III: « K vero nuoc nota putator esse, non litera. Nam ejus effectus C integrare noo dubiom est, absqne liis Kapita, Kalendæ, Kalumoiæ ».

21. *Prævaluit.* Ut poneretur potius qoam K. — *Gammæ vice functa prius C.* Hinc in vett. ioscript. sæpe inveoias *lece* pro *lege*, *macistratus* pro *magistratus*, etc.

22. *Titulo replicata dedit Q.* Qointilisoos, lib. I, cap. 4: « Et Q, cujos similis effectus speciesque, nisi quod paullum a nostris obliquatur, Kappa apod Græcos, nunc tsotum in oomero maoet ».

28. *Ansis cincta duabus erit cum Iota.* Intellige, et sopina: constat enim hæc litera Θ circulo, et lineola supioa, quæ medium eum secans, in duas eum ansas veluti separat, quarum una superior, altera inferior. — *Cum Iota, leges* Θ. Vult Palæographiæ auctor hic metri caussa legi *The*: oibil autem obstat qoominus legatur *Theta*: tunc enim pars syllabæ posterior sequeotem versum per synalœpheo incipiet.

25. *Hæc Gruis effigies.* Unius scilicet gruis, qoam pede in uoo excubantem sat bene refert litera Φ. Scaliger pro *gruis* reponebat *crucis*, quod in alio cod. *crinis* inveoerat,

Furca tricornigera specie, pæne ultima sum ψ.

cujus figuram etiam quodammodo refert. — *Palamedica.* Plin. lib. VII scribit Palamedem has quatuor literas Θ, Ξ, Φ, Χ, Trojano bello invenisse. Philostratus in Heroicis, has tres tantum ab eo inventas memorat Υ, Φ, Χ, quarum Υ quidem a figura agminis gruum volantium, Φ vero a similitudine gruis excubantis invenerit.

GRAMMATICOMASTIX *.

Elogodædalia strides modo qui nimium trux,
Frivola condemnas? nequaquam. Cum pretio est merx.
Ennius ut memorat, replet te lætificum gau.
Livida mens hominum concretum felle coquat pus.
Dic, quid significent catalecta Maronis? in his al
Celtarum posuit, sequitur non lucidius tau.

* *Grammaticomastix.* Ut Ὁμηρομάστιξ adpellatus est Zoilus ille, qui Homerum carpebat et veluti flagellabat, sic Γραμματικομάστιξ dicitur, qui Grammaticos vexat ac veluti cædit; ut facit Poeta noster hoc poematio, in quo Grammaticum variis interrogationibus e Grammaticæ penu petitis, fatigat.

1. *Elogodædalia.* A λόγος oratio, et δαίδαλος peritus, ingeniosus, industrius, varius, fit λογοδαιδαλία peritia orationis variandæ et industrie contexendæ. Verti Grammaticatione obscura magis ad mentem auctoris quam ad vim verbi attendens.

2. *Frivola.* Ea, quæ frivola videntur in Grammatica, quæstiunculas plus difficultatis quam utilitatis habentes.

3. *Lætificum gau. Gau* pro Gaudium per apocopen ab Ennio scriptum, ut quod postea sequitur *Cæl* pro Cælum, *Do* pro domum, ex hoc poemate patet. Quod sane Græcorum exemplo fecerat, ac inter cæteros Homeri, qui sæpe δῶ pro δῶμα quod domum significat, et κρῖ pro κριθὴ hordeum posuit.

4. *Livida mens hominum,* etc. H. e. ringantur licet invidi, ut Virg. Ecl. VII, 26: « rumpantur ilia Codro ».

5. *Quid significent catalecta Maronis.* Scaliger non κατάληκτα a καταλήγω desino, ut Baptista Pius autumat, sed κατάλεκτα, a verbo καταλέγεσθαι, deligere, dicta putat, quod ea carmina ex Virgilianis sint collecta. — *In his al Celtarum posuit,* etc. Habetur illud initio catalect. Virgilii: quod carmen maxime depravatum, suoque nitori redditum a Jos. Scaligero, quum huc faciat

Imperium, litem, Venerem, cur una notet res?
Estne peregrini vox nominis, an Latii sil?
Et quod germano mixtum male letiferum min?
Lintribus in geminis constratus ponto sit, an pons?

maxime, exscribere placuit: « Rhetor meiorum amator iste verborum, Iste, iste Rhetor, namque quatenus totus Thucydides Britannus Atticæ febris Tau Gallicum, min ipsum, et al ei illisit ». Poeta sane hoc Epigramma respexit, quo Maro suggillat Rhetorem meiorum seu decurtatorum verborum amatorem. Unde patet quam totum hunc Ausonii locum turbaverit Floridus divulso versu, in quo *min* occurrit a quinto et sexto versu, in quibus *al* et *tau*. Lege igitur eo ordine, quem Scaliger proposuit et Tollius insequutus est: « Dic quid significent catalecta Maronis? in his al, Et quod Celtarum posuit non lucidius tau, Et quod Germano mixtum male letiferum min ». *Al*, *tau* et *min* prioris syllabæ sunt allii, tauri et minii. Scilicet quum Rhetor ille de quo Virgilius, declamaret de morte Themistoclis, qui epoto taurino sanguine exstinctus est, pro tauro dicebat *tau*. Quum de illo dissereret, qui, dum patri allium tereret, minium a noverca injectum imprudens contrivit, pro allio *al*, pro minio *min* dicebat. Hæc Jos. Scaliger feliciter quidem, at pro more suo parum modeste.

7. *Imperium, litem, Venerem, cur una notet res. Imperium* quidem ut in hoc lib. III Æn. v. 1: « Postquam res Asiæ, Priamique evertere gentem Immeritam visum Superis ». *Litem* ut in hoc Horatii, lib. I, Sat. 9: « Dubius sum quid faciam, inquit; Tene relinquam, an rem ». Unde et *reus* nomen habet. *Venerem*, ut in hoc Terentii, Eunuch. act. I, sc. 2: « Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam hospite, Abii hinc ».

8. *Sil.* Plin. lib. XXXIII, cap. 12: « In argenti et auri metallis nascuntur etiamnum pigmenta, Sil, et Cæruleum. Sil proprie limus est ». Et initio cap. 13: « Sile pingere instituere primi Polygnotus et Mycon, Attico duntaxat. Hoc sequuta ætas ad lumina usa est. Ad umbras autem Scyrico et Lydio. Lydium Sardibus emebatur, etc. » Hinc dubitatio Ausonii an *sil* vox Latina, an Græca, an barbara, puta, Lydia.

9. *Et quod germano mixtum male letiferum min. Min* pro minio positum recte conjecit Scaliger, sed sensum hujus loci non aperuit, neque Ausonianorum interpretum quisquam, quod sciam. Petendus est loci hujus loci intellectus ex hoc Plinii loco, lib. XXXIII, cap. 7: « Milton vocant Græci minium, quidam cinnabari. Unde natus error Indico cinnabaris nomine. Sic enim adpellant illi saniem draconis elisi elephantorum morientium pondere, permixto utriusque animalis sanguine, ut diximus. Neque alius est color qui in picturis proprie sanguinem reddat. Illa cinnabaris antidotis medicamentisque utilissima est. At hercule medici, quia cinnabarin vo-

Bucolico sepes dixit Maro, cur Cicero seps?
Vox solita, et cunctis notissima, si memores, lac.
Cur condemnetur, ratio magis ut faciat lact?
An Libyæ ferale malum, sit Romula vox seps?
Si bonus est insons, contrarius, et reus est sons?
Dives opum cur nomen habet Jove de Stygio Dis?
Unde Rudinus ait, Divum domus altisonum cæl?
Et cujus de more, quod adstruit, endo suam do?

caut, pro ea utuntur hoc minio, quod venenum esse paullo mox docebimus ». Scilicet quum cinnabaris, et minium, et draconis sanguinem significet, medici vocum similitudine decepti, in antidotis conficiendis minium, quod cinnabari etiam dicitur, aliquando promiscue usurpant pro medicamento cognomine, cinnabari scilicet Indiæ, seu sanguine draconis; sicque venenum pro remedio dant. Ad hunc Plinii locum respexisse Ausonium, et hanc esse veram ejus mentem, nemo puto inficiabitur.

11. *Bucolico.* Ecl. I, 55 : « Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes Hyblæis apibus florem depasta salicti, etc. » — *Cur Cicero seps. Seps* quoque occurrit apud Plinium, lib. XX, cap. 11, et Solin. cap. 30.

13. *Magis ut faciat lact.* Martian. Capella, lib. III : « Quidam quum lac dicunt, adjiciunt T, propterea quod facit lactis; sed Virgilius : *Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.* Quippe quum nulla apud nos nomina in duas mutas exeant, ideo Veteres lacte in nominativo dixerunt ».

14. *Seps.* Serpentis genus a σήπω putrefacio est σήψ. Græca igitur non Romula vox est. Lucan. IX, 723 : « Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps ». « Libyæ ferale malum » dixit, quia Libya seu Africa omni serpentum genere abundat. — *Ferale malum... seps.* Sepem tradidit Mathiolus serpentem esse viperæ minimæ similem, colore cinereo, maculis ex intervallo varium, cauda brevi; relatum ab Aetio inter viperarum genera et serpentes mortiferos. *Feralem* dixit, quod eorum quos læsit corpora putredinem statim concipiant. *Carleton de Serpent. insectis.*

16. *Cur nomen habet Jove de Stygio Dis.* Ænigmatis genus quod OEdipum non requirat. Inferorum Deus et Pluto et Dis adpellatur, utroque nomine deducto a divitiis, quæ ex Inferis, seu ex intimis terræ visceribus eruuntur.

17. *Rudisonus.* Ennius, quem, ut ait Silius Italicus, lib. XII : « Rudiæ genuere vetustæ. Nunc Rudiæ solo memorabile nomen alumno ». Calabriæ urbs est apud Pomponium Melam. — *Altisonum cæl.* Cælum altisonum propter tonitru. Virgil. Georg. III, 361 : « Quem super ingens Porta tonat cæli ».

18. *Cujus de more* Veterum : apud quos *Endo* erat *in;* unde *Endoplorato* pro *Implorato*, et *Endo procinctu* pro *in procinctu* apud Festum; unde

Aut de fronde loquens, cur dicit populea frus?
Sed quo progredior? quæ finis, quis modus, et calx?
Indulge, Pacate, bonus, doctus, facilis vir.
Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ. Pax.

Endogredi, seu *Indugredi*, pro *ingredi*, et similia multa apud Lucretium. *Suam do* pro *suam domum* per apocopen, de qua jam supra ad vocem *gau*.

19. *Populea frus.* Frundes et frundibus Carisius ait Veteres per *u* dixisse, a singulari frus: ejus verba sunt: « Frus hujus frundis, quod sic ab Ennio est declinatum annalium libro septimo. Rurescant frundes, non frondes ». Unde hic *frus* legendum, aut certe *fruns*, non autem *frons*.

20. *Quis modus, et calx.* In corpore humano extrema pars est calx. Unde per translationem calx operis, pro fine ejus; et opus perducere ad calcem, pro absolvere.

22. *Crinis velut Antiphilæ*, amicæ Clitiphonis apud Terent. Heauton. act. II, sc. 3: « Capillus passus, prolixus, circum caput Rejectus negligenter. Pax! » Est autem πάξ Græcum adverbium desinendi, teste Hesychio, et Prisciano, quasi dicas tantum, vel finis. Idem Terent. eadem fab. act. IV, sc. 2: « Unus est dies, dum argentum eripio, pax, nihil amplius ». Pluribus in locis apud Plautum eodem sensu reperias.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC SEPTIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS SEPTIMI ET ULTIMI VOLUMINIS.